LIBER SEXTUS

[i.e. LIBER QUINTUS]



JOHANNIS

CRATONIS

à

KRAFTHEIM

Archiatri Cæsarei, & aliorum Præstantissimorum Medicorum,

CONSILIORUM

ET EPISTOLARUM

Medicinalium

LIBER SEXTUS

Labore & studio

LAURENTII SCHOLZII,

Medici Uratis. in

lucem editus

Cum duplici Indice Consiliorum & Rerum.



FRANCOFURTI

Sumptibus, JOHANNS PETRI ZUBRODT,

ANNO MDCLXXI.

CLARISSIMIS VIRIS,
PHILOSOPHIS ET MEDICIS
celeberrimis,
Anatomiæ ac rei Herbariæ ſtudioſiſſimis.

DNN.

FELICI PLATERO,

ET

CASPARO BAUHINO,

PROFESSORIBUS IN INCLYTA
Academia Baſilienſi digniſſimis,

Collegis fideliſſimis,

Amicis ſuis integerrimis, ac omni obſervantia colendis,

LAURENTIUS SCHOLZIUS,
SYL. MED. DOCTOR,

Librum hunc VI. Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium amicæ neceſſitudinis ergò D.D.

INDEX CONSILIORUM;

Morbi Virorum, & Iuvenum;

INDEX RERUM.


D.

E.

F.

G.

FINIS.



CONSILIUM PRIMUM,

IN HEMICRANIA, PRO QUODAM Generoſo Domino;

MULTÆ ſunt ſpecies doloris pro cauſarum varietate, & loci affecti. Hemicrania autem eſt dolor mediæ partis capitis, anteriorem magis, quam poſteriorem affligens. Hac affectione aliquoties S. G. laborare animadverti. Cauſa non eſt in capite, ſed in ventriculo, vel epate, maximè tamen in ventriculo. Aſſumpto enim cibo S. G. ſemper levari obſervavimus. Itaque cùm haud dubiè, vel à chylo corrupto in ventriculo vel ab humore pravo in ventriculo genito, vel bilioſi humoris affluxu oriatur, opera danda ut quam minima moleſtia vomitu materia rejiciatur niſi natura hoc tentet, ſin minus, aquę hordei ℥x. cum ℥j. oxymellis, ac pauco oleo olivarum adjuvari poteſt, ſi fortiori medicina opus eſt, ſucci expreſſi è raphano contuſo ℥j, vel ſeminis raphani contuſi ʒj. Juli quoque juglandis, dum floret, mox collecti, ac torrefacti & in pulverem redacti vomitum abſque moleſtia cient. Evacuatis humoribus in ventriculo contentis, cæteri, qui ad venas meſeraicas, & ad epar hærent, ut deſcendant contemperandi & abſtergendi ſunt. Id fit recta victus ratione, videlicet, hordeo probe cocto & contuſo, & cum jure capi mixto. Item radicibus cichorii in jure capi vel gallinæ coctis. Deinde aſſumto granatorum ſucco, ad tria vel quatuor

tuor cochlearia. Præcaveri autem hoc malum, sicuti alia multa, in S. G. corpore posset, si interdum mane horis duabus, vel tribus ante cibum, unum vel alterum orbiculum, quorum descriptionem subjiciam assumeret:

℞ Sachari in aq. rosar. & cinnam. dissol. ℥iij.
Rhebarb. opt. pul. & aq. cinnam asspersi ʒij.
Extracti Rhebarb. ℈ij.
Succi rosarum ʒj.
Conservæ rosarum parum.

F. confectio in orbiculso, quorum singuli pondo sint ʒj. sumatur de his unus, vel duo ut monui, præsertim si alvus vel astrictior fuerit, vel corpus humoribus gravetur. Affirmare ausim, si. S. G. morem gerens hoc faceret, non solum catarrhum mitiorem futurum, verum etiam calculum renum doloresque podagricos, rarius atque mitius afflicturos, minusque Epar (cum Rhebarbarum sit anima, ut Medici loquuntur, Epatis) per fluxum hæmorrhoidum periclitaturum. Denique aliis medicamentis purgantibus, quæ ratione præservationis ab impendentibus morbis exhiberi solent, minimè opus futurum. Ideo hujus medicamenti leniter evacuantis hoc loco mentionem feci. Nullam autem prorsus nauseam inducit, neç ventriculum lædit, quin potius eum roborat, & appetitum excitat. Præservat ab affectionibus capitis, maxime vertigine, ab hydrope, pedum tumore, à febribus omnis generis. Idque S. G. experta credet, si bis, vel ter in mense uno assumserit.

JOHANN CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CON-

CONSILIVM II.

In Catarrho, pro quadam Illustri persona;

CAtarrhum Medici tanquam fontem omnium morborum, vel certè præcipuorum statuunt. Id ut in cæteris corporibus verum cognovimus, ita in S. C. verissimum. Licet autem vulgus catarrhum tum vocet, cum materia pituitosa à capite ad vicinas partes, nares, fauces, &c. defluit, tamen proprie catarrhus seu destillatio appellatur, cum quascunque corporis partes fluxio præter naturam obruit, easque qualitate, vel quantitate molestia afficit, ac actiones in illis vitiat, quemadmodum in Analogismo nostro ostensum est: septem autem præcipuæ viæ ab Hipp. ostenduntur, ad quas materia fluit, & per quas fertur, videlicet, oculi, nares, palatum, venæ & arteriæ, vertebræ spinæ dorsi, & nervi. Cum materia in cerebro propter ejus intemperiem & fumorum, vel humorum multitudinem genita, ad aures perlabitur, sæpe ingentes dolores, purulentæque aures fiunt, tinnitus, surditasque sequitur. Cum ad oculos lippitudines, & alii morbi; cum ad nares coryzæ, similesque molestiæ; cum ad palatum multitudo sputi, screatus frequentes, nauseæ; atque si ad ventriculum transit, illius cruditas, si inde ad intestina delabitur, eorum mala, alvi fluxiones, & dolores colici, atque similes consequuntur. Obstructiones etiam in venis meseraicis & epate fiunt, & renum vitia augentur. Cum vero per venas intrinsecas catarrhus ad fauces descendit, pro diversitate locorum videlicet, tonsillarum, quas amygdalas vocant, columellæ, musculorum, laryngis in quibus anginæ fiunt, varias affectiones excitat: si vero per extrinsecas venas dilabitur, paratides, inflammationes atque tumores ad aures, ac strumæ consequuntur.

Ubi

Ubi ad pulmonem, ac ad pectus defluit, & spiritus libere transire nequit, difficultatem spirandi, parit, denique cum putrescit, cruentas & putulentas exscreationes, & pernitiosam tabem affert. In asperam autem arteriam quando delabitur, & pulmones irritat, tussis, quæ est propria pulmonis affectio, in qua nititur expellere, quæ molestant, consequitur. Cùm verò in summo hæret, & vocis instrumenta nimium humectantur, ut spiritus per materiam catarrhi delatus, tanquam per aquam sonitum edat, rauci efficiuntur. Cum autem destillationum materia per venas in habitum corporis defertur, lassitudines fiunt, cumque exiguorum meatuum à lentore humorum obstructio sequitur, & humores difflari nequeunt, atque ita putrescunt, febres pro diversitate humorum & locorum in quibus est putredo, seu focus febris generatur. Quod si vero materia ad cutim extrahitur, eaque tenuis est, pruritum excitat, si adusta squamulas, si crassa scabiem, similiter affectiones, & tumores præter naturam facit: sin vero intus hæret circa articulos atque inflammatur, arthritidem & podagram, similesque articulorum affectiones producit. Interdum in aliis locis, & præsertim nervosis alios gravissimos dolores excitat: sin autem in ipsum principium nervorum incidit, atque integram repletionem, vel multum facit, apoplexiam affert, vel epilepsiam, cum repletio non integra est, nec materia valde crassa, propterea magno conatu natura eam repellere nititur, & totum corpus convellitur, sicuti in spasmo, & particularibus convulsionibus accidere videmus. Cum autem materia per spinam dorsi delabitur, & nervi nimium humectantur, nec animalem vim suscipiunt, paralysin & stupores consequentur. Cum in cerebro materia continetur atque putrescit, sitque frigida, lethargi. Phrenitides vero à calida putre-

putrescente fiunt. Si frigida & humida est, neque tamen putrida, caros, & somni gravitatem producit, atque etiam catochum, in qua affectione ægri destituti sermonis usu jacent. Interdum tamen aliquid audiunt & vident, cum ad postremam cerebri partem materia delabitur. De memoriæ læsione à catarrho, & Melancholia, quæ à materia crassiore & ficciore oritur, nihil dicam. Ex his vero cum perspicuum atque evidens sit, quam multi & graves morbi à catarrho proveniant, opera danda, ut si omnino illum vitare non possimus, impetus saltem illius declinemus. Id autem fit recte illius natura considerata, quam propemodum destillationes artificiales ostendunt. A calore enim agente in humidum continuo vapores excitantur, & ad cerebrum, tanquam alembicum feruntur, cumque ab eo superari, & per vias communes videlicet per nares, palatum, & os repurgari nequeunt, vel per cutem exhalant, ad subjectas partes delabuntur. Cerebrum enim temperatum moderate per solas nares expurgatur, immoderatius per os & palatum. Est autem cerebrum sua natura frigidum & humidum, cumque caliditas & siccitas (loquor hic de naturali, per accidens enim videlicet repletum excrementis cerebrum naturaliter siccum, quod calvities & vigor sensuum declarat) attrahere vapores (quemadmodum Hippocrates declarat, cum caput reliquo corpori, tanquam magnam cucurbitam impositum ait) necesse est, ut cũ non perflantur, vel consumuntur, delabantur. Descendunt autem vel cocti, vel crudi: si concocti delabantur, nihil morbi, vel molestiæ inferunt, & cum mediocri crassitie saporem absque acrimonia, vel ardore, insipidum vel dulcem obtinent, nec magna difficultate per nares, quorum meatus aperti sunt, per palatum, vel os expurgantur; si crudi videlicet, vel nimis tenues, vel supra modum

crassi

crassi atque viscidi, vel partim tenues, partim crassi, vel corrupti, ita ut sint, vel acres, vel acidi, vel salsi, colore etiam viridi, vel subnigro, periculo non vacant. Itaque crudi concoquendi, corrupti vel contemperandi, si id fieri potest, vel auferendi & expurgandi. Hinc intelligimus, si catarrhum, & quæ eum consequuntur mala vitare velimus omni studio capitis rationem habendam, & cruditates, atque evaporationes immodicas, (nam quin aliquid vaporis ad caput perpetuo feratur, fieri nequit) vitandas. Caput autem debilitant, & obnoxium catarrhis reddunt, omnes immoderatæ, præsertim humidæ & frigidæ aeris constitutiones, mora in sole, vaporariis calidioribus, subita mutatio ex loco calido in frigidum, vel econtra. Australes atque occidentales venti, exercitium corporis vehemens, cogitationes etiam, animique intentiones diuturniores à cibo. Cæterum ut vaporum immodica copia à subjectis partibus ascendentium vitetur, cruditas fugienda est, & repletio omnis, ac varietas ciborum ac potus cavenda. Cruditas autem non tantum ex crudorum esu, ac pituitosorum usu quales sunt pisces, lacticinia, in sartagine cocta, sed ex intempestiva assumptione, videlicet, cum cibus priori nondum concocto ingeritur, provenit. Item cum nulla exercitia cibum præcedunt, vel vehementiores, ut ostendi, à cibo suscipiantur. Ubi autem fames urget tempus assumendi cibum nequaquam differendum, cum vero cruditas & nausea, non urgendus appetitus, ut quidam volunt, vel irritamenta quærenda, & corpus exercendum, sed quiescendum atque abstinendum. Concoctio enim omnis in quiete fit, neque rectum est, quod plerumque fit, ut cruditati laborioso exercitio mederi studeamus. Hæc in genere de catarrhi ratione monere volui, quæ unica sententia comprehendi possint

possint. *Omnia moderata.* In curatione vero semper primum aeris est habenda ratio, ac si is humidior est arte exiccandus. Id per suffitus ex sequentibus trochiscis, vel pulveribus prunis injectis fieri poterit:

℞ *Benzoi* ℥ij.
Styrac. calamit. ℥j.
Ligni aloës.
Cinnam. a. ℥ß.
Caryophill. ℥j ß.
Musci el. gr. vj.

Conf. rosar. q. s. ad incorporand. reforment. orbiculi sive trochisci, & exiccentur. Vehementes autem suffitus omnes catarrhosis, & quibus caput est infirmum sunt cavendi: solus autem pulvis styracis cum saccharo, & parum succini albi, carbonibus injectis catarrhum exiccat: Itali stuppam cannabis, vel lini, vapore hujus pulveris, aut thuris calefactam capiti, sive Suturæ coronali imponunt, haud scio quã rectè. Nam offendere interdum magis, dum materia catarrhi retinetur, eaq; multa & copiosa est, quam juvare, præsertim si caput est calidum, ut in S. C. minimè dubiũ. Pulvis quidẽ hic odoratu caput exiccare potest:

℞ *Rosar. rubear.*
Caryophill.
Sem. nigellæ.
Cortic. citr.
Cinnamo
Nucis Muscat. a. ℈ij.
Styrac. calamit. gra. iiij.
Musci gra. ij

Pulverisata misc. & serico includantur, fiatque Nodulus, verum in calida intemperie cerebri mihi admodum suspectus esset. Quidam sola nigella, nodulo inclusa, & aqua stillatitia majoranæ humectata, utuntur, sed hoc in sola

coryza

coryza fit, nec habet locum in S. C. quæ rarius per nares repurgatur, quam velimus. Cùm verò omnis materia catarrhi ad palatum feratur, fit ut frequentius screatu reiiciatur. In quo tamen expulsionis atque attractionis nimia vehementia vitanda. Admonita autem S. C. antea, ut portiunculam nucis Muscatæ in cineribus calidis (prius tamen nuce medullæ panis involuta & cocta) tostam detineat. Commendantur etiam ad eandem affectionem isti orbiculi linguæ subjecti:

℞ *Sem. papau.* alb:
Portulac.
Lactucæ.
Coriand. præpar ā. ℥j:
Nucis Muscatæ.
Thuris.
Mastich. a. ʒß.
Styrac. calamit. ʒjß.
Succi glycyrrh. ℈ß.

Tragacanth. infus. in aq. rosar. q. s. f. orbiculi parvi sed semper tutius est uti simplicibus, quàm compositis; licet compositum illud in utraque materia catarrhi calida & frigida, (modò materia tenax non sit, quæ incidenda & attenuanda prius; quàm sistenda) valeat. Ubi autem fauces & colli partes infestantur, & intumescunt, primùm collutiones, ne gargarismata attrahant motu, abstergentes & reprimentes adhibeantur:

℞ *Aq. decoctionis hordei* ℔ ß.
Mellis rosac. ℥ vj.
Diamor. ℥ ij. *Misc.*

Si dolor non remittit, quæ magis reprimant vsurpentur.

℞ *Aq. plantag* ℔ ß.
Rosar. ℥ iij.
Diamor,
Diacnicum an. ℥ j. *Misc.*

Si materia est calida, quæ exulcerationem minatur, hoc convenit.

℞ *Aq. prunella* ℔ ß.
Diamor. ℥ j.
Syr. violac. vel de papauer ℥ ß. *Misc.*

Hæc gargarismata S. C. sæpè exhibita sunt. Totam autem curationem catarrhi hoc in loco prosequi nolo, sed eius accuratam considerationem in aliud tempus mihi reseruo.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM III.

In Catarrho salso, pro quodam Generoso Domino?

CAtarrhus salsus, siue ex putredine pituitæ, siue, vt Arabes senserunt, ex adusti humoris commistione generetur, maxime victus ratione contemperatur, videlicet frigidi, & humidi,

midi, si ea nō satis est omninò aliqua euacuatione leui, quæ fit cum Mānæ ℥ j ß in iusculo dissoluta, corupta sunt expurganda. Deinceqs Diacodio vtendum, & orbiculi isti frequenter in ore tenendi:

℞ Papau. alb. ℥ j.
Aq. rosacea ℥ i i j. f. emulsio.
Et addatur pul. Tragacant. ℈ ß. vt quasi gelatiua fiat.

Assumatur etiam interdum saccharum rosaceum, cui bolus armena admisceatur. Orbiculi etiam Rhebarbaro, supra in consilio de Hemicrania descripti paulatim corruptos & salsos humores euacuant.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM IIII.

In Catarrho suffocatiuo, pro quadam Illustri persona.

QVi frequenter de fluxionibus laborant, in catarrhum suffocantem interdum incidere solent, qui non minus periculosus est quàm Apoplexia, sanguis verò de consilio Medicorum statim mittendus, frictiones in spatulis, collo, brachiis, item ligaturæ fortes faciendæ. Vesicatorium apponendum supra commissuram coronalem ex fermento, cantharidib. & aceto:

Loch de ſcilla cum oxymellite & ammoniaco dandum, ſi materia eſt craſſa, vel ſi tenuis, ad pillulas de cynogloſſa, tamen ne vnum ſcrupulum in doſi excedamus, præueniendum. Hæc ideò moneo quia in ſubitis morbis ſæpè animi Medicorum ita conſternati ſunt, vt de remediis cogitare nequeant.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM V.

In rubedine & oculorum dolore, pro quodam Magnifico viro,

QVIDAM in hoc caſu maximopere commendant aquam ſimplicem, in qua vitriolum album, & ſacch. candum diſſoluta ſunt. Ego verò plurimum prodeſſe comperi eam aquam, quæ a niue Martij diſſoluta in vaſe vitreo provenit. Nam hæc etiam abſque alia ulla re adhibita in affluxu calido loco collyrij eſt. Ad rubedinem autem peculiariter commendatur aqua fragorum, illis prius in eo vaſe, in quo deſtillantur, putrefactis in fimo. Aqua etiam è tormentilla deſtillata rubores tollit, & initio fluxionum prodeſt. Laudatur & hoc collyrium:

℞ *Aq. fœnicul.*
Euphraſiæ.

Rosar. an. ℔. ß.
Sacch. cand. ℥j.
Vitrioli alb ℈ß.
Misc. & per filtrum aliquoties transfundatur.

Ad dolentes autem oculos, etsi rectum quidam putant, nihil adhibere, tamen non est dubium, quin affluxu humorum oculi corrumpantur & debilitentur, ita ut promptè vim humorum irrumpentium admittant. Itaque post diversiones & evacuationes omnibus modis ea, quæ intemperiem mitigant, partem roborant, & exulceratam sanant, sunt applicanda. Nondum quidem S. M. tantoperè ex oculis laborare vidi, verùm decumbere humores ad oculos non raro animaduerti. Cæterum cùm in oculorum affectionibus Medici plerunque catapotia seu pillulas lucis, ut appellant, aggregativas, cochias & similes, quibus etiam ante M. S. est usa, præscribant, ne quid temerè fiat moneo. Habēt enim istæ pillulæ fortissima medicamēta purgantia, colocynthidē, turbith, scāmoneā & alia rusticis potius, quā nobilibus personis, qui rectam victus rationē tenere possunt, exhibenda. Ac præcepti Platonis qui violentis istis medicamentis corpora temerè movenda non esse in Tymæo admonet, Medicos velim esse memores, & Hippocratem imitari, qui amicum & familiarem suum Demetrium helleboro, & similibus purgari noluit, atque ad Cratevam scribens, incertam conjecturam

Medicorum, qui purgantibus medicamentis cautè non utuntur asserit, vixque ullum medicamentum reperiri, quod dum corruptos ac pravos humores educit, non simul bonos elidat, & aliquid de viribus & substantia corporis auferre affirmat. Itaque & Auic. inquit: Naturæ laboriosum esse Medicinas etiam non venenosas assumere. His cogitatis, Medici qui curam S.M. gerunt, diligentem operam dare debent, ne dum uni membro mederi student, universum habitum corporis labefactent. Proinde si fortè hoc fiet, quod futurum non arbitror, ut oculi gravioribus fluxionibus opprimerentur, atq; laborarent, catapotia, sive pillulas mastichinas de aloë lota, vel aloë & mastiche exhibere satis esset, cautione tamen adhibita, ne aloë nimium orificia venarum aperiat. Diversiones fiant affixis cucurbitulis humoris, exulceratione brachiorum ad cubitum lixiuio fortiori vel vesicatoriis. Hæc si S. M. non ferret, frictiones substituendæ. Dolor autem isto modo sedabitur. Detrahatur pellicula interior ex leporinis auribus, eaque imbuatur lacte muliebri bono ac recenti, ac madida oculis clausis aliquoties applicetur. Noctu vero palpebræ, & totus oculus, maximè, ad angulos & extremitates leniter inungatur isto unguento, cujus mirificam efficaciam expertus sum, & pro secreto habui. Accipiatur butyrum, si haberi potest, mense Majo factum, aut aliud recentissi-

mum

mum diligenter elotum, vel loco illius medullam bovinam è cruribus, vel cervinam, atque huic admiſceatur lapidis calaminaris in tenuiſſimum pulverem triti, quantum accipere poterit, atque, ut dixi, hora decubitus applicetur. Repeti autem aliquoties noctu inunctio iſta poteſt, ſi præſertim dolor vehementer urgeat. Mane abluitur aqua roſacea & feniculi, in qua particula pomi dulcis ſit decocta, vel ſi oculi exulcerati ſint, ſemen fænugræci cum aloe.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM VI.

In ſuffuſione oculorum ex conſenſu oris ventriculi, cum dentium ſtupore, pro quodam Ludimoderatore.

QUÆRIS de affectione quadam, quæ per vices te invadere, & corripere ſoleat, & in ea conſilium meum expetis. Sanè cùm omnia indicia & ſymptomata diligenter expendo, quæ tute commemoras, aliud quod dicam non reperio, quàm illud eſſe πάθος, quod Medici ὡς ὑπόχυσιν τινά, ἢ ὑπόχυματι, hoc eſt, veluti ſuffuſionem quandam (ne quis propriam hanc, & veram me ſtatuere ſuſpicetur) ex conſenſu oris ventriculi nominant, oculorum enim ἰδιοπάθειαν, ſive primarium affectum non

esse, satis ex eo constat, quòd uterque oculus simul eodem modo molestatur, sed non alter duntaxat. Item, quod subito hoc malũ accedit, & recedit ac deniq; quod aliũ affectum stomachi nimirùm morsum, & ceu convulsionem quandam, ut scribis, consequitur. Quamobrem ratio & methodus ipsa postulat, ut parti mandanti, nempe ori ventriculi primùm atque potissimum prospiciamus. Videtur enim hoc natura sua esse imbecillius, adeoque ἀναίσθητον ut facile à quovis humorum acrium præsertim & mordacium affluxu tentetur, hancq; deinde affectionem suam per vaporum ascendentium nubem oculis, quibus cum ipsi consensus intercedit occultus, communicet. Hîc igitur suaserim ego primùm ventriculum leniter, & familiari quodam medicamento per intervalla sæpius purgari, utpote, hiera illa vocata simplici, aut picra, quam Galenus noster in hoc casu mirifice commendat. Mox roborantia quædam adhiberi possent, quæ astringendi vim haberent, & ventriculo non adversa essent. Quorum materiam Medici vestrates facile tibi suppeditabunt: Non decet me hac in parte πολυπραγμονεῖν, illisque temere præjudicare. In victu seu diæta ea servetur cautio, ut boni nutrimenti cibus assumatur, & vitentur calidiora, acria, item mordacia, & vaporosa, quæ nimirum ori ventriculi molesta sint, & inde ad caput sese prompte effundant. Oculis ipsis nolim te quic-

quicquam extra admovere, cùm ipsi per se nihil (nisi fortasse ex tam frequentibus incursionibus aliquam labem contraxerint, quod ἡ αὐτοψία optime ostendet) patiantur, & metuendum sit, ne hac ratione imbecilliores reddantur, & ad suscipiendum id, quod è ventriculo subinde transmittitur magis idonei: quod autem post lotiones calidas crebro contingere hoc πάθος affirmat, ideo accidit: quia capite concalefacto humores funduntur, attenuantur, atque in vapores & halitus resoluuntur, qui promptius deinde caput petunt: imo ab eo etiam attrahuntur. Aut igitur omnino lotiones ejusmodi vitandæ, aut ita attemperandæ erunt, ut iis herbæ incoquantur, quæ nonnihil repellendi & astringendi facultate sint præditæ, puta, rosæ siccæ, folia salicis, pampini vitium flores nympheæ, borag. violarum, & aliæ consimiles. Hæc mea est sententia, de qua cum aliis medicis vestratibus, qui tibi præsto sunt, conferre poteris, ut animi calculo, quod optimum est, eligatur. Dentium stupor, si ab affluxu humorum fit, ut scribis, is quidem ceu causa continens & fovens affectum, ante omnia inhibendus est, seu revellentibus, seu derivantibus, seu evacuantibus etiam. Postea roborantia usurpanda in forma dentifricij, aut collutionis oris, sive gargarismatis. Symptomati ipsi, nisi sublata causa cesset, occurrendum commansu portulacæ herbæ, aut seminis, item

amygdalarum, aut avellanarum cum corallorum rubeorum pulvere. Prodest & medulla panis calidi, itemque caseus recens assus similiter usurpata. Verum hæc omnia à vestris commodius perdisces. Ego nihilominus meo officio, & tuæ voluntati, quantum licuit, satis facere conatus sum, id quod gratum tibi accidere patiêre. Vale

PETRUS MONAVIUS,
Med. Cæsar. &c.

CONSILIUM VII.

In fluxu sangvinis narium, pro quodam Illustri Domino;

Cum sit moderatus, à dolore capitis, & aliis affectionibus liberat. Itaque nequaquam impediendus. Cùm autem præter naturam immodicè fluit, revulsionibus, diuersionibus, remediis astringentibus, & à proprietate quadam sangvinem reprimentibus sistitur. Rationem diversitatis, & revulsionis per sangvinis missionem, cucurbitulas, ligaturas non necesse est, docere. Quidam compressionem, quæ fit in curuatione vehementi digiti minimi in dextra manu, si ex dextra nare fluat, vel in sinistra, si ex sinistra, reprimi censent, aliqui arctius digitum istum serico rubro ligant, sed hoc remedij genus, ubi vel magna intemperies est in sangvine, vel venarum mala compositio parum

parum profuturum videtur, nisi intemperies videlicet, caliditas nimia, vel tenuitas sangvinis tollatur, vel anacollematis, quæ naribus imponuntur, raritas venarum emendetur. Sunt autem valdè multa ejusmodi medicamenta, sed lapis, qui in capite carpionum reperitur, tritus, & in pollinem redactus, præsertim si cum lanugine, quæ in malis Cydoniis hæret, applicetur, inprimis commendatur. Item herba atque radix fragorum axillis subjecta, vel collo appensa. Radix etiam ista, & lapillus carpionis in ore teneatur, sed in fervore sangvinis aquam fragorū bibere, & genitales partes aquæ frigidæ, cui acetum admistū sit, imponere, & cum aqua fragorum sangvinem qui effluit lamina ferri candente exceptum, & pulverisatum assumere, vel pulverem istum cum pulvere lapidis carpionum mixtum ut dixi, imponere rectius est.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM VIII.

In dolore, & vermibus dentium, nec non gingivarum putredine pro quodam Generoso Domino.

DOLOREM dentium maximis tormentis posse annumerari Celsus noster ait. At

cum hic S.G. graviter excruciaverit paulò diligentius non modò præservatio; verum etiam curatio considerandа. Dolent autem dentes, vel propter flatulentum spiritum, inclusum ad radices eorum qui quidem dolor ex decocto herbarum calidarum cum vino, item theriaca dissoluta cum vino, & calidè adhibita facilè tollitur, etiam interdum sine ullo auxilio spontè remittit, aut propter calidorum humorum affluxum, quibus cùm admiscentur frigidi, dolor quidem minus vehemens est, sed quædam intervalla quasi habet, sæpè tamen recurrit. Ista autem miscella humorum (sicuti etiam in podagrico dolore accidit) facit ut interdum remedia probatissima malum non tam mitigent, quam augeant, nisi Medicus probè naturam humorum, à quibus dolor excitatur, cognoscat, & ad affectionem præsentem remedium contemperet. Accedit altera causa, quod in hoc malo, sicuti in cæteris omnibus, quæ à fluxione pendent, ea remedia, quæ in augmento valent, jam consistente fluxione nihil prosunt, multo minus ista in principio conveniunt. Id cùm non animadvertunt imperiti, sæpè à suis experimentis (nisi ea sint narcotica, quæ semper dolorem tollunt, verum nunquam sine noxa illius partis, quæ dolet vel vicinæ) falluntur. Itaque nisi admodum calidi sint humores, initio rectissimè adhibemus collutiones ex ligni guaiaci decocto, cum corticibus

ticibus ligni quercini, & radice prunellæ hoc modo:

℞ *Limatura Guaiaci* ℥ij.
Cortic. interior. virid lig. quercini,
Rad. prunell. an. ℥j.
Aq pura ℔ iij.

Decoq. ad ℔j. consumptionem. Vel accipiatur limaturæ cornu cervi, ex ea parte, qua capiti adhæret ℥j. Decoquatur in vino rubro austero & styptico. & teneatur calidè in ore. Ut verò affluxus materiæ cohibeatur, suturæ coronali seu vertici capitis sæpè pulvis sequens utiliter, humectata prius cute aqua rosarum, aspergitur.

℞ *Rosar. rubear.*
Myrtill.
Corall. rube. an. ʒj.
Mastich. ℈ß.
Misc. f. pulvis.

Si hoc modo fluxio reprimi, & dolor sedari non poterit, decoctum verbenæ adhibeatur, ut fomententur eo dentes dolentes, vel hoc remedium, quod in mista materia valde efficax est, applicetur: Accipiatur spiritus vini, & cum eo commisceatur pulvis vitri, & intincta bombace dolenti loco applicetur, aut cavitati dentis imponatur. Si materia est paulò frigidior, quod diuturnitas doloris indicat, mirifico successu usus sum isto pulvere: Accipiatur pyrethri pulverisati pars, caryophyll. pars media, affundatur spiritus vini, & eo madefiat linteo-

lum duplex ad latitudinem loci dolentis, atque superponatur. Valde enim extrahit materiam pituitosam. Repetendum autem hoc est sæpe donec remittat cruciatus. In declinatione nullis opus est remediis, nisi ad firmitatem dentis, vel propter remedia adhibita quis eos decocta guaiaci, salviæ, lupuli, velit colluere. Cæterum ad præservationem commendantur ea, quæ astringunt. Inprimis verò æstate prodest medius cortex ligni; è frutice berberis, si aquæ imponatur, eaque horis matutinis os colluatur, sordes etiam non modò dentium; sed etiam quæ secundum aures sunt, abluantur. Hyeme verò aqua destillationis salviæ, vel vinum hac dilutum, aut in qua flores rorismarini fuerint macerati convenient. Ac hujusmodi collutionibus non tantùm dẽtium, seu capitis, atque catarrhi causa velim S.G. potius, quàm vino simplici uti, quod certè, præsertim cum catarrhus est molestus, sicut raro molestus esse desinit, commendari nequit. Inter omnia vero, quæ dentes præservant à putredine, & dealbant, maximè commendatur oleum vitrioli, si cum aqua misceatur, cùm putæ & integræ carni sit innoxium, & corruptam saltem tollat. Vituperant autem multi illud, quia verum illius usum ignorant, qui vero eo uti sciunt, feliciter in magnis morbis, non tamen omnibus adhibent. Eadem enim vi, qua camphora, propter partium tenuitatem prædita est, & cum

refri-

refrigerantibus datum refrigerat, cum calefacientibus eorum calorem auget, atque universi corporis substantiam minori noxa, quàm camphora, quæ humido radicali inimica est, permeat. Ejus tamen usum non nisi maxima urgente necessitate in S.G. admitterem. Hæcque ideo à me referuntur, ne S. G. cum iis, qui vim olei vitrioli ignorant, in universum damnandum putet, aut dentibus etiam non posse adhiberi existimet. Nam gutta una, vel altera saccharo, vel melle rosaceo admista mirificè deterget dentes, & gingiuas putridas cum ulceribus oris plurimum juvat. Affirmant quidam dentes cadere, si corosorum cavitati radix Hyosciami imponatur, quidam eundem affectum radici asparagorum siccatæ adscribunt, sed de hoc nihil certe possum affirmare; nunquam enim feci periculum, cùm dentes, quos senium tandem nobis aufert, conservandos potiùs, quàm evellendos putarim. Mobiles autem dentes firmiores reddit ista collutio.

℞ *Rosar. rubear.* m. j.
Cornu cervi usti ℥ij.
Cortic. granat.
Serpentar.
Gallar. an. ℥j ß.
Rad. tormentill. ℥ij.
Alumin. usti ℥ß.
Nucis condit. ℈ij.

Cortic.caßia lignea ℥j.

Coq. in lib. j. ß. aquæ plantaginis, & teneatur in ore si nigredinem dentium veremur, cortex granatorum, gallarum & tormentilla omittantur. Confirmat etiam dentes hic pulvis.

℞ *Corall. utriusque* a. ℥ij.
Mastich.
Tragacanth.
Gummi arabici. a. ℥j.
Misc. f. pulvis.
Ad putredinem Gingivarum;
℞ *Fol. salviæ recent. benè mundat.*
Aluminis usti.
Oßium mandibul. lucij ustor.
Myrrha rubr. a. ℥jß.
Mellis q. s. Misc.

Si putredinem hæc non removerent, addatur una vel altera gutta olei vitrioli, & fricentur benè gingiuæ. Dentium vero vermes decoctum corticum fraxini interimit. Item: decoctum radicum urticæ, quod etiam dolorem dentium tollit. Item suffumigium ex semine porrorum per infundibulum transmissum. Sæpe ut in gravidis mulieribus propter corruptos vapores è ventriculo ascendentes, dolores dentium, aliquando oris affectiones oriuntur, quæ non curantur nisi sublata causa, videlicet materia corrupta vomitu è ventriculo rejecta. Sed collutiones tamen istæ prodessent:

℞ *Rasura*

℞ *Rasura cornu cervi* ℥j.
Corall. rubeor. ℥j
Rosar. rubear.
Fl. rorismarini. an. p. j.

Coquantur in libra una vini & eluatur os. Hæc collutio ad præservationem doloris dentium plurimum facit.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM IX.

In casu columellæ, seu uvulæ, pro quadam Illustri persona.

INTERDUM columella plena humoribus elongatur, & ita delabitur, ut transmissionem cibi in stomachum impediat. Accipiatur in hoc casu ovum recens assatum, & per medium scindatur, unaque medietas calida imponatur vertici, vel suturæ coronali, vel fiat hoc quod fortius exiccat, contundatur medulla nucis juglandis cum spiritu vini, & suturæ coronali imponatur. Gargarismata non conveniunt, quia materiam attrahunt; sed si adest inflammatio, collutio ex decocto radicum sonchi seu taraxaci, item aqua prunellæ laudantur. Si nulla est inflammatio decoctum myrtillorum, rosarum in ore detineat, vel hoc quod sequitur:

℞ *Decoctionis salviæ.*
Hissopi an.℔ß.
Alumin. saccharin. ℈j.
Diamor. ℥j.
Mellis rosar. ℥ß. Misc.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM X.

In pectoris affectionibus, atque tussi, pro quodam Magnifico Domino;

UT sternutatione cerebrum, vomitu ventriculus expurgatur, ita pulmo, cùm vel in superiorem partem, sive illius meatum & fistulam, quæ aspera arteria dicitur, materia à cerebro illabitur, & intus collecta carni pulmonis molesta est, ad expulsionem illius insurgit. Si materia tenuis ex capite in eam incidit, in ore tenendi sunt orbiculi albi vel rubri, quas Becchias vocant. Becchiæ albæ à nobis conscriptæ constant, ex speciebus Diatrag. frigidi sine camphora Rubris additur bolus. Sunt etiam isti orbiculi M.S. antea à me ordinati;

℞ *Gummi Tragacant.* ℥ji.
Arabici ℥iß.
Amyli ℥ß.
Succi glycyrrh. gr. x.

Sacchar.

Sacchar. cum mucillagine dissol. ℥vj.
Misc. f. conf. in rotulis.

Verum si admodum tenuis catarrhus fuerit Diacodio est utendum. Ejus verò loco M. S. hanc confectionem adhibere velim:

℞ *Papauer. albi* ℥ij.
Sacch. in aq. rosar. in quâ macerii ℈ ij. *prius ebulliant, dissoluti* ℥ij.
Misc. & f. confectio in orbiculis.

Etiam solum gummi Arabicum in ore detentum adiumento est. Cùm verò pars aliqua catarrhi jam in pulmonem & pectus dilapsa est, ne vel putrescat, vel concrescat, atque induretur, sicuti in D. Ferdinando Imperatore accidit, opera danda est, & initiis obstandum. Adjuvant autem cùm recens est malum lenissima medicamenta, quale est decoctum raparum hoc modo paratum: Mundatis & scissis rapis affundetur aqua, cùmque semel vel bis ebullierint, ea abjecta alia affundatur, & probè rapæ coquantur, jure per linteolum expresso, adjiciatur, sacchari candidi, & butyri, vel ol. amygd. dulcium recentissimi q. s. Eclegma etiam ol. amygd. dulc. & saccharo penidio conuenit, sed in horum usu moderatione & circumspectione quadam opus est, ne dulcia ista, dum in ventriculo morantur, in bilem transeant, vel in epar rapta obstructiones pariant. Videmus autem propter nimis frequentem usum elegmatum eos, qui pectoralibus morbis laborant,

interdum in hydropem incidere. Minima enim pars istorum medicamentorum ad pulmonem, maximè ad ventriculum & epar delabitur. Proinde tutissimum est, vel iis, quæ sunt quasi cibus, vel orbiculis, qui lentè in ore dissoluuntur, uti. Gargarismata etiam in materia calida non sunt omittenda, ex aqua rosarum cum syrupo violaceo, vel hoc:

℞ Furfurum tritici, à quibus farina omnis est remota ℥j.
Aq. hordei ℔jß.
Ebull. & add. aquæ Rosar. ℥iij.
Syrupi è violis ℥ß. Misc.

Ubi verò materia partim est tenuis, partim crassa, convenient isti orbiculi, à me quoque prius S. M. ordinati:

℞ Sp. Diatrag. frigid.
Diapenid.
Diaireos an. ℥ß.
Sem. frigidior. major. a. ʒij.
Pul. glycyrriz. ℥j. *vel quod melius est,*
Succi glycyrriz ʒj.
Sem. Vrticæ.
Papaver. a. ʒjß.
Helenij ʒij.
Misc. cum sacchor. q. s. f. compositio in rotulis.

Si materia esset frigida, orbiculi illi possunt inungi ol. amygd. dulc. recent. cui gutta una olei anisi sit admista. In materia autem crassa & frigida conveniunt, Diaireos simplex, Diai-

reos

reos Salo. Ego simplicibus, quàm compositis uti malim. Admonui autem antea de retentione nucis Muscatæ in ore, quæ pani involuta sub cineribus coquitur, & in vertigine convenit. In corpus verò sumptum plurimum prodest decoctum Calami aromatici hoc modo:

℞ *Calam. aromatic. incis.* ℥ß.
Aqua puræ ℔jß.

Decoquantur ad tertiæ partis consumptionem, & addatur sacchari candidi ℥j. rursum ebulliant, deturq; colatura. Hanc quoq; sequentem mixturam memini S. M. Pragæ profuisse.

℞ *Syr. de violis. vel propter majorem abstersionem, Mellis rosacei* ℥j.
Extracti calam. aromatic. gutt. iij. Misc.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c

CONSILIUM XI.

In diuturna tussi, asthmate, & tabe, atque ad phthisin dispositione, pro quodam Nobili Iuvene;

POSTQUAM M.T. cupit, ut conditionem adversæ valetudinis Nobilis juvenis, cognati tui, scriptis explicem, nimirum ut intellecta à Parentibus suis morbi qualitate, maturius valeant illius sanitati consulere, cupiens

M.T. quantum in me est, rem gratam facere, conabor pro modulo virium meaum eidem satisfacere. Accidentia ergò de quibus nunc conqueritur, tria potissimum esse deprehendi, videlicet, tussis diuturna, quæ anno ab hinc quinto eum molestare incepit, anhelitus difficultas, & totius corporis extenuatio. Quorum primum impedimentum est, ne vel die quiescere, vel nocte benè dormire possit. Alterum verò, ne pro ejus desiderio quocunque incedere, aut alio quovis modo corpus exercere valeat, siquidem cum paululum ambulare, vel scalis ascendere tentat, adeò spirandi difficultate capitur, ut spiritum trahere vix posse videatur. Tertium autem ne reliquæ actiones probæ fiant, ex quo vires omnes, propter alimenti defectum, imbecilliores redduntur, non parum obest. Traditæ igitur à Galeno, primo de locis affectis methodo insistens, cùm spirandi functionem, quæ ab animali facultate, procedit, ita læsam esse perpendo, ut ad eam perficiendam, non solum thoracis, & intercostales musculi sed etiam præcordia & scapulæ moveri cogantur, non possum non suspicari, id accidens ob viarum spiritus angustiam proficisci. solet quidem spirandi difficultas interdum contingere, quando propter nervorum, ad pectoris musculos devenientium obstructionem animalis facultas impeditur, quo minus pro necessitatis ratione pectus movere possit, quemadmodum

admodum in vehementi apoplexia facillimè conspicitur, verum quod ab hujusmodi causa talis spirandi difficultas non fiat, evidentius est, quàm ut demonstrari egeat. sed neque etiam rationi consonum videtur, ob virium imbecillitatem, vel exuperantem cordis aut pulmonis calorem eam fieri, quandoquidem imbecillæ ejus vires, tam longo tempore sufferre non valuissent, nec immodicus ille viscerum calor tàm diu perseverare potuisset, utpote cùm pulmonis inflammatio, vel erysipelas, & vehementes cordis calores in acutorum morborum numero reponuntur. Reliquum est ergò asserere eam spirandi difficultatem ob angustas anhelitus vias excitari, id quod indicium ab excrementis sumtum satis jam confirmat. nam excrementa non pauca, alba quidem & crassa, & partim purulenta, tam die, quam nocte per tusim, cum sonitu quodam in pectore expurgatur, ut quicunque eum tussientem audiunt, facilè judicent ex infimo ferè pectore ea duci; quinetiam rectè animadvertentibus constat, eam magnæ respirationis in eo esse differentam, quæ non ob multam inspirati aeris essentam, sed propter dilatationis à thorace proficiscentis magnitudinem duntaxat procedit. Ex prædictis itaque indiciis evidenter apparet, affectam sedem esse pulmonem ipsum vero morbum inter instrumentales numerandum, qui ad meatum, vel etiam numerum pertinent.

Nunquid autem præter obstructionem soluta quoque sit ejus unitas, nec ne, merito suspicari quis posset : potissimum , quia sputum illud album , crassum & ex parte purulentum , & cujus pars in aqua descendit , ulceris alicujus indubium est indicium , sed utrum in pectore , aut pulmone , vel in aspera sit arteria , ex reliquis signorum differentiis, hoc dignoscere oportet. etenim cùm neque in pectore , aut collo, vel gutture dolorem aliquem percipiat , neque etiam pleuritis, vel pulmonis inflammatio præcesserint , verisimile est ulcus illud, neque in pectore, neque in aspera arteria, aut aliis gutturis partibus consistere. Constat item in suppuratorum numero, nequaquam connumerari debere, quoniam suffocationis pericula ij maximè sunt obnoxij, & imbecilles necessariò vires habent , atque ideò tam diu superuiuere non potuisset. Non alienum ergo videtur existimare, pus illud pituitæ admixtum ex pulmone provenire, cujus etiam rei fidem nonnihil auget , ipsa sputi quantitas, non quidem tam copiosa, ut in suppuratis sed neque adeò modica , ut ex ulcere asperæ arteriæ , vel pectoris egredi consentaneum foret. Accedit ad hoc nullius doloris sensus, qui talem in pulmone affectum esse declarat, ut pote cùm parvam sentiendi vim ei natura tribuerit, nec nisi per tenuem membranam ipsum continentem sentiat. Animad-

vertu

verti quoque sinistram maxillam post prandium multo rubicundiorem altera extitisse, quarum rubedo, etsi proprium peripneumoniæ sit inditium, nihilominus cùm nulla de inflammato pulmone nunc sit suspicio, nimirum si certius aliquid supra alium quempiam pulmonis affectum, quam alterius cujuscunque patientis particulæ judicare potest. Quòd autem illa corporis extenuatio propter alimenti defectum, & extranei caloris præsentiam fiat, hinc conjectari licet, siquidem ex caloris arteriæ sensu, duritie & frequentia constet, cor calidius esse quàm naturalis ejus conditio postulet, arbitror autem extraneum illum cordis calorem, idcirco auctum fuisse, quod non satis refrigerari potuerit, præsertim cum majoris refrigerationis necessitas, ab intrinseca quadam causa fomentum caloris continuè præbente subcreverit. Etenim quòd multi & crassi humores in viis anhelitus contenti, aërem ingredi prohibentes difficilem spirationem efficiant, id à nemine in dubium verti posse existimo: sed neque rationi dissonum videtur putridos & calidos vapores à pulmonis ulcere prodeuntes vicinum cor assiduè calfacere; & quia hi non multi sunt, quoniam nec ulcus est magnum, nec corpus multis repletum humoribus, haud mirum videri debet, si lenta quædam febris potius, quam ardens subsecuta fuerit, quæ humiditates corporis depascens, macredinem illam

efficit. Cæterùm præstat etiam causam inquirere, quæ ulcus illud primo excitavit, cujus cognitio non solùm ad præsagiendum, verum etiam ad ulceris curationem multo utilior & necessaria erit, præsertim si causa illa adhuc perseverare inveniatur. Nan si externa (quam προκαταρκτικὴν vocant) tantummodo fuisset, nulla curativa indicatio ab illa sumeretur. Ergo cùm nullum ab externis rebus senserit in pectore nocumentum, siquidem neque ab alto ceciderit, nec sub gravi pondere oppressus, aut alio quovis modo contusus, vel vulneratus in ea parte fuerit, nec vas aliquod in pulmone disruptum, rationabile est, ulcus illud ab erosione ortum duxisse, quam humor aliquis mordax, sive is acris, sive salsus, aut amarus tunc fuerit, à capite ad pulmonem defluens, excitavit, id quod biliosa ejus temperatura, & juvenilis ætas, 20 annorum, ac cerebri caliditas & humiditas abundè ostendunt. Ea enim cerebri temperatura excrementis abundat, & distillationibus est obnoxia, quod si bilis aliqua pituitæ admisceatur, mordaces defluxus facilè generantur, quorum natura est mollia membra erodere, & ulcerare, & quamvis subtilior quoque sangvis venarum tunicas exedere sit aptus, non est tamen suspicandum, id ulcus ab hac causa fuisse factum. nam rubicundi & spumosi sangvinis copia, cùm tussi effluxisset, nec tam facilè sine remediis supprimi, aut inflamationis periculum

culum vitari potuisset. Cùm autem paucam sangvinis quantitatem aliquando expuerit, idque interpolatis tantùm temporibus, verisimilius videtur, ob defluxum mordacis alicujus humoris ad pulmonem, erosionem aliquam in eo non magnam factam fuisse, cujus pravitatis indicium est, modicus ille sangvis, qui cum aliis excrementis expuitur, illa vero cum plura sint, quàm quod pulmo per diminutam concoctionem generare possit, non est ambigendum, ea aliunde, nempe à capite defluere. Sed quam ob causam sangvis ille non semper exeat, nisi per intervalla, dignum est inquisitione. nam probabile videtur, eum non antea supprimi posse, quàm venula illa, ex qua effluit, glutinata sit. At vero si defluxus ille perpetùo durat, quomodo uniri poterit? Proinde arbitror eum defluxum non ita mordacem nunc esse, ut in principio fuit, id quod copiosus ille ex naribus sangvinis fluxus, quem jam pridem habuit, evidenter ostendit. Par est enim ob multam subtilioris, & mordacioris sangvinis copiam profluvium illud evenisse, quod cùm adeo exuperaret, ut sangvis vix supprimi potuerit, non mirum, si universus corporis habitus quodammodo refrigeratus fuit, & jecoris caliditas remissa, quamobrem acrimonia illa in sangvine, non ita exuperat, nec excretiones per sputum salsæ, aut amaræ, vel acres apparent. Atque hinc factum arbitror, ut quia nec sangvis tam

ſubtilis eſt, nec defluxus tam acris, ſed humores illi defluentes inſipidi potius ſunt, & propterea obſtruere magis, quàm exedere apti, vena inſuper illa eſt exigua, nullo adhibito remedio ſangvis ſupprimatur. At verò quando per vehementiorem tuſſim, pulmo maximè movetur, nihil mirum ſi aperta rurſus vena aliquæ guttulæ ſangvinis exeant, tuſſi deinde paululum ceſſante ſponte etiam fluere deſinant. Igitur (ut totius inquiſitionis ſummam ad pauca perſtringam) hactenus conſtare arbitror, concoctricis cerebri facultatis imbecillitatem, quæ ab intemperie calida, & humida ortum duxit, & humorũ acrimoniam, quib. craſſities interdum acceſſit, primas fuiſſe prædictorum ſymptomatum cauſas. Humorum enim à capite ad pulmonem defluxus, tuſſim excitat, eorum vero multitudo & craſſities, ſpirandi difficultatem efficit, velut acrimonia & mordacitas, mollem viſceris ſubſtantiam eroſi. Cùm autem propter continuum illum à capite defluxum, & aſſiduum pulmonis motum, ſoluta viſceris unitas glutinari, & humiditates in ea contentæ exiccari nequiverint, hinc factum eſt, ut humiditas eroſo in loco conſiſtens à vicini cordis calore alterata putreſcere inceperit, & aliorum putreſcentium more vapores acres procreaverit, qui liberum exitum non habentes, ipſum cor aſſiduè calefacere, & exiccare cœperunt, unde propter indeſinentem eorum exhalatio-

lationem longo jam tempore perseverantem calidiorem & ficciorem habitum cor contraxit, eumque reliquis membris pariter communicaverit. Verùm illa calidior & ficcior membrorum intemperies, non solùm melioris nutritionis non est causa; sed quo minus nutriri corpus possit, non modicum impedimentum affert, dum humiditates ex nutrimento genitas depascit, atque ad hunc modū totius corporis extenuatio necessario subsequitur. Evidenter ergo apparet, quod in isto Nobili juvene multiplices sunt affectus, qui varias, & invicem contrarias curativas indicationes obtinent. Quia vero M.T. etiam scire cupit, an possibile sit eorum indicationibus satisfacere, dicam brevibus, quod sentio. Sanè cùm morborum diuturnitatem, & in admovendis ulceratæ particulæ remediis difficultatem, vitalis insuper, & animalis facultatis robur non admodum validum esse perpendo, non modicum impedimentum mihi objectum video, quo minùs pro desiderio meo valeam jucunda præsagire. Nam ut cæteros affectus nunc omittam, qui non tam facilè submoveri possunt, de pulmonis ulcere, cum quo cavitas & sordes, & fortasse mala quoque intemperies junctæ sunt, dumtaxat mentionem faciam. In cujus curatione (si præscriptæ à Galeno Methodo parendum est) utique ab his, quæ rationem habent causæ, sine qua alij affectus curari neque-

unt,curationem incipere oportebit. Cùm ergo ulcus cicatrice obduci nequeat,inprimis cavitas fuerit carne impleta,nec caro probè generari,nisi sordes subinde amotæ, & intemperies, (si quæ est) alterata sit,ad quam major excrementorum copia propter membri imbecillitatem generatur. Hæc autem omnia difficulter, (ne aliquid majus dicam) præstari possunt, quia crassi & viscosi humores in spiritus viis contenti,extenuantibus quidem & incidentibus,sordes autem abstergentibus medicamentis egent,quę præter id,quod tussim movent,& glutinationem prohibent, etiam affecto loco, magna cum difficultate admoveri possunt: excrementa insuper non nisi per tussim, in qua pulmo vehementer commovetur (licet quiete egeat) educi nequeant. Jam satis superque constare arbitror,quanta sit curæ hujus difficultas. Quia tamen nonnulli fuerunt, qui opportunis remediis usi, & servata decenti victus ratione, vitam suam in aliquot annos, ne dum menses produxerunt. Idcirco cùm adhuc juvenis sit, nec dum alicujus medici curæ se submisit, eum hortor, ne diutius valetudinem suam negligat, quin potius eam sapienti ac diligenti aliquo medico committere, idoneum insuper habitandi locum, australi vento minimè obnoxium, & astantem medicum sibi adiungere suadeo, qui pro rei exigentia remedia variare possit. Hæc pauca
ad

ad explicandas propositorum symptomatum causas existimo M. T. sufficere. Nam rationalis medicus quilibet, multa ex his paucis facilè colligere poterit. Curationis autem modum non describo, quia M T. tantum ægritudinis illius naturam ex me intelligere cupit: illum alioqui describere non recuso, si id me facere imperabit, cui me plurimum commendo & offero.

JOH. PETRUS MERENDA,
Ferdinan. Rom. Reg. &c. Phys.

CONSILIVM XII.

In cordis palpitatione, pro quodam Magnifico Domino.

DE hac affectione meam sententiam antea copiosè exposui. Semper autem animadverti, non alio tempore S. M. ea laborare, quàm cum cruditatibus & flatibus abundat. Oriri vero illam à flatibus, quibus cor obsidetur, illius natura & curatio demonstrent. Nam ut in reliquis cavitatibus, dum flatibus complentur, eosque natura expellere conatur, palpitationem videmus, ita & cor si à vaporibus crassis obsessum fuerit, tremulo quodam motu afficitur, & tanquam ingressum hostem formidare aut expellere cupiens, modo dilatatur

modo contrahitur, interdum spiritus quasi intercipitur. Deinde quod S. M. adjuvatur inunctione olei ex aqua stillatitia Lavendulæ collecti, cumque id sit calidum, frigidam esse morbi causam ostendit. Itaque cùm S. M. ex illis, qui autoritatem Galeni de vitæ spacio afferre non dubitarunt, intellexerit, quo in discrimine propter hanc affectionem insequentibus annis versetur, ut vitet cruditates, & omnia vaporosa crudaque à mensa dimoveat, inprimis vero varietatem ciborum, cancrorum esum, post quorum frequentiorem usum aliquoties S.M. laborasse memini, vitet, Nam si (quod propitius Deus avertat) syncope, hoc est, præceps virium lapsus accederet, nullus Medicinæ, quantumuis præstantis locus futurus videretur. Galenus scribit omnes attenuante victus ratione, & phlebotomia adiutos, nullum tamen eorum senectam magnam consecutum, sed Christianos illud Psalmi tenere oportet:

In manibus mea vita tuis, mea tempora vitæ.

Ego duos quinquagesimum quintum annum attigisse memini. Cumque in S. M. hoc malum causam externam, quæ cor & orificium ventriculi, quod cordi compatitur, primò affecit, habere existimetur, non fingo mihi graviora vero, nec propterea S. M. desertutus sum mei fati incertus. De victu vero attenuante, ac potiùs simplici (imbecilliores enim cibi (ut Hipp. ait) brevi tempore durantem vitam

tàm efficiunt) facile Galeno assentior. De phlebotomia verò cùm sangvis subinde per hæmorrhoidas excernatur, non possum nisi aliqua urgenté necessitate ad Galeni sententiam accedere. Ac cùm existimem non parvam, ac potius maximam causam huic malo descensum catarrhi suppeditare, totam præservationis rationem in vitãda cruditate, & catarrho cavendo colloco. De his autem quid fieri oporteat jã antea ostendi, & nunc quoq; moneo, ut ea quæ deinceps in affectionum ventriculi curatione & præservatione à cruditate allaturus sum, diligenter observentur. Ac si S.M. singulis diebus confectionibus ex oleis destillatis electariis, hyeme etiam Theriaca, vel mithridatica antidoto uteretur, multum adiumenti allaturas existimarem. Nam etsi calida ista esse videntur, & propter capitis & epatis temperaturam minus convenientia, tamen cum una atque altera gutta saltem magnæ sacchari in aq. rosar. dissoluti admisceatur, & calor illorum subito evanescat, ac in spiritum magis, quàm humorem transeat, ista, ut vocant, confortantia minus, quàm aquam Cinnamomi, epati obfutura existimo. Quotidiè autem cavendum est, cùm non modò singulis diebus, verùm singulis horis malum istud S.M. hostiliter aggredi possit. E regione vero cordis auro lato inclusum Saphyrum; vel Hyacinthum magni Medici

commendant. Ac etsi in his parum adjumenti quidam collocant, tamen observatio veterum, non prorsus nulla, aut contemnenda est. Astrictior etiam vestis circa ventrem & thoracem improbatur. Benè tamen ventriculus & pectus linteo veteri aspersa aqua lavendulæ, atque rursus siccato munienda, ne ulla frigida aura ad pectus penetret. Versari etiam in frigidiore aëre, præsertim ventis, atque imbribus minimè tutum. Pulmone enim refrigerato materia catarrhi in eo arctius retinetur, halitusque frigidi cor subeunt. Itaque peregrinatio hyberna in equo, vel vehiculo prorsus aperta minime tuta. Ac quid nuper mali attulerit, S.M. sensit. Decubitus etiam non parum facit ad præservationem, id quod S. M. in se observavit. Cum enim sinistro lateri incumbit, in hunc affectum plerumque incidit. Nocturnus aër prorsus vitandus, & cubiculo non admittendus: denudationes etiam corporis, vigilæ nimiæ, & potiùs frigida hora decubitus. De cibo victusque ratione monebo alio tempore. Ad curationem vero quod attinet, inchoante palpitatione quidam subito clysterem adhibendum censent. Verum S. M. parum profuisse memini. Itaque manus & pedes, ut fricentur moneo. Ac quo fuliginosa excrementa è corde pellantur S.M. tussiat, etiamsi tussis nulla urgeat. In ore etiam cortices citri, vel ceduariæ detineat ac masticet. Spiritum

tum fortiter trahat, quo magis ad cor qualitas penetret. Inungatur cor vel linimento usitato S.M. vel, quod magis penetrat, isto:

℞ *Axungiæ sive pingued. gallin. recentis ac aq. rosac. lotæ* ℥j.
Ol. cinnamo. ℈j.
Musci.
Ambræ a. gr. v Misc.

Nam axungiæ istæ magis penetrant, quàm Unguentum rosatum, aut, simile. Intra corpus verò S. M. sumat istam potionem, quam in multis, etiam cùm palpitatio à ventriculo, sicuti sæpè fit, vel aliis partibus orirerur, ad miraculum propemodùm conferre vidi:

℞ *Aq. borrag. è floribus diligenter in vase vitreo destill.* ℥v.
Syrup. de succo borrag. ℥j.
Iulep. rosac.
Aq. cinnamo an. ℥j.
Margarit. dissolut. ʒij.
Auri dissoluti ʒj. Misc.

Quæ sit margaritarum & auri dissolvendi ratio alibi ostendemus. Plurimi magnam spem in pulveribus cordialibus collocant, & multa miscent, verùm si volet S. M. illis uti in cibo, talis erit conveniens.

℞ *Margarit. splendid.* ℈iiij.
Saphyri.
Smaragdi præpar. a. ʒß.
Unicornu.

Cornu cervini.
Oßis de corde cervi a.℈j.
Lapid.Bezoar.℈ß. Misc.

In præservatione à peste potest addi ad pondus omnium terra sigillata, & in aqua margaritarum, paulò antè descripta, sumi, vel in emulsione seminum citri. Inprimis autem syncope cavenda. Nam cùm præceps virium lapsus ad cor debilitatum supervenit, in extremo omnis labor versatur, proinde sorbitionibus suavibus odoratis subinde vires instaurandæ, & omnia. quæ resoluunt spiritus, ut purgantia, balnea, (etiamsi alius affectus urgeat) vitanda. Quem enim casus sæpe transit, aliquando invenit, ut est in Senecæ tragœdia. Itaque cautè agendum.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XIII.

In ventriculi affectionibus, pro quodam Generoso Domino.

CUM materia catarrhi in ventriculum delabitur, sæpè inappetentiam, nauseam & vomitus conciliat. Quæ mala cùm S. G. nimis sint familiaria, sæpe admonui, ut vel tem pestivis exercitiis matutinis calor ventriculi excitetur, vel assumatur orbiculus unus cum ol cinnam.

cinnam. Garyophill. anisi, vel cum extracto galangæ, ligni aloës, calami aromatici facti, ita ut singulis diebus confectiones istæ varientur, ne uni natura assuescat. Hæ confectiones non solum ventriculo prodessent; verum spiritus cordis atque cerebri reficerent, neque unus orbiculus quicquam incommodi epati calido, cùm spiritus aromatum in spiritum statim abeat, afferet. Sciô autem hæc reprehensa ab iis, qui destillationes scire potius videri volunt, quàm sciunt, & eo morbo animi laborant, ut ægrotum potius in manifestum vitæ discrimen venire patiantur, quàm per illa medicamenta, quorum ipsi cognitionem non habent juvari: fato denique fatuitatem atque errata ac negligentiam excusari, verum non rixabor cum seculo nostro. S. G. delicatum quiddam ex saccha. rosato cum aq. cinnamo. in usu habet, sed si quid ego judico, hoc magis, quod plurimis profuisse memini, conveniet:

℞ Conser. rosar. ℔ß.
Borrag. ℥jß.
Sp. aromatic. rosat fideliter dispensat. ℥jß.
Tempore frigidiore addantur caryophill. incis. ℈iiij.

Quæso ut S. G. periculum de hac confectione faciat, & rectè, secusne monuerim ex re ipsa judicet. Hactenus autem ad incidendam & attenuandam materiam S. G. feliciter usa est isto oxymellite à me præscripto;

℞ *Aqua puræ* ℔ viij
Mellis puri ℔ ij.
Aceti acerrimi ℔ j.

Coquantur lento igne ad consumptionem ℔ iiij. semper despumando & clarificando albuminibus ovorum, ac postremo addantur aq. cinnam. ℥ iij. servetur in vase vitreo. Hoc pro fine, & pro oxymellite communi, quo S. G. antea est usa, nunc detur. Ad expurgandum vero ventriculum S. G. usa est, pillulis aggregativis & alephanginis. Aggregativas propter mirobalanos corruptos, scammoneam, colocynthidem, turbith probare non potuit. Itaque Pragæ Anno 1567. prius exhibitis syrupis ex decocto radicum cichorij ℥j. fenicul. petroselin. a ℥ß. in jure gallinæ macro, hanc compositionem ordinavi.

℞ *Aloës lota & succo rosarum aliquoties imbuta* ℥j.
Rhebarb. electiss. cum aq. cinnam. aspersi ℈iiij.
Extracti Rhebarb. ℈ß.
Agaric. recens Trochiscat. ℈ij.
Pul. Mastich. ℈ß.

Dissoluatur agaricus oxymellite, & omnia cum syrupo conservationis zinziberis misceantur, ac fiat massa. Aloen ideo in exigua quantitate sumsi, quod hæmorrhoides fluerent, cæterum succo rosarum non ita correxi propter temporis angustiam, nec Rhabarbari extractum ad manus erat, subduxerunt tamen ℈iiij. placidissimè quater. Vomuit quidem

S. G.

S.G. à prandio cum pluſculum cibi ſumſiſſet, ſed veſperi ſine ulla nauſea in cœna comedit, quod ſuperioribus purgationibus nunquam factum meminerit. Quievit ſua G. placidè nocte inſequente, neque mane quicquam mali ſenſit. Abluenda tamen inteſtina per clyſterem D. Parthinus cenſuit, quæ cum à prandio S G. imponendum curaſſet, ſeque aeri frigido expoſuiſſet, in deliquium animi incidit, & de ventriculo conqueri cœpit. Proinde tali unguento inunxi, ac ſubitò S.G. ſeſe melius habuit.

℞ Ol. noſtri ſtomachalis ℥j.
Nucis Muſcatæ ʒj.
Maſtich pulu. ℈j. Miſ.

Deſcriptio ol. noſtri ſtomachalis talis eſt,

℞ *Ol de abſinthio* ℔ß.
Summit. de abſinthio m j.
Caryophyll.
Santal. citrin a. ʒij.
Roſar. rubear. ʒj.
Macis ʒß.
Maſtich. ʒij ß.
Vini odorati ℔ ß.

Coquantur ad vin. conſumptionem, & æſtatis tempore collocetur in ſole, hyeme in loco calido. Ordinavi etiam non tunc, ſed alias, cum vomitiones moleſtæ eſſent, hoc ſcutum ſtomachale.

℞ *Ladani puri ℥iij.*
Mastich. ℥ij.
Ligni aloes.
Santal. citrin.
Galangæ.
Caryophyll.
Nucis Muscatæ aa. gr. vij.
Olei stomachal. & ceræ q. s. aspergatur speciebus arom. rosat. & obducatur sindone.

Prius tamen abluendum ventriculum post vomitiones, jure gallinaceo: in quo radices cichorij decoquantur, existimavi, & ut in prandio vel cœna solo contuso, cui panis aliquid tosti adderetur S.G. contenta esset monui. Factum est id aliquando, interdum omissum. Nam S.G. pleraque post primum somnum, vel sumta cœna vomuit. Id quod superiori proxima hyeme, cum S. G. victus simplicis rationem diligentius observaret, rarius accidit. Nequaquam autem vomitum impedire volui, nec impediendum unquam censui, cum à podagricis doloribus & renum affectione S.G. præservet. Cæterum cum aluus venticulo laborante in appetentia, esset fluidior, ordinavi hunc pulverem, qui S.G. plurimum profuit.

℞ *Panis albi tosti.*
Coriand. præpar.
Cinnamo.
Mastich.

Coral.

Corall.

Sacchar.

Sed communis descriptio est ista.

℞ *Panis albi tosti* ℥iij.

Coriand.praepar.℥j.

Cinnam.℥j.

Mastich.℈j.

Sacchar.℔ ß.*Mis.f.pulvis.*

Interdum pelliculorum stomachi gallinarum ℥j. addo,sed ita pulvis amaritudinem quandam contrahit. Unicum autem remedium affectionum ventriculi est abstinentia, bonæ valetudinis mater, ut Hipp. noster ait,aut certè temperatia & moderatio, quæ facit ut nutrimentum sit analogum, id est proportionatum calori natiuo. Nam cum ideo cibum & potum sumamus,ut id quod calore agente in nostrum corpus, tanquam igne in materia,quæ uri potest,absumptum est,restituatur, solidior substantia cibo, humidior potu opera danda, ut justa utriusque mensura tempestivè atque ordine adhibeatur, ne calor prægravetur potius, quàm foveatur,cruditasq; maxima sanitatis labes vitetur. Itaque prandii ac cœnæ primum justa tempora non modo statuantur, sed etiam observentur, nec cibo prius sumpto nondum cocto alius ingeneratur,condimentum cibi fames sit, non arte elaborata fercula. Famem conciliabit parcitas & detractio laborque tempestivè cibum præcedens. Hinc Alexander

Magnus, primus quàm se crapulæ dedisset, dixisse fertur se obsoniorum Artifices conmodus secum ducere, nempè matutinos labores ad condiendum prandium, ad cœnam vero prandij tenuitatem. Quæritur autem sæpe an cœnam prandio minorem esse debere, ac ne eam statim decubitus & somnus sequatur cavendum. De discrimine verò ciborum & iis rebus quæ ad sanitatem tuendam pertinent, pleni extant libri, & potius libri alii alios concipiunt & pariunt. Utinam verò paucis præceptis pareant Principes, & simplicissimum cibum salubertimum esse, ciborumque varietatem morborum varietatem & difficultatem afferre statuant. In carnium genere boum juniorum, vitulorum, hædorumque commendantur, veruecina tolerabilis est. Duræ, inveteratæ, frigidæ & parum exactè coctæ, etiamsi salubres sint, noxiæ fiunt, præsertim, si vel à proprio calore quasi suffocentur, vel refrigeratæ iterum incalescant. Insalubres carnes censentur propter excrementorum copiam agninæ, & suillæ, nisi exactè in ventriculo coquantur. Aves magna ex parte salubres, præsertim minores, majores tamen domesticæ, & quæ in lacustribus locis degunt, parum convenire catarrhosis & podagricis existimantur. Imò Medici caporum & gallinarum usum frequentem tanquam valdè noxium podagricis damnant. Ova gallinarum recentia per se bona sunt, sed cum

cum pinguedine cocta, aut carnibus, vel piscibus admista noxia. Lacticinia & podagricis & calculosis vitanda, item legumina, quæ flatus generant. Olerum usus rarior, innoxius. Pisces saxatiles minimè viscidi concedi possunt, grandiores omnes cavendi, nec carnibus miscendi. Cancri etiamsi bene nutriant, tamen influxionibus & catarrhis noxij, & cum aliis cibis sumti coctionem turbant, ac palpitationem, ac dolorem renum promovent. Cruda omnia vel omittenda, vel parcissimè prima mensa gustanda. Non debeo persequi omnia, ac consuetudini aliquid condonandum, verùm malarum rerum consuetudinem pessimam esse constat. Victus autem rationem rectam tutissimam & saluberrimam medicinam esse secundum Hippocratis sententiam, tenendum. Mollia omnia in victu præcedere debere notum est. Non protrahendum cibum, nec coctis cruda addantur. Humidiorum nimium usum, cùm ventriculus potius perse sit humidus, cavendum. In potu nulla fiant errata. Turbidus minimè admittendus, & si vel ratione epatis, vel catarrhi, atque podagræ S.G. aquam bibere velit, primus haustus (quem Medici delativum vocant) aqua esse debet. Postremò autem solidiora, quæ actu sunt frigida, ut est pulvis noster pepticus, Diacydonitum, assumenda, ut his iritatus quasi ventriculus corrugatur, & in seipsum ad complectendum

cibum contrahatur. Id quoque vulgo clausionem ventriculi vocant.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c

CONSILIUM XIV.

In Cardialgia & vertigine pro quodam Principe;

ILLUSTRISSIME & Clement. Princeps, cum celsitudo vestra jam a multis annis de ingenti circa ventriculi os pressione conqueratur, quæ sub primum somnum immanius se exerat, coarctet, & distendat manifesta inflatione conjuncta cum anxietate & dolore, neque in stomacho solùm, verùm in dorso etiam & lumbis & humeris, nec sedetur malum, nisi vomitu ventriculus à pituita, cibo assumpto, & universa illa cruditate liberetur, insuper etiam vertigo, & tremor accesserit, cum metu majoris periculi in altero latere, ob id necessarium judico, causã tantorũ affectuum accuratius investigare. Gognito enim morbo, rectius in medium poterit consuli, & patent iudicationes, ad quas respiciendum est, & cur unumquodque adhibendum sit. Etsi autem ventriculus vestræ Celsitud. rectè appetit, tamen ad ciborum justam concoctionẽ satis caloris, viriumq; non habet, sed frigidior est, atq; humidior, quale tempera-

mentum

mentum piuitæ gignendæ potiùs, quàm ciborum alterationi, convenientius est. Nam ut coctio rectè fiat, calor adsit, necesse est, sicut in foco cùm cibi percoquendi sunt, ignis requiritur luculentus. Deinde etsi ea ciborum copia, quam assumat V.C. homini sano nimia non esset, tamen ipse stomachus flatulentia & tensione, ipsoque vomitu indicat, non posse tantam copiam una vice se ferre, & quia caloris & alimenti nulla proportio est, quid mirum si rectè elaborari nequit in succum laudabilem? Perinde si benè grandi in olla plurimum carnis ad exiguum ignem coquere velimus, carnes crudas manere necesse erit. Tertiò, ubi igitur ventriculus debilis, & multæ cruditates collectæ sunt, flatulenta sequitur distensio, quæ nihil aliud est, quam crudi humoris calefactio & agitatio quædam, sed qui confici nequit. Cùm igitur coctio incipit, & cruditates incalescunt, sequuntur inflationes ventriculi & distensiones, quæ coctionem impediunt. Nam ut fiat coctio, contrahi oportet stamachum, & amplecti cibum, quod hîc fieri nequaquam potest. Hæ internæ causæ sunt pituitam colligentes, quæ tamen tantò plus augetur, cùm externæ causæ accedunt, id est, nimia cibi copia, alimenta frigida & humida, flatuosa, cruda, fructus non satis maturi, cerasa, pruna, persica, & quæ calorem prosternunt, & cruditatem coacervant, ut multæ fluctuatio-

nes, etiam de die & in ipsa mensa sentiantur, quasi quippiam flatuosum ex stomacho prodeat, verùm de nocte quiescentibus sensibus, & calore intrò revocato, tum demùm inflationes augentur, & exitum quærunt. Fit enim quod in foco, ubi cum ignis primùm incenditur, plus fumi apparet, quàm flammæ, maximè si humida ligna sint apposita. Ita ubi in ventriculo calor paucus, cruditas multa est, sentiuntur inflationes, & ut fumus fumum, sicut flatus flatum sequitur, & incrementa augentur. Est autem tum ferè conclusus ventriculus, ideò cùm exhalare nequeat quicquam, patitur ventriculus & ægrè distenditur, premitur, consentiente etiam dorso cui alligatus est, & cæteris partibus vicinis, lumbis dico, & quæ circa costas sunt partvas, ita ut ad humeros usque dolores extendantur. Sæpè ex eo affectu intumescit venter, adeò ut pulmo pressus difficilem respirationem habeat. Unde talis anxietas sequitur, quæ vix tolerari possit. Durat autem tantisper dum ventriculus, vel sua sponte, vel digito irritatus cibos una cum admistis cruditatibus ejiciat. Ex his patet nullam istius pressionis causam aliam esse, quàm flatus ex cruditate ortos, cùm commovetur. Nam ut mustum cùm fervet occluso meatu, ita tumultuatur, ut operculum vix ferre possit, ita & nostra hæc cruditas. Porrò cum cruditates in ipsa stomachi capacitate fluctuant liberæ citius ejiciuntur, & molestia ce-

ſtia cedit, verum ſi humores tenaces & viſcidi orificio impacti ſint, adhæreantque tunicis ventriculi, difficile eſt vomere, & conatus debilitat & dolorem in capite commoveri neceſſe eſt. Quanquam autem refrigeratus videtur ſtomachus, & humidior, non eſt tamen omni calore ſuo privatus. Nam etſi cum cibis ipſis cruda ejicit, ſemper tamen retinet aliquid utilis ſucci ad alendum, quem vincere poteſt, & concoquit poſtea, ſi cætera illuvies ejecta ſit, & inde ſangvis bonus fit in epate, quo corpus alitur, inde & alvi feces mediocriter coctæ. Oſtendit hoc conatus ſtomachi, qui niſi rejecto ſuperfluo non poteſt quieſcere. Cum verò id tantum habet, quod concoctionem poteſt accipere, tum quietior factus contrahit ſeſe rurſus & immutat, & ſic ſedari dolores animadvertitur. Mirabitur autem fortaſſis V.C. cur ſuum corpus maximè hoc malum infeſtet, cur tam diuturnum ſit, cur non ſtatim à prandio ſentiatur, & raro die, frequenter noctu invadat, maximè circa ſomni initium. Certum eſt autem unicuique ineſſe temperamentum, ita ut non modo homines inter ſe, ſed & in uno partes diverſimodè ſe habeant, aliæ aliis ſint fortiores, & plerumque unum aliquod membrum debilius eſt, ex quod fit ut alij pectus accuſent, alij caput, alius pedes, quæ pars levi aliquo in victu errore admiſſo periclitari incipit. Ergo & V.C. naturalem quandam ventriculi imbe-

cillitatem habet, inclinantem ad flatulentiam & vomitum, quæ mala, etsi in prima ætate non ilico se prodiderunt, tamen sub primum senium jam ab annis prope octodecim se exeruit, & ejusmodi stomachus onerari non vult; quod cum fit, pituita ex alimentis gignitur, quæ magis cum adhuc affligit, & calorem per se debilem, minuit. Cum ergo naturalis debilitas & refrigeratio & pituita & crebra ventriculi oneratio immodico victu concurrunt, non est mirum diu durare, & quamvis interdum respirat stomachus & calor se exerit, redit tamen si oneratur, vel à cruditatibus fit frigidior. Cur autem non statim à sumpto cibo illa gravitas consequatur, causa est, quod calor supra modum oneratus non illico incipit agere, sicut ignis paucus sub lignis plurimis aliquandiu latet ita, ut nullus videatur, aut extinctus à copia, tandem se prodit & dilatat multo fumo & halitu. Præterea calor de die debilior est ob occupationes & labores, quibus distrahitur, maximè spiritus, qui avertuntur a stomacho, ut prunæ ab olla ad focum subtrahi possunt. Noctu cum quiescunt organa sensuum, & spiritu non indigent, spiritus & calor ad ventriculum redeunt, & cum cibum ibi invenit crudum, adoritur eum, & fit coctionis principium, & quia cibi nimia copia est, nec de die facta ulla concoctio, & cruditas genita, tum fiunt inflationes & pressiones illæ tam graves, & per se

affectus

affectus à cruditate orti cum phlegmate, non tam mane, & de die, quàm noctu se produnt, & quasi proxysmos suos habent, quo tempore is humor commovetur; ut testatur Galenus in Methodo. & eo tempore catarrhi moventur & decidunt, adjuvante etiam noctis frigore. Atque hoc primum malum est, de quo V.C. potissimum queritur. Alterum malum ex primo oritur. Cùm n. ventriculus non coquit, nec clauditur, ut oportet, sed sæpè hiat, à flatibus & vomitu, vapores ascendunt, & implent caput, non secus ac halitus foris in aere cum nubes inde fiunt, ex quo est illa scotomia & vertigo, ut quasi collabi videatur, maximè cũ vapores, vel interna vel externa causa agitantur, & spiritus visivi turbantur, & quasi in gyrũ ducuntur. Unde caput afflictum dolet, & mẽbra tremunt, & in latere anxietas sentitur. Quod si ergo ventriculo non succurritur, & vaporum ascensus prohibetur, id fiet, quod in destillando, vapor ascendet, & delabetur aqua, quo via patet. Ita tandem debilitatum cerebrum aliquando in summo discrimine constitueretur, & nervi debilitati in altero latere paralysin gignerent, quod malũ DEUS avertat, & averti potest, si omnia rectè administrabuntur. Dicam de utroque quid mihi faciendum videatur. Primum stomachi imbecillitas ita diuturna est, ut propè confirmata esse videatur. Accedit & ipsa senectus, & ventriculus appetit, quam po-

teſt concoquere, ſæpè etiam obruitur, & vapores ex conſueto petunt caput, quod ab his jam repletum eſt, quæ omnia curationem faciunt difficilem Quia verò non omnis vis ſtomacho erepta eſt, & ſatis adhuc valet ad cibum recipiendum, & partem hujus à vomitu concoquit, ut teſtantur excrementa percocta, nec cætera membra quicquam inſigne patiuntur, nec vertigo frequens fuit, & aliâs V.C. cùm diſtenſiones moleſtæ non ſunt, ſatis rectè valet, ſi obſequi his præceptis voluerit, & omittere quædam, etſi ſubitò levatio non ſequatur, tamen affectus illi ventriculi paulatim cedent, & à cæteris ſymptomatibus præſervabitur. Et quia Cell. V. de duobus ſymptomatibus queritur, quorum alterum ſtomachi eſt, & quotidie urget, alterum in capite, & ne gravius fiat, metuitur, de utroque meam ſententiam aperiam. Quod attinet ad debilitatem ventriculi frigidi & humidi, qui parum coquit, & plurimum pituitæ gignit, unde diſtenſio, & vomitus, auxilia ſunt: Primum, ut levibus remediis educatur pituita. Alterum, ut calor ille excitetur, humiditas exiccetur, flatuoſitates impediantur, quò fiant meliores coctiones, & pituita non gignatur. Tertium, ut ratio habeatur ventriculi, ne nimis oneretur, cibo, aut intempeſtiva diæta, & omnia omittantur, quæ coctioni obſunt, Quod ad primum attinet, uſa eſt V. C. ad educendam pituitam bis hac potione,

℞ Rad.

℞ *Rad. polypod.*
Fenicul. an. ℥ j.
Calam. aromatic.
Paoniæ an. ℥ ß.
Herb. betonic.
Thymi.
Capill. vener. an. p. ß.
Fol. senæ el. ℥ v.
Agaric. Trochisc. ℈ j.
Turbith. el. ℈ ß.
Sem. anisi.
Cortic. citri.
Zinzib.
Cinnam. an. ℈ ß.
Flor. anthes. p. ß.
Conquassata dentur ad chartam.
℞ *Mannæ el.* ℥ x.
Dent. in scatula.

Cujus usu multa pituita ejecta est, & si sæpius id fecerit, habita tamen ratione circumstantiarum, temporis anni, lunæ corporis, & copiæ humoris ille liberabitur, ne collectus hincinde se in partes dissemimet. Ita autem præparatur potio. Vesperi herbis præscriptis infundatur calidum jus gallinæ macrum, tantum ut tegantur herbæ. Stent per noctem ut vis extrahatur, mane ad ignem calefiant, & fiat expressio addita manna. Et ut suavior sit potio addi potest cùm sumitur aliquid aquæ cinnamomi, & ita calidè ebibatur mane quinque horis ante

prandium. Caveat à sumta potione frigus, somnum, sudorem, qui motum impedit, & ne medicamenti vis infringatur, cavenda gravia negotia & cogitationes seriæ. Utile esset semper in promptu & herbas & mannam habere, ut longius in necessitate non sint quærenda. Tempore autem veris, & autumno, quibus articulis commoveri solent humores, si animadvertetur pituitæ copiam adesse, & membris impactam, lenetivum præmitti potest, & validior reddi potio præscripta, quanquam si crebrò sumatur, satisfaciet opinor, & cruditates tollet, nisi novæ colligantur victus errore. Hora ante cœnam prodessent hæ pillulæ, cùm stomachum purgent, & pituitam adhærentem subducant, & plus roborent, quàm evacuent:

℞ *Massæ pill. de hiera simpl.*

De aloë lota.

Mastich.

Stomachic. a. ℈ ß.

Cum aq. cardui bened. q. s. f. pillulæ parvæ. Quòd si in capite vertigo se ostendit, aut plenitudo in cerebro, prosunt hæ pillulæ mane sumptæ quinque horis ante prandium:

℞ *Extract. pill. cochiar.* ʒ j.

f. pillula inunctis digitis ol. nucis

Muschatæ num. xxx.

Hæ à capite divertunt materias molestas, & ab apoplexia præservant, iisque morbis, qui nervos infestant. neque tantùm stomacho non nocent,

cent, sed roborant etiam. Si quæ alvi adstrictio est, clystere leni solvatur. Atque hæc purgantia satis esse possunt, nec molesta sunt, nec nimis vehementia. Nam debilis stomachi validas ferre purgationes non potest. Satius est lenibus, sed sæpius uti, maximè cùm materia vicina sit, & ferè in stomacho contineatur. Quod ad alterum attinet, nimirùm, caloris naturalis excitationem & juvandam coctionem in ventriculo humidiore & impuriore, & tollendas inflationes, habet hîc V. C. remedia, quæ specie exigua, sed vi maxima sunt, & tuta, neque sapore adversa. Varia autem ne tædium obrepat unius, omnia tamen eodem tendant, sed sæpiùs iteranda sunt, facta permutatione. Nam quod longo tempore contractum est, non subito tollitur. Sunt orbiculi efficaces de extractis quibusdam facti, iis utatur mane ad 4. vel 5. horis etiam ante prandium quatuor vel tribus morsulorum unum atque alterum sumat. Est & ascriptus pulvis stomachalis, de eo utatur quantum 4. digitis capi potest. Ita enim his utatur tribus, ut per vices id faciat. Quòd si præterea V. C. orbiculis de extracto calami & galangæ uti voluerit, cùm roborando calori, & contra inflationes serviant, non errabit: ideo utrosque assignavi. Est autem utendi eadem ratio:

℞ *Extracti aromatic. rosat.* ℈ß. gr. v.
Calami aromatic.

Ligni aloes an.gr.iij.

Sach. albiss. ℥ v. *dissol. in aq. rosar. q. s. affusis:*

*Ol.cinnamom.*gutt.iij.

Macis, gutt.ij.

*Garyophyll.*gutt.j.

F. confectio in rotulis.

℞ *Amygdal.dulc.* ℥ vj.

Pinear.

*Pistaceor.*a.ʒ ij.

Zinziberis ʒj.

*Cinnamom.*ʒ ij.

Galangæ.

*Garyophyll.*an.ʒ ß.

Nucis Muscatæ.

Macis,an.℈ j.

Cardamon.

*Cubeb.*an.℈ ß.

Incid.hæc omnia crasso modo,& add.

*Pulu.zinziberis alb.*ʒ j.

Sacch.albiss.℥ viij.

Dissoluatur saccharum in aq. cardui bened. q. s. affusis:

*Ol.cinnamom.*gutt.v.

Macis gutt.ij.

Misc.f.confectio in morsulis.

℞ *Zinziberis albi mundi.*

Calam.aromatic.mundi an.℥ ß.

*Cinnamom.*el℥ v.

Galang.

Galang.℥iij.
Cardamom.
*Zedoar.*a.℥j ß.
Caryophyll.
Nucis Muscatæ a.℈ iiij.
Macis.
*Cubebar.*a.℈ij.
Liquirit.℥ij.
Confect. anisi.
Confect. carvi.
Fenicul.
*Coriand.*a.℥ ß.

Aromata incidantur crasso modo, & admisceantur confectiones unica saltem saccharacea tunica obductæ, f. drag. massa.

℞ *Extract. calam. aromat* ℈ j.
Lig. aloës gr. iij.
Saccha. albiss. ℥ iiij. *dissol. aq. card. bened. & cinnamom. q. s. f. rotulæ.*

℞ *Extract. galangæ* ℈ j.
Corall. rub. preparat. ℈ j.
Sacchari albissimi ℥ iiij.
Dissol. aq. melissæ q. s. affusis:
Ol. cinnam.
Macis.
Anthos an. gutt. j.
Misc. f. rotulæ.

Quia verò illa imbecillitas ventriculi diuturna fuit, & pertinax esse videtur, singulari cura optimo vini spiritu maximè efficacium simpli-

cium pro roborando ſtomacho, vires extrahi curavi ſub forma Aquæ vitæ, ut facilius penetret, & in ſtomacho calefaciat. Nihil vel gutturi nocebit, nec moleſtiam ſtomacho creabit, quæ ferè faciunt cæteræ aquæ vitæ. De hac interdum mane paululum ſumat V. C. cum noctu inflationes gravius infeſtarunt, & addat ſuccum ex zinzibere condito, vel corticibus arantiorum. Mirificè calefaciet ventriculum. Quoties autem uno utitur V. C. cætera interea intermittat, Eſt autem deſcriptio ejuſmodi:

℞ *Cinnamom.* ℥ ß.
Galangæ.
Zedoariæ a. ℥ ij.
Lign. aloës.
Calam. aromatic. an. ℥ j.
Garyophyll.
Macis.
Cardamom. utriuſque.
Nucis Muſcatæ.
Sem. citri an. ℈ j.
Santal. citrin. ℥ ß.

Spiritus vini multipliciter rectificati, ſicut omnem raucedinem exuerit ℔ j ß. Stent. in infuſione per triduum, ut vis aromatum extrahatur. Poſtea colentur, & addantur:

Syrupi de cortic. citri.
Mivæ cydonior. a. ℥ ij. ß.
Miſc. f. in modum Aquæ vitæ.

Poteſt

Poteſt V. C. etiam foris juvare ventriculum appoſito hoc ſacculo ſtomachali ſicco, ſed calefacto, hora una vel duabus ante prandium, in latere calido, qui vino aſperſus ſit, & calidè applicetur uſque ad cibi tempus. Tum enim demitur, atque ita cùm interna, externaque auxilia conſpirant, præſentiùs commodum eſt. Formula eſt ejuſmodi.

℞ *Calam.aromatic* ℥ ß.
Galangæ.
Cortic.citri.
Cortic.arantio.
Baccar.lauri a. ℥ ij.
Nucis Muſcatæ num. j.
Garyophyll. ℥ ß.
Sem.aniſ. ℥ iij.
Fenicu.
Cymin. a. ℥ j ß.
Herb.menthæ criſpæ, ſc. m. j ß.
Origani.
Abſinthij a. m j.
Majoran. *Betonic.*
Roſar.rub. a. m ß.

Ex conquaſſatis & prius inciſis f. ſacculus ſtomachalis ſ.a. interpaſſetur.

Cum ventriculus nimirum refrigeratus eſt, ſolent interdum linteum aquæ vitæ imbutum imponere. Quæ omnia foris atque intus ventriculo ſuccurrunt. Oſtendunt autem ſeſe præterea & alia ſymptomata, quorum debet

habeti ratio. Infestant sæpe inflationes vehementes & subitæ cum magno cruciatu. Ad illas dissipandas prodest succus viridis de extracto cardui. De eo. V. C. cochlearia duo sumat admista aqua cinnamo. quoties opus est, Descriptio est ejusmodi.

℞ Extract. Card. benedict. ℥ j.
Veronica.
Melіss. a. gr. iiij.
Sacch. albiss. ℥ v. *dissol. aq. Card. Mariæ affusa aq. cinnam.* ℥ j. *Mis. f. in modum syrupi.*

Quod si inflationes nimiæ non sunt. Utatur V. C. præscripto puluere stomachali, qui & ipse flatus dissipat. Interdum etiam frigus circa præcordia sentit V. C. maximè vesperi & metuit noctem difficilem, aut caput male habere, tum V. C. edat particulam zinziberis, quod calefacit os ventriculi, & capiti prodest, modò ne nimis ventriculus pituita oneratus vim ejus inhibeat, quod cum fit evomere rectius est. Post vomitum si caput debilitatum est, & vertigo redit tum rejecta pituita, utatur V. C. citoniato cum aromatibus, quod ventriculum calefacit, & claudit, & ascensum vaporum impedit. Nam si ante vomitum citoniatum sumeretur, flatus retinerentur, & distensio augeretur. Quod si debilitas sequitur, præscripsi morsulos de citro & succum ipsum, quæ & multum prosunt, & suavia sunt. Porrò si medicamenta facere officium suum debent, ratio habenda est ventriculi,

culi,qui cum debilitatus sit, non debet copia gravari,aut turbatione diætæ affligi. Ideò necessario vitandi sunt cibi frigidi, viscidi, lenti, crudi,sale conditi,fumo indurati pisces & carnes,ventosi,ferina caro vetusta,omnes denique duri cibi, tum & quæ serosam humiditatem gignunt,ut fructus horarij, cerasa, fraga,poma,lactuca,caro porcina, & pinguia. Caro aquatilium,anatum,anserum,piscium in lacubus & piscinis,carpiones,anguillæ, passeres intestina animantium, & quicquid lentum succum habet. Vertiginis ratione intermittendi sunt cibi fumosi,ut sinapi,eruca, copæ, brassica,acetosa,lac,pisa,cancri, maxime cum salubribus cibis abundemus, qui facilè concoqui possunt,& minus succi crudi post se relinquunt, ut ova recentia,gallinæ,capi,aviculæ,caro vervecina,columbæ,funduli,lucij, percæ, auratæ &c. Inter legumina hordeum, ptisana & alia multa,& V.C. observare,qui cibi prosint, qui obsint. Verum etiam sani cibi corrumpuntur in magna varietate uno in prandio vel cœna,si pisces carnibus misceantur, & variis juribus incoquantur,unde inæqualem succum fieri necesse est & sangvinem inæqualem,aptum putredini. Unde mirantur postea morbos variè oriri. Et quamvis aliqui hoc ferant absque incommodo, tamen non omnes id possunt; qui paucis contenti sunt puriorem sangvinem, & minus excrementorum colligunt.

Selimus Turcarum Imperator, qui Indiam & Ægyptum occupavit, Anno 1517. Solymanni Pater, de uno tantum ferculo edere est solitus, & ante cibum corpus exercuit, ea moderatione hoc obtinuit, ut nunquam ægrotarit, donec divinitus eo loco periret, quo Patrem antea veneno sustulerat. Verùm ubi multa apponuntur fercula illa cautio est adhibenda, ut famem ab uno maximè convenienti sedemus. Quod si sic satisfactum non est stomacho, de cæteris minus salubribus decerpi aliquid potest parcius, ita appetitui obsequium sine incommodo. Eadem imbecillitas etiam in potu cautionem magnam postulat. Vinum bibat V.C. purum, syncerum, mediocre & generosum, quod coctiones juvet, sed moderatè propter caput bibatur, addita cerevisia defecata, & diuretica, quæ caput non repleat. Inflat minus vinum, quam cerevisia, maxime si recentes & nondum defecatæ sint. Vina medicata utilia sunt, de absinthio, melissa, carduo, & quia vim remedij habent, ideò ut remedia parcè usurpanda sunt, nec unum haustum excedat. Etsi autem multum facit ad sanitatem cibi potusque salubritas, tamen ut hæc etiam ventriculo succurrant, etiam hoc accedere oportet, ne oneretur ventriculus, & plus sumat, quam potest concoquere. Est aliàs in V.C. stomachus frigidior & debilior, ut pituita indicat, & acidi humores colliguntur in eo, qui nimirum appetitum

titum excitant, & per se ea natura est eorum, qui frigidum stomachum habent, & acidam ariditatem, avidè appetant & deglutiant, sed negligenter digerant. Unde malos succos fieri necesse est sicut ex farina panis probus non potest confici si grana vitium habent ex tritura. Ergo ut hæc mala mitigentur, imperet sibi modum V.C. nec nimis indulgeat stomacho, sed ante satutitatem desinat, & quia noctu compressio major est, accedente etiam cruditate à prandio relicta, cœna sit parcior prandio, juxta antiquum versiculum: *Vt sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.* Et sum in ea sententia, instituta legitima diæta & usurpatione matutina eorum, quæ ventriculum roborant, sperari posse magnam istorum molestorum symptomatum mitigationem. Certè ciborum quantitatem calor superet necesse est; si contra fit, pituitæ proventus sequitur. Præterea ventriculus certo tempore concoctionem perficit, cùm tonum suum servet, & ordinem in digerendo, non minus, quam horologia, & si spacium legitimum ei conceditur, laborat, ut debet, & excrementa non colliguntur. Sed si satis justa mora non conceditur, intermittit operam suam, aut facit quantum potest, sicut opifex qui præcipitare labores suos cogitur, negligentius omnia facit nec tàm accuratè omnia perficit. Nam qui uni insistit, rectius agit, quam qui ad multa distrahitur, Igitur plurimum prodest ventriculo,

si novo

ſi novo cibo non oneratur, priuſquam prior confectus ſit, & multorum morborum fomes procavetur. Etſi autem multi fiducia ætatis & virium ſuarum liberius peccant, non eſt tamen idem debiliori ſtomacho concedendum, quod robuſtiori & valentiori. Nam tandem periculo ſuo experiuntur iſti incommoda ſuæ intemperantiæ, cum in periculoſiſſimos morbos incidunt, quorum cauſa tunc extiterunt. Ad eam rem illud etiam utile fuerit præmittere cibos molliores, ut ſpinachia, pruna, poma cocta, & ſequantur duriores. Id alvum ex ordine movet. Quod ſi ordo hic invertitur, & duriores primum, molles poſtea ſumuntur, & ingeruntur cruda poſtremum, ut ceraſa, & alia, corrumpuntur molles in ſtomacho, antequam duri concoquantur, & inde fit acida pituita cum flatibus. Hæ regulæ de diæta, quamvis exiles videntur, plurimi tamen ad ſanitatem tuendam momenti habent, adeò, ut qui modum, ordinemque in cæteris ſervant, etiamſi inſalubribus cibis veſcuntur, tamen minus lædantur, quàm qui in victu ſalubri intemperanter vivunt, & leges nullas ſequuntur. Denique omnia eò referenda ſunt, ut vires ſtomachi conſerventur, coctio juvetur, flatuum fomes ſubducatur, pituita & compreſſio ſupprimatur. Poſt diætæ leges in victu alia etiam præterea obſervanda ſunt, quæ valetudini, & coctionibus ſerviunt, ut exercitia, alvi evacua-

tio,& somnus. Quòd igitur V. C. mane negotiis occupatur, peregrinatur,& corpus commovet,id sanitati V. C. plurimum confert, & excitat stomachum. Motus enim matutinus ante cibum naturalem dolorem excitat, sicut cum exiguus ignis flabello suscitatur, exhalant etiam per poros totius habitus multi vapores molesti,quibus dissipatis corpus vegetum redditur,contrarium vero otiosis evenit à cibo autem gravibus rebus occupari aut exerceri prorsus inutile,cùm ita coctio turbetur, & vapores in caput agitentur,cibus præcipitetur intempestivè è ventriculo in membra nondum coctus, unde obstructiones & varii affectus oriuntur. Alvum laxam servare & capiti & ventriculo est utile, & membra excitatiora & agiliora fiunt, deposito onere. Nam ex retentis alvi fecibus fætidi halitus elevantur sursum , & stomacho atque capiti adversi sunt. Quod si non sponte alvus solvitur,laxari vel cibis potest humidioribus,vel clystere,quod pituitam etiam detraheret intestinis , vel si non satis id esset,potio supra præscripta sumi posset. Mane lotio profuerit in balneo,quo superflua , & quæ in corporis habitu hærent,& motu non resoluuntur, per sudorem dissipantur. Postremò magnam vim affert ad valetudinem retinendam somnus moderatus. Nam quæ diurno tempore non concoquuntur,ea nocte digeruntur calore coacto ad interiora. Atque hæc quidem ad primi

mali aversionem, scilicet, inflationis ventriculi, & vomitus, sufficiant. Quod ad secundum symptoma attinet, nimirùm vertiginem, & ea pericula avertenda, quæ ex capitis repletione oriri solent, quatuor facienda sunt, Primùm cavendæ causæ omnes caput fumis replentes, aut humores irritantes. Deinde si humores abundant in capite, ut avertantur, vel educantur. Tertiò, ut vapores dispergantur, & absumantur, & caput corroboretur. Quarto, ut pro vertigine & apoplexia quædam præservantia adhibeantur. Primùm autem nihil æquè caput replet, quàm somnus meridianus, & potus à cibo, maximè à cœna. Nam in somno post cibum crudi & crassi, ac tenebrosi fumi omnes in caput tendunt, ea copia, qua ex furno, in quo humida ligna fument, & ita caput plenum fit vaporibus, & gravatur totum corpus, fit homo tristior, imminet vertigo, & apoplecticum quiddam. Et quamvis siccioribus naturis non est somnus ille meridianus inconveniens, non tamen iis prodest, qui plurimum alienæ humiditatis in ventriculo habent, & multum interest inter fumos à succis, & ab humidis lignis. Deinde si à cibo frequenter potus frigidus infunditur, & hiat stomachus, etiam sic exhalant multa. Maximè autem potationes ante somnum, & protracta convivia ventriculo & capiti pestifera sunt. Non enim claudi potest ventriculus, quo hiante, si ad somnum
nos

nos componimus,quid aliud,quàm capitis repletio,& catarrhi consequentur ? Tum ipsa etiam vertigo molestat. Augent hoc malum gravia negotia & sollicitudines, statim à cibo susceptæ maximè si antecesserint cibi fumosi, & potus largior. Hæc vitet necesse est,qui caput carere catarrhis, & à vertigine liberari cupit, itemque ea,quæ plethoram capitis & vertiginem commovent, ut sunt vehementes commotiones animi, ira gravis, tristes phantasiæ, melancholicæ imaginationes. Avertendus etiam frigidus aër,venti,aer nubilosus, & crassus, certè frigus capiti & nervis obest plurimum. Ideò qui morbos nervosos metuunt iis rectè consulitur,ut caput,collum, pedes,& ventriculum diligenter à frigore muniant, nec in frigidiusculo aere se nudent subitò, maximè cùm à calido loco egresi sudare cœperint. Noctu radios lunares caveant, sicut de die solares, quoniam & hæc caput replent, & vertiginem ac catarthos commovent. Secundo: Quod si vapores & repletio capitis collecta sit, pillulis suprà præscriptis occurri potest,& copia minui, aliquam etiam partem per nares educere pulvere de nigella, addita aquæ majoranæ ut diluatur pulvis, & in nares attrahatur ante cibum bis,& ità emungere nares, si pulvis nimis fortis sit, sola aqua usurpari potest. Descriptiones sunt hæ:

℞ *Nigellæ Romanæ per diem & noctem in aceto infusæ, deinde exiccatæ, & pul.* ʒj ß. *det. in pixi.*

℞ *Aq. majoran.*
Sambuci a. ℥j.
Misc.

Tertiò, ad dissipandos vapores mane caput lavetur interdum herbis infra scriptis in lixivium impositis & expressis, capite postea siccato calidis linteis:

℞ *Fl. stœchad.*
Fl. lavendulæ.
Anthos. a. p. j ß.
Spicæ Indicæ ʒ j.
Rad. asari ʒiij.
Fol. senæ ʒ ij.
Agaric. ʒj.
Herb. betonicæ
Verbenæ a. m. ß.
Majoran. p. j.
Conquass. dentur in charta pro lixivio.

Proderit & hoc pomum odoriferum, quod sequitur, si odor mane & vesperi excipiatur naribus. Nam odor ille exiccat, & vapores dissipat, & caput roborat.

℞ *Ladani puri* ℈ ij.
Galliæ Muscatæ ℈ j.
Lig. aloës.
Storac. calamit. an. ℈ß.
Mastich

Thuris

Thuris masculi,
Vernicis.
*Costi amari.*an.gr.v.
Ambræ.
Moschi an.gr.j.

Pulu. subtiliter, & cum mucillagine Tragac. extractæ cum aqua majoranæ f. pomum ambræ.

Valde præstans pro capite & ventriculo roborādo est ista confectio, qua cum cæteris uti V. C. poterit, sed per vices quantitate juglandis, mane, suavis est & efficax, & caput ac stomachum à multis morbis præservat. Est autem hoc.

℞ *Chebul.condit.*
*Zinzib. indici condit.*an.ʒ v.
Calam.aromat.condit.
*Cortic.citri condit.*an.℥ ß.
*Arancior.condit.*ʒ iij.
*Eringij condit.*ʒ v.
*Nucis Muscatæ Indicæ condit.*ʒ ij.
Rad.buglos. condit.
*Cichor.condit.*an.℥ ß.
Conser.anthos.
Fl.paoniæ
Melissæ a.ʒ ij.
Pulu. Euphrasiæ ʒ j.
Cinnamo.incis.℈ j.
Macis incis.℈ ß.

Conditis,& aromatibus crasso modo incisis, misceantur omnia simul.

Postremò, quod attinet ad vertiginem & metum apoplexiæ, proderit hic pulvis pro vertigine molestante.

℞ *Paul. Euphrasia cum florib.* ℥ ß.
Macis aceto præpa. ʒ j.
Coriand. præpa ℈ iiij.
Betonic. ℈ j.
Cubebar. ℈ ß.
Sacch. candi ʒ vj.
Misc. f. pulvis.

De hoc sumitur mane drachma una, vel ita siccè, vel in turunda panis, aut ovo sorbili, aut cerevisia cocta. Item feniculum prodest saccharo obductum, mane masticatum. Nam vapores dissipat,& præservat à vertigine,& visum acuit. Pro apoplexia autem, quam Deus avertat, si quæ indicia sese ostenderint, proderit hic pulvis.

℞ *Succini albi præpa.* ʒ ij.
Rad. pæoniæ.
Specier. Diarrhod. Abb. an. ℥ ß.
Misc. f. pulvis.

Hujus sumitur drachma una singulis mensibus die sequente novam lunam cum aqua vitæ, spiritu vini. Quod si semel hoc remedio quis usus fuerit, continuare debet die nominato, & ita tandem ab apoplexia, multisque aliis symptomatibus corpus liberabitur. Hæc mea est

Illustris.

Illustris. Princeps de nominatis illis symptomatibus, compressione stomachi & vomitu sententia,& quomodo illis succurri possit, quæ ad prius illud malum sequuntur. Nihil autem magis optarem quam V.C. ita habere suæ valetudinis rationem, eamque cautionem in tractando stomacho instituere,ut auxiliante Deo, integram suam valetudinem, recuperare possit,quem oro,ut his remediis benignitate sua adesse,& ea fortunare velit. Quòd si deinceps etiam aliquid mea opera in suæ valetudinis tuitione uti voluerit C. ipsius faciam id promptissimè & studiosissimè. Anno 1578.

CASPAR HOFMAN D. ELECTORIS
Brandeburgici Medicus ord.

CONSILIUM XV.

De annuis purgationibus in ventriculi imbecillitate,catarrho,& Peste,pro quodam Barone;

CUM annuas purgationes Generosa vestra Magnificentia adhibere volet, id quod in ista corporis constitutione ineunte vere & autumno facere necesse est,aliquot diebus utatur syrupo de succo betonicæ, & ad ℥ iiij. syrupi scrupulum unum extracti calami aromatici admisceat,sumat singulis diebus cochlearia duo, vel tria, per novem, vel decem dies, dein-

de tempore verno bibat hoc decoctum purgans:

℞ *Passular.* ʒ vi.
Galangæ ʒ j.
Scolopendr.
Veronicæ.
Melissæ.
Fl. violar. a. p. j.
Rhabarb. El. opt. ʒ j ß.
Fol. senæ Alexand. *selectiss.* ʒ vi.
Decoq. s. a. in s. q. seri lactis, ℞ *colaturæ* ℥ iiij.
Syrupi rosat. solut.
Mannæ *Calabrin.* a. ℥ j.
Aq *Cinnamom.* ʒ ij. Misc.

Sub autumnum vero paululum potio ista mutetur hoc modo:

℞ *Passul.* ʒ vi.
Galangæ ʒ j.
Betonic.
Veronic.
Meliss. a. m. ß.
Fl. Borag.
Violar. an. p. j.
Fol. senæ Alexand. selectiss. ʒ vj.
Epithymi Cretensis ʒ iij.
Cortic. Hellebor. nigri ℈ ß.

Irrorentur herbæ & radices vino, & decoq. s. a. in s. q. aquæ puræ.

℞ *colaturæ expressæ* ℥ iiij.
Syrupi rosat. solut. ℥ j.

Mannæ

Mannæ Calabrin ℥ vj.

Syrupi conservat. zinzib. ℥j. Misc.

Deinceps curet sibi V. G. confici orbiculos ex ℥v. sacchari, in aqua rosacea dissol. & ℈ß. Extracti calam. aromatici, atque iis hora tertia matutina diebus aliquot utatur. Usus etiam calami aromatici extracti est, non solùm in ventriculi affectionibus, sed catarrhis frigidis, si cum melle rosato sumatur mane, sicut ante de syrupo betonicæ dixi. Hæc de annuis purgationibus, & ventriculum roborantibus, quæ universo corpori quoque vires addent. Petiuit quoque V. G. M. prophylactica in Pestilentia. Etsi vero integrum libellum de his habeat à Do. Andernaco scriptum, tamen duobus remediis nostris ex succis alternis dieb. G. V. ad magnitudinem castaneæ uti poterit. Ejus vero quod salutis electuarium inscripsi, in curatione quoque ad ℥ß. vel paulo plus sumi potest, ita tamen ut initio detur paulo fortius expulsivum, videlicet, aquæ nostræ curativæ drachmæ duæ vel tres cum aqua cardui benedicti, vel pulveris nostri curativi drachmam unam, aut paulo plus, in fortiori corpore. Nam in curatione hujus mali, nequaquam uni remedio fidendum, sed quintum, vel septimum diem usque antidota adhibenda sunt, ita tamen ne roborantia & alterantia negligantur. At multi possent servari, nisi homines unum remedium adhiberi satis esse, à medicis, qui curationem re-

fugiunt, persuaderentur. Ad præservationem autem inprimis utile est gestare spongiam aceto rosato madidam, in quo ruta macerata sit, & in ore tenere cortices citri exiccatos.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XVI.

In Epatis caliditate, pro quadam Illustri persona.

IGNORANTIÆ medicæ refugium hoc est, accusare ventriculi frigiditatem, & epatis caliditatem in omnibus fermè hominibus. Nullam autem insignem epatis caliditatem in S.G. corpore animadverto, & si qua ea est, minimè refrigerandum censeo, cùm & ætas eam sit correctura, & crebriores sanvinis fluxiones frigidius epar efficiant, & ne nimium refrigerent, atque hydropi occasionem dent, tumor ille pedum æstivo tempore, quo calor epatis & viscerum debilior esse solet, omni studio nos cavere mones. Quod si tamen ex caliditate immoderata aliquid mali est, eamque, sicuti plerunque fit, in appetentia, & maximè carnium nausea (errant enim Medici, qui dum ægri carnes aversantur, ut odorem earum vix ferre possint, ventriculum solum laborare existimant) darem flores cichorij, vel conditos saccha-

ſaccharo,vel recentes, & obſtructionib. in meſeraicis ſubuenirem. Nam cichorei flores non ſolùm epati calidiori proſunt, verùm ventriculi vim excitant,& ab obſtructionibus liberant.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XVII.

In renum affectione & calculo, pro quadam Generoſa perſona.

CUM S. G. perſuaſa ſit multum profuturam aquam diureticam ex granis juniperi, cortice caſſiæ, ſē. feniculi,rhabarbaro, agarico, lapide Iudaico,&c.deſtillatam, videndum eſt, an ea etiam cùm aqua fragorum contemperata conveniat. Diuretica autem triplicia cenſentur. Quædam faciunt urinæ copiam virtute tenuis ſubſtantiæ. Quædam ſeroſitatem ſangvini admiſtam ſeparant, & ipſum ſangvinem quaſi colliquant.Hæc propriò diuretica appellantur, atque potentia calida & ſicca ſunt, qualis eſt aqua,de qua agitur. Conveniunt verò iſta,cùm materia calculi frigida & craſſa eſt, nec cruditates in primis venis aut intemperies epatis calida aſſit. Ubi autem materia calculi aduſta,cruditates in ſtomacho, & primis venis epar etiam calidum, nequaquam prodeſſe

possunt, & si prodesse videntur, longè tamen majorem noxam, quàm adiumentum adferunt. Est autem materia calculi in corpore S.G. nequaquam crassa atque tenax, quia calculi sunt friabiles, & plus arenæ, quàm materiæ concretæ. Tum propter catarrhum perpetuò crudi humores in stomacho reperiuntur. Hos verò diuretica jejuno stomacho assumpta secum rapiunt, venas epatis obstruunt, cumque ad renes usque transeunt, si fortè arenulas in illis repertas expellunt, plus crudæ materiæ, quæ ad gignendos calculos deteriores facit, secum adducat. Itaque multò magis lædunt, quàm adjuvant etiamsi aliquo modo adjuvare videantur. Cæterum epatis atque renum intemperiem calidam esse, cuilibet mediocriter S.G. corpus consideranti apparet. Itaque aquam istam (ut maximè multis convenit) S.G. non convenire veris rationibus persuasus statuo. Veruntamen si ingens dolor propter obstructiones graves urgeret, neq; malum lenibus remediis cederet, tum istis, quæ fortiter incidunt atque aperiunt, aliquis locus esset, ita tamen ut frigida deinceps consequantur. In primis verò succus limonum convenit, eumque in curatione aquæ diureticæ calidæ præferrem. Rectissimum autem est sævissimo morbo, qui concitatis omnibus humoribus corporis, & fumis post vomitus ad cor transmissis, palpitationem cordis vitæ hostem secum addu-

cit, per

cit, per rectam rationem victus occurrere, & intentum esse, ut omnis cruditatis causæ vitentur. Medicus Arabs Rabi Moyses in Regimine sanitatis ad Regem suum hæc scripsit: Si quis ita se regeret, ut equum suum regit, quem carum habet, à multis ægritudinibus præservari posset, verè hoc scribi & dici intelligunt prudentes rerum æstimatores. Itaque cùm rationi obedire virtutis sit S.G. eorum, quæ de cavenda cruditate scripsi, meminerit, cogitetque herculeum laborem superare contra duos hostes, unum, qui arcam vitæ invadat, alterum, qui omnia intus turbet, & cum dolore laceret, pugnare. Removeatur igitur à mensa ciborum varietas, & cruda, quæ delectant cum periculo. Diuretica primi vel secundi generis, cùm ventriculus crudis humoribus est repletus, ut asparagi, cancri, &c. Uvas autem passas majores una cum acinis dentibus comminutas, S.G. in prima mensa comedat, vel quod tutissimum est, & in multis magno successu approbatum, aliquot nuces avellanas ad IX. vel X. perpurgatas ante prandium, vel cœnam comedat. Compertissimum enim habemus non paucos sævis cruciatibus calculi diu affectos, usu avellanarum liberatos. Cùm autem non solùm doloris gravitas verumetiam periculum omni cautione utendum esse hortetur, S.G. sibi non deerit. Ipsa quidem materia calculi, quæ hactenus ejecta est, cùm sit friabilis, spem

bonam curationis præbet: verum cum subinde cavitates relictæ à calculis in renibus succedente nova materia majores fiant, & materia tenacior, profectò nisi diligentia adhibeatur, ne pertinax & incurabile evadat malum, quod nunquam venit solum, metuendum. Diminuto enim calore innato ætate major pituitosi humoris, quo aliàs corpus admodum inæqualiter temperatum abundat, promptus erit, & ejectis calculis sinus seu foveæ renum, in quibus calculi crescunt, dilabuntur. Itaque ex matrice illapsa in illos majores calculi concrescent, gravioresque dolores, cum excernentur, facient. Proinde cum sapientiæ sit non admittere, quod caveri posset, S. C. non solum ea quæ monui, observabit, verum etiam si quæ alia tuta præservant, libenter admittet. In eorum vero numero primas tenet radix eringij, sub initium septembris collecta. Caro etiam Cynos bati cum saccharo in modum electuarij redacta. Item succus herbæ veronicæ cum saccharo spissatus, cui semina violarum admisceantur. Hæc tutissima, & usu atque experientia comprobata sunt remedia. In magna renum caliditate aqua fragorum, cum qua nuclei avellanarum misceantur contusi matutinis horis assumpta, ita ut superdormiat plurimum juvat. Memini quendam post primum somnum jam perfecta coctione hausisse aquam frigidam, & insigne juvamentum tum percepisse.

Verum

Verùm hoc S G non consulo, quin ut mos bibendi frigidam hora decubitus omittatur, moneo. Magis autem ista omnia, quæ ad præservationem utilia sunt, valerent, si interdum talia S.G. assumeret, quæ absque periculo corpus evacuarent, videlicet, Rhabarbarum cum carne passul. per setaceum cribratarum, vel morsulos aut orbiculos è Rhabarbaro. Plurimum enim epar atque renes juvant, & ventriculum tamen non lædunt, ut etiam roborent. Quantumvis verò diligens victus ratio, nisi exercitia sint quotidiana, omnium excrementorum proventum impedire nequit. Foris multa adhiberi possunt, sed duo mihi maximè probantur, primum hoc unguentum: Accipiatur succus maluarum & misceatur lento igne cum adipe cuniculi, præsertim eo quod ad renes reperitur. Hoc sæpè inungantur lumbi in ea parte, in qua sunt renes. Secundo misceatur unguentum rosatum Mes cum oleo amygdalarum amararum, & utatur ut in prior. Addam laudatum à peritissimis medicis, cujus usus singulis annis in vindemia est, accipiantur vinnacei prælo expressi, atque adhuc calentes ex uvis maturioribus, & matutinis horis ac ante cœnam dimidium horæ renibus quinque diebus apponantur. Hoc remedium excellentem medicum autorem habet, & rationi maximè consentaneum est. Cùm enim in renum affectione à calculo tenuare atque mollire Hipp. jubeat, &

vinaceî moderato suo calore materiam tenuent.substantiam enim renum molliorem reddant,ut calculi per eam facilimè transeant. robur enim astringente facultate addunt. Sane non video quid ad rectam præservandi rationem in isto usu vinaceorum , nisi immodicè fortè renes sint calidi, desiderari queat. Sunt & alia infinita propemodum remedia, ex aquis destillatis,oleis,ut terebinth.iuniperi,&c. succeis,inter quos præstat succus veronicæ, & hederæ terrestris. Item pulvis ex nucleis , seminibus,radicibus,partibus animalium , ut pelle lucii piscis,cinere leporis,&c. quæ recitare omnia longum esset. Sed inter cætera tutus omninò esset usus rad. rubi in vino rubro cocti,& biduo vel triduo sumti. Dolore autem gravi urgente utilissimum & convenientissimum esset clysterem injicere.

℞ *Malua.*

Parietar.

*Veronic.*a.m.iij.

Decoq.in s.q.aquæ puræ, & colaturæ ℞ ℥ xv. ol. amygdalarum dulcium recent. amarar.an. ℥ iij.

Sachari ℥ j.Misc.

Talis clyster , qui non continet medicamenta solutiva nihil lædit intestina,nec vapores , qui cor afficiunt, concitant. Quin potiùs eos à corde avertunt,renes emolliunt , & cum oppressis recrementis intestinorum graves dolo-

res

res adsint, ab illis liberant.flatibus qui in renali morbo dolorem augent, viam aperiunt,& multis modis juvant,neque hæmorrhoides(nisi injiciantur incautè) quicquam offendunt. Cæterùm ut tam foris, quàm intus materia attenuetur, & substantia renum mollior reddatur,quò calculi facilius protrudantur, non diureticis,& immodicè calefacientibus & siccantibus,verùm humectantibus procedendum initio erit. Applicetur igitur parti dolenti hoc cataplasma, quod refrigeratum statim sursum in sartagine calefiat:

℞ *Maluæ.*
Parietar virid.si haberi poßit,a.m.iij.
Raphani sine radicula.
Petroselini cum toto an.m j.

Decoq.in s.q. aquæ puræ, & additis cæpis tribus,ac oleo amygdalarum dulcium q.s.f. cataplasma. deinde contund. cum ol. scorpion. amygd.amarar.ad formam emplastri extendatur,ac renibus, si dolor est renum, vel vesicæ applicetur. Nã calculũ frangit atq; emollit. In gravi renũ dolore atq; calore hoc emplastrũ, ut faciliùs calculũ elidat,prodesse sępè animaverti:

℞ *Cancror* IX.

Bull.in s.q. aq.puræ vel lactis, & contundantur,ac rursum coquantur, succusque exprimatur. Eo succo imbuatur panis albi medulla, & additis vitellis ovorum duobus, butyri recentis, & olei violarum q. s. commisceantur

omnia in mortario,& extendantur in panno lineo,& renibus ac ureteribus applicetur. Intra corpus multa dantur,quæ vias leniunt, calculi materiam incidunt,& attenuant, sed his cautè utendum.Ad lenitionem autem & attenuationem prodest Decoctum radicum altheæ & petroselini cum herba veronicæ, addito melle vel saccharo,vel butyro recenti, vel oleo amygdalarum dulcium. Decoctum etiam hederæ terrestris cum veronica. Sed rubi vel ononis radices optimæ sunt. Ad balnea autem & insessus nequaquam deveniendum, nisi ista non contulerint,& corpus fuerit clysteribus vacuatum. Tunc enim si graviter in viis calculus impactus hæreat,nec prædictis remediis cedat, diureticis & aquæ,quam habet S. G. locus esse posset. Cùm autem hæc extrema initio statim adhibeantur,non remittente dolore,maloque ingravescente, mitiora & tutiora deinceps parum conferunt. Itaque ordine procedendum est,nec subito remedia ista mutanda, vel prorsus abjicienda. Sed perseverandum atque ferendum, Turbatur enim natura subinde incitatis medicamentis: & cum omnis actio fiat in tempore, subitæque mutationes minimè tutæ sint,tempus patienter expectandum.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSI-

CONSILIUM XVIII.

In renum affectionibus, & calculo, pro quodam Barone.

SUPERIORIBUS consiliis V.M. à me præscriptis satis monui, quis sit vitæ habendus modus, & ostendi ita medicinas adhibendas, ut ne dum nimis rectè valere studemus, universum valetudinis statum in periculum adducamus. Neminem enim sic valere, ut perpetuò sanum se profiteri possit, ac non minus talem, quàm perpetuò felicem, monstrum dici posse. Itaque mitigando & ferendo multa in melius mutari, & cavendo auerti. Ac cum in cautione, quæ præcipuè in recta victus ratione, & paucorum medicamentorum usu consistit, potissima valetudinis curatio posita sit. (Stultum enim est admittere, quod possit caveri) à recta victus ratione, & eorum medicamentorum usu, quæ sibi V.G. hactenus profuisse animadvertit, non discedat. Simplex autem cibus, & tempestivè sumptus saluberrimus est. Ab eo vero si quid excrementorū (ut fieri est necesse) remanet, & id corpus prægravet, materiamque morbi suppeditet, bis in anno ordinariis remediis à me præscriptis, deinde aliquoties lenientibus subducatur:

℞ *Passul.* ℥ vj.
Galangæ ℥ j.
Scolopend.
Betonic.
Veronic.
Fl. violar.
Meliss. a. p. j.
Rhabarb. electiss. ℥ j ß.
Fol. senæ Alexand. ℥ vj.
Syrupi conservat. Nucis Muscatæ parum, permisceantur.

Inter ea primum locum habere orbiculos de Rhabarbari extracto V. G. animadvertit, ut autem semper in promptu sint, habeat V. G. extractum. Componendi ratio hæc est: Quatuor unciæ sacchari dissol. in aq. cinnam. & coquantur ad justam spissitudinem. Huic addatur extracti Rhabarbari in succi rosarum drachmis tribus dissol. ℥ j. Deinde Rhabarbari subtiliter pulverisati, & aqua cinnamomi humectati ℥ ij. f. in orbiculis. Idem vero, quod isti orbiculi, præstabit saccharum Rosarum cum extracto, quod V. G. hîc paratum est, ad magnitudinem nucis juglandis sumptum. subducunt enim paulatim materiam è ventriculo, epate, & viis urinariis, epar & renes, ne calculos generent plurimum iuvabunt. Ut autem ista intemperies renum, (quæ præcipuè molesta) melius corrigatur habet V. G. unguentum, quo hora decubitus, & interdum etiam mane

mane ad præservationem uti poterit. Cæterum si dolor infestaret, coquantur cancri XII. & contundantur cocti, atque succus exprimatur, & imbuatur medulla panis albi, & addantur vitelli ovorum tres, ol. amygdalatum amaratum quantum satis est, f. quasi emplastrum, & renum regioni apponatur, dum urget dolor: si vero in meatibus urinariis, & anteriore parte dolor est, coquatur parietaria vera, petroselinum, saxifragia in aqua simplici, & addantur tres cæpæ sub cineribus coctæ, atque ol. amygd. amar. quantum satis est, ac calidè inter pannum lineum, & duplicem ventri inferiori tanquam cataplasma applicetur. Hic non modo dolor sedabitur, sed calculi materia ita comminuetur, & viæ laxiores reddentur, ut sine gravi dolore exeat. Potiones, balnea, & similia medicamenta, nisi gravis urgeat necessitas, non probo. Ad morbi autem reliquias (quas tamen nullas relictas arbitror) ineunte hyeme V. G. interdum succo cardui, instar nucis avellanæ, vel castaneæ utatur, & ut in minori quantitate magis sit efficax, extractum succo addat. Ut benignus Deus medicamenta, & ut V. G. benignè fortunet precor.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XIX.

In renum dolore, calculo, podagra, & spasmo, pro eodem Barone;

IN sanitatis tuitione, quæ huic corpori adhiberi debet, ad duo præcipuè respiciendum, primum ut cruditates vitentur, deinde ut calor naturalis conservetur. Hæc si consequi potuerimus, morborum causas avertemus, & facilem ad curationem viam reddemus. Cruditatum causa vix alia major est, quàm errata in victus ratione, non quidem in cibis mali succi, vel eorum quantitate nimia, sed male assumendi ordine. Diutius enim quàm par est G. D. in mensa moratur, & uno cibo ferè concocto alterum primum ingerit. Nonnunquam etiam varietate peccat, sed de victus etiam ratione satis multa, jam antea à me præscripta sunt. Ea igitur non repetam. Cæterum cum calore naturali existente debili, etiam in optima, inculpatissimaque victus ratione non rarò, si exercitia usitata omittantur, crudi humores generantur, necesse est ut vel calor ventriculi medicamentis idoneis adjuvetur, vel tempestivè accumulata excrementa evacuentur. Quod ad primum attinet, præscripsi morsulos matutinis horis assumendos, quorum hæc est descriptio.

℞ *Specier. Imperial.* ℥ ß.
Pinea. elot. diligenter, & subtil. incis. ℥ ij.
Specier.

Specier. aromatic. rosat. ℥ j ß.
Sacch. in aq. rosat. dissol. ℥ vij.
Adde in fine ole. cinnam gr. iij
Musch. gr. ij.
Misc. f. conf. in morsulis.

Species Imperiales.

℞ *Cinnamo.*
Zinziber. a. ℥ ij.
Macis.
Galang.
Nucis condit.
Cardam.
Gran. paradysi.
Piper. longi. a. ℈ j.
Calam. arom. ℥ j,
Cubebar.
Caryophyll. incis. a. ℥ ß.

Incid. omnia minutissimè, & serventur ad usum. Si forte post cibum vapores essent molestiores, sumat hos morsulos.

℞ *Coriand. præpa.* ℥ j.
Cinnam. inter. ℥ ij.
Corall. rub. præpa. ℥ j.
Santal. albi.
Mastich. a. ℈ j.
Sacchar. ℥ x.

Cum aq. rosarum & conserva rosar. f. confectio in morsulis, sumat statim à cibo. Ubi verò (sicut superiori æstate) etiam graveolens qui-

dam è ſtomacho vapor exhalaverit, orbiculis iſtis uti poterit.

℞ *Sacchar. in aq. roſar. diſſol.* ℥ iiij.
Ol garyophyll. gr. iiij.
Corall. rub. prapa. ℈ j.
Moſchi gr. ij.
F. confect. in orbiculis ſ. a.

Sunt & aliæ in conſiliis noſtris ad cruditates vitandas, & calorem fovendum præſcripta, quæ hoc loco repetere non eſt neceſſe. Inprimis autem medicamenta, quibus per intervalla humores in corpore collecti poſſunt expurgari. Ea igitur non repetam. Quod autem ad renalem dolorem attinet, ſi cruditates vitentur, gravis eſſe non poterit. Ut autem ſubſtantia renum mollior remaneat, & materia ipſa ad tranſitum præparetur, duobus unguentis recte uti poterit. Primum eſt album, quod ego plurimi facio.

℞ *Vnguenti roſat.* Meſ. ℥ j ß.
Ol. amygd. amar.
Scorpionum a. ʒ vj.
Amygd. amar. contuſ. ℥ ß.
Miſc. f. Vnguentum.

Alterum eſt ſubuiride, quod tamen minus juvare comperi.

℞ *Succi maluar.* ℥ ij.
Axungiæ cuniculi ℥ iij.
Coquan. ſimul, & add. Emplaſtri Diachyli ʒ v.

Ol. ſcor-

Ol. scorpionum ℥ ß.
Misc. iterum lento igne.

Alia cataplasmata, insessus etiam, sunt à me in superiori consilio descripta. Ad pedum dolorem, & qui nunc emergit podagricum, nihil melius tempestivo vinaceorum usu. Ad spasmum autem ventosum, nuper præscripsi hoc unguentum: quod profuit.

℞ *Axungiæ anseris recent.* ℥ iiij.
Ol. caryophyll. ℈ ß.
Cinnamo. gutt. v. Misc.

Hoc qua ratione sit utendum & adhibendum, notum est. Urgentibus verò doloribus nihil aliud, quam catulum adhiberi velim, & cùm jam inflammatio desiit, fomentationem ex artemisia, origano, chamomilla, & absinthio cocta in aqua & vino. Habet G.D. quæ à me voluit omnia. Remedia autem plura præscribere, quorum intempestivus usus plus incommodi, quàm commodi adferat, minime rectum videtur.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XX.

In Calculo, pro eodem Barone;

CALCULI affectus, quo M.V. laborare solet, humoris est, præsertim pituitæ & bilis

à capite ad renes defluxio, in quibus cùm diutius materia consistit, ob calorem ipsorum concrescit, & in arenulas degenerat, idque vel in sinubus eorundem, vel in carne. Quando igitur urinæ difficulter prodeunt, & arenæ paulatim invicem conglutinantur, calculi aut in utroque rene singuli pluresve, aut in uno tantum gigni solent. Quia verò diversa excrementa corpus gravare, materiamque morbo suppeditare solent, optimum ad tuendam valetudinem erit, primùm, generales duas purgationes, unam vernam, alteram autumnali tempore experiri, deinde per intervalla remediis levioribus, tum ad alvum ducendam, tum ad urinam cum arenis promovendam accommodaris uti. In vere conveniet decoctum nostrum ex hisce sequentibus paratum.

℞ Adianthi.
Polytrich. veri.
Hissopi a.m.ß.
Rad. Apij.
Petroselin.
Fenicul. a. ℥ ß.
Tamaricis.
Glycyrrhiz. purgat.
Polypod. a. ℥ j ß.
Sem. anis.
Fenicul. a. ℈ ij.
Medullæ carthami ℥ ij.

Deco-

Decoquantur in aqua pura, quanta satis est, ad tertias. Addatur aceti quadrans, aut vini triens, deinde:

Agarici trochiscat. ʒ j ß.
Rhabarb. El. ʒ iij.
Fol. senæ Alexand purgat. ℥ j.
Zinzib. minutim incis. ℈ ij.

Mane rursus colentur citra expressionem. Hujus diluti tribus unciis add.

Syrupi rosar. solut. aut violacei ℥ j ß.
Aq. cinnamo. destill. ℥ j.

Mane exhibeantur tribus horis ante cibum, deinde jusculum gallinæ non pingue, vel pisorum modicè coctorum cum salis momento. Ubi verò intra horas prædictas aluus subduci inceperit, cibus longius differendus est. Hæc potio secundo die iteranda est, vel etiam tertio repetenda. Præstaret id fieri Medico præsente, qui naturæ & virium medicamenti rationem habeat. Diebus duobus aut tribus interpositis catapotia hæc in aurora assumantur, sic ut somnus subsequatur, vel longissimè à cœna.

℞ *Aloës el.* ʒ j.
Rhabarb. el.
Agaric. op. a. ʒ ß.
Salis gemmæ gr. vj.
Zinzib.
Spicæ a. ℈ ß.
Mastich ℈ ß gr. v.

Terantur singula per se, deinde aspergantur succo rosarum, sinanturque exiccari, fiatque massa. Ex qua drachma una in pillulas undecim redigatur. Quòd si M. V. citius illas purgare velit, paulò ante cibum, vel cœnam assumere poterit. In Autumno utetur Generosus Baro diebus aliquot syrupo de succo betonicæ, adque ℥ iiij. syrupi admisceatur scrupulus unus calami aromatici extract, sumat singulis diebus cochlearia duo, vel tria, per novem vel decem dies. Deinde tempore verno bibat hoc decoctum purgans.

℞ *Passul. Corinthiac.* ℨ vj.
Galangæ ℨ j.
Scolopend.
Veronic.
Meliss.
Fl. violar. a. p j.
Rhabarb. el. ℨ j ß.
Fol. senæ Alexand. select. ℨ v j.
Decoq. s. a in sufficiente quantitate seri lactis.
℞ *Colaturæ* ℨ iiij. add.
Syrupi rosac. solut.
Mannæ Calabrin. a. ℥ j.
Aq. *cinnam.* ℨ ij. Misc.

Sub Autumnum autem potio ista mutetur hoc modo:

℞ *Passul.* ℨ vj.
Galang. ℨ j
Betonic.

Vero-

Veronicæ.
Meliss an.m.ß.
Fl.borrag.
*Violar.*an.p j.
Fol.senæ Alexand.select. ℨ vj.
Epithymi Cretensis ℨ ij.
Cortic.Hellebori nigri ℨ ß.

Irrorentur herbæ, & radices vino, & decoquantur secundum artem, in sufficienti quantitate aquæ puræ.

℞ *Colaturæ* ℥ iiij. add.
Syrupi rosat.solut. ℥ j.
Mannæ Calabrin. ℨ vj.
Syrupi conservationis Zinziberis ℨ j.Misc.

Deinde conficiantur orbiculi ex ℥v.saccha. in aqua rosacea dissol.& ℈ ß. extracti cala.arom. atque iis matutinis horis aliquot diebus utatur. Usus etiam calami aromatici est, non solum in ventriculi affectionibus sed etiam in catarrhis frigidis, si cum melle rosato mane, sicut ante de syrupo betonicæ dixi. Ubi jam morbi accessio invaserit, & facultas naturæ expultrix valida sit, vi sua ac sponte calculos expellit, sin imbecilla auxiliis indiget. Primùm clysteribus idoneis per alvum injectis, quibus meatus urinarij laxiores fiunt ac dilatantur, ut materia arenosa vel calculi ipsi promtius educantur. Parantur autem clysteres in hunc modum;

℞ *Herb.maluæ.*

Parietariæ.

Brancæ ursinæ a. m.j.

Rad.althea.

*Lilior.albor.*an.℥ j ß.

Sem.lini.

*Fœnig.*an.℥ j.

Ficus num,v.

Decoquantur omnia in sufficienti aquæ quantitate ad tertias. Iuris colati libræ add.Elect. Diacathol.℥ j.

Mellis rosac.

*Sacchar.rubr.*an.℥ j.

Ol.amygdal.dul.

*Chamomelin.*an.℥ j ß.

Salis modicum.

Misc.ad formam clysteris. Is ante cibum mane,aut vesperi moderatè calidus injicitur. Die sequenti sumantur orbiculi ex Rhabarbari extracto,vel saccharum rosatum eodem extracto ad magnitudinem nucis juglandis,materiæ è jecore,& viis urinariis educendæ gratia. Partes exteriores renum vesperi tempore decubitus, sicut etiam mane unguento ex oleo scorpionis compositi, & liliorum singulorum sescuncia mediocriter calefactis inungentur & postea linteo calido contegentur, maximè per hyemem. Quòd si in meatibus urinariis dolor interiorem partem infestat, cataplasma admovetur,quod ex parietaria,petroselino & saxifragia in

gia in aqua ſimplici decoctis paratur. Huic autem addentur tres cæpæ ſub cineribus toſtæ, & olei amygdalum amar. ℥ iij. inſtar, aut quantum ſatis eſt, inter pannum lineum duplicatum extenditur, ventrique inferiori applicatur. Quòd ſi iſta nihil, aut parum profecerint, inſeſſus vel balneum aquæ dulcis cum herbis prædictis optimè conveniet, non nimis calidum, neque diuturnum. Purgatione abſoluta ventriculum corroborare oportet, ſequenti die mane, conſerva roſarum, guttis duabus olei cinnamomi imbuta, nucis juglandis inſtar. Corroborant autem naturam tabellæ rotundæ ex oleo cinnamomi, & ſaccharo roſato cum margaritis, ſicut aliæ ex oleo garyophyllorum confectæ, ſtomacho pituita repleto conveniunt. Nonnunquam poſſunt etiam juſcula, ſive ſorbitiones ex ciceribus 30. petroſelini radicibus duabus, aut tribus, cum modico butyro recenti & ſale ante alium cibum ſumpta. Idem facit potio ex glycyrrhizæ raſæ ℥j. cinnam. ʒß. Galangæ ℈j. Baccarum Iuniperi num. 20. in aquæ libris tribus, ad tertias decocta, colataque. Talis aqua loco potus aſſumi & miſceri vino poteſt utiliter. Idem præſtant baccæ ſole comeſtæ num. v. ante cibum. Vel hoc electuarium.

℞ Diaprunis ſimpl.
Caſsiæ rec. extract. a. ℥ j.
Berberis ℈ ß.

Passul.mundat.
Pulpræ sebesten.a.℥ ij.
Pul.glycyrr.℥ ß.

Misc. & cum syrupo de capill.vener. ℥ j. & ol. cinnamo. gutt. v. Ex hoc electuario sumatur ℥ß. instar una vice, hora una ante cibum. Inter hæc omnia primùm aeris intemperies, præsertim frigida, vitari debet, nihilque vel nimis calidum, vel frigidum lumbis applicandum est, sed omnia temperata. Non solùm autem extrinsecus, sed etiam per os assumi oportet: somnus longior, præsertim diurnus cavendus est, si nocturnus naturalis extiterit: mane tempestivius surgendum est: non longè post hunc alvus dejicienda, urina reddenda, os colluendum aqua, cui incocta sint aliquot salviæ folia, facies eadem irroranda modicè, postea ad ingenii seu animi exercitia transeundum. Si stomachus nausea infestetur, aliquid sumendum est, quod eum calefaciat, corroboretque, cujusmodi nunc est calamus aromat. extractus, nunc aliquid ex cinnamo zinzibere indico viridi confecto, ubi tempus non nimis calidum fuerit. Ubi jam ingenii munia absoluta sunt, corporis exercitatio hora una ante prandium & cœnam subeunda est, vel ambulatione, vel inequitatione, idque tam diu donec corpus madere, nondum autem sudare incipiat. Mane validius, quàm vesperi excercitium convenit, nunquàm vehementius. Quemadmodum enim

enim moderatus exercitationis usus maximum sanitati tuendæ adjuvamentum, ita immoderatus summum detrimentum corpori affert. Rursum ut exercitatio cibum præcedens valetudini commodat: sic statim post illam adhibita crudos adhuc succos in ventre contentus per totum corpus distrahit. Unde postea multiplices, & varii morbi, præsertim calculi generantur, quod etiam fieri solet si gravis animi cogitatio meditatioque protinus illam sequatur. Hoc simul observandum est, ut corpus initio levius, deinde validius exerceatur. Quòd si corpus defatigatum cibum pridianum minus perfectè concoxerit, remissius movendum erit. Cibus sumetur quando corpus non amplius à labore calescit. Nam spiritibus adhuc intentis, & calore commoto, crudi humores ad viscera rapiuntur, & magnas sæpè obstructiones pariunt. Erit autem cibus boni succi, & facilis concoctu, quò simplicior, hoc utilior existit. Cùm plures adsunt, ordo servari debet, ut liquidus ex jusculis idoneis, pullorum, gallinarum, caporum, cum herbis borrag bugloss: cichor. spinach. vel ptisana, præcedat, deinde solidiores sequantur, inter hos primùm elixi, deinde assi, atque in his etiam singulorum habenda est ratio. In secunda mensa ex usu sunt fructus autumnales, ut pyra, cotonea, amygdalæ, nuces avellanæ, vel eorum loco tragemata. Potui convenit vinum album, aut

rubellum, præsertim vesperi, non crassum, non turbidum, recens aut nimis vetus. Optimum est tenue, ætatis mediæ, ut anniculũ, aut bimulũ, sive Neccarinũ, sive Rhenanũ, aliudve simile, quod urinam statim moveat. His diligenter observatis si affectus iste non totus discutiatur, saltem mitior evadet, Deus opt. max. hæc remedia ad nominis sui gloriam, & heroicæ V. M. valetudinem fortunet.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXI.

In colicis, & aliorum intestinorum doloribus pro quodam generoso Domino.

COLICIS doloribus non memini S. G. infestari. Renum autem dolorem sæpè videri colicum, cùm non sit, sciunt medici oleum amygdalinum cum vino Maluatico haustum, usitatum & pervulgatum est remedium. Verùm ego drachmam dimidiam spermatis ceti addo, atque hoc inter efficacia & secreta remedia habeo. Sed videndum ne sperma vetus sit ac rancidum. Usus balneorum, præsertim in his regionibus, in quibus dolor colicus plerunque in paralysin transit, nequaquam tutus est. Galenus in dolore, à ventositate orto, cu-

cucurbitam magnam cum multa flamma, ventri ut umbilicum admovet, & ita subitò auxilium ferre affirmat, ut incantamenti simile videatur. In pauperibus allium cum sale contusum sæpè magno successu ventri apponitur. Sed si dolor est à materia crassa, convenientia enemata ex vino, pulvere hieræ & aloë adhibeantur. Hoc verò cùm in S.G. propter hæmorrhoides locū non habeat, meminerint medici cautè cū his procedendum. In colica & iliaca plurimum valet extractum calami aromatici ad ℈j. cum syrupo aliquo sumptum. Item Mithridatica antidotus cum succo citoniorum in lienteria.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXII.

In dysenteria, pro quodam Magnifico Domino.

HOc morbo aliquoties S. M. periculosè ægrotasse intelligo, ac non solùm gravia intestinorum tormina, sed vera etiam ulcera fuisse & purulenta cum sangvine excreta commemoratum est. Memini autem anno 1567. exeunte mense Augusto S. M. gravissimis intestinorum torminibus tentatam cum fluxu

ventris & hæmorrhoidum solito vehementiori. Hic morbus habebatur pro dysenteria, verùm mihi excrementa talia visa non sunt, qualia esse solent dysentericorum, nec ramenta ulla conspecta. Mucus autem corrupti saniei speciem habebat, & usu clysterum hæmorrhoides irritabantur, ut non modò uberius fluerent, verumetiam gravius dolerent, & vicinas partes in consensum traherent. Vomitiones etiam crebræ fuerunt, & appetitus planè prostratus. Adhibita sunt astringentia foris & intra corpus data. Foris emplastrum de crusta panis, atque emplasttum Diaphænicon. Intus aqua stillaticia è pane secalino, & pulveres cum bolo armena & terra sigillata. Itaque retenta materia, quam haud dubiè natura conabatur expellere, supervenit non solùm diuturna podagra verùm fluxiones manum quoque tentabant. Hæc ideò commemoro, ut medici purgationes naturales à præternaturalibus fluxionibus discernant. Nunc autem de dysenteria agam, atque integram curationem præscribam, ut si fortè necessitas hoc postularet, quod melioribus cogitationibus subjiciatur in promptu sit. Superueniente itaque dolore intestinorum dejectionibus multis & cruentis, & iis signis, quæ dysenteriam indicant, præsentibus, victus in primis ratio recta instituatur, atque superiora ne, vel inferiora intesti-

na la-

na laborent, observetur. Adhibeatur autem initio clyster abstergens hoc modo:

℞ *Hordei torrefact.* m j.
Furfurum p j. *Verbasci.*
Agrimoniæ a. m ß.
Decoq. in s. q. aq. puræ, colaturæ
℞ ℥ xviij. *ol. rosac. completi* ℥ j. *sacchari rubri* ℥ j ß. Misc.

Vel simplex enema detur ex decocto capi, in quo jure ebulliant flores chamomæli cum saccharo & vitello ovi, & hoc repetatur. Si febris adest, per os sumat jus pulli macrum, in quo decoquatur endivia, atque ut quiescat, & dormiat omni studio procuretur. Venter inungatur oleo chamomælino & rosato cum cera. Si tenesmus & assidua cupiditas desidendi adest, fomentatio fit cum verbasco. Ventriculus roboretur diligenter. In recta victus ratione nihil præmittatur, nec detur potus chalybeatus, ut fieri solet. Non enim is astringit, ut falsò existimant medici, sed turbat alvum. Serum autem lactis, in quo chalybs extinguitur, per clysterem injiciatur, qui alvum sistit. Hoc tamen secunda die morbi non faciendum; verum abstergens enema repetendũ, & si exulceratio esset in superioribus intestinis, syrupus abstergens per os dandus, & inunctionibus insistendum. Idem faciendum tertio die. Sed in quarto morbi mutationes magnæ non sunt, nihil mutet medicus in curatione. In

quinta autem exhibeatur medicamentum, quod mediocriter ab epate trahat:

℞ *Rhabarb. loti in aq. endiviæ* ʒ j ß.

pulver.

Conservæ rosar. ʒ iij, Misc. f. bolus. Sexta die detur clyster, qui magis abstergat, (nisi malum sit in superibus intestinis. Tunc enim syrupus è cichorio, & similes conveniunt) & roboret:

℞ *Hordei mundi.*
Malvæ.
Agrimon. a. m j.
Rosarum. *Plantag.*
Verbasci a. m ß.
Rad. symphyti ʒ j.
Decoquantur in jure carnis arietis.

℞ *Decocti* ℔ j. *in qua dissolu.*
Adipis castrati ℥ j.
Sevi hircini ʒ ij.
Ol. rosac. complet. ℥ j ß.
Vitell. ovorum semicoctorum nu. ij.
Sacchari rubri ℥ j.

Possunt subinde fieri magis astringentes, ac probatur mihi iste:

℞ *Seri lactis, in quo chalybs extinguatur* ℔ j ß.
Decoq. in eo oryza tosta, hujus decocti ℞ ℔ ij.
Sevi hircini ℥ ß.
Ol. rosat. complet. vel omphacini, si habetur ℥ j.
vel ol. citonior ʒ j.
Succi plantag. ʒ ß.

Boli

Boli armeni ℥ j. Misc.

Si dolor nihil remitteret, sed ingravesceret, foris applicetur omentum arietis in oleo rosato, vel oleo verbasci coctum, & ungatur venter sequenti linimento:

℞ *Ol rosat complet.*
Citonior. an. ℥ j.
Sevi hircini ℥ iij.
Ol. nucis Muschatæ ℥ j.
Corall præparat.
Mastich. a. ℈ j. *f. linimentum.*

Si vigiliæ adsunt, detur jus pulli cum seminibus papaveris, & melopeponum, atque inungantur tempora, volæ manuum & plantæ pedum sevo hircino, cui parum odoris gratia unguenti rosac. Mes. admisceatur. In siti magna datur aqua fragorum: aqua tormentillæ cum syrupi citoniorum. Item interdum cochleare succi citoniorum. Deficientibus viribus emulsio nostra margaritarum propinanda, & in tota curatione attentissimè videndum, ne vires cadant. Ante septimum priusquam ulcera intestinorum probè extergantur, astringentia per os non conveniunt, nec foris etiam applicanda sunt, verùm post septimum à levioribus incipiendum. Fit vulgo pastillus in tegula calida ex vitellis ovorum, nuce muscata & oleo olivarum. Quidam etiam tormentillæ pulveres addunt, & simili se curatum S. M. à coquo suo meminit. Verùm fluxum dysentericum

astringere, non esse veram curationem, sed causam tollendam, & ulcus sanandum intelligunt omnes eruditi medici. Id vero ubi factum fuerit, astringentia tuto adhibentur. Pastillus, cujus facta est mentio, paratur hoc modo:

℞ *Vitell. ovorum* num. iij.
Olei olivar. ℥ j.
Nucis Muscatæ num. ij.

In tegula calida fiunt Trochisci. Sunt alia sexcenta astringentia, quibus in hoc morbo plerique utuntur. Alii enim calcem equi ustum, alii capitis lucii piscis ossa usta, alii humana ossa adhibent. Denique ad varios succos astringentes perveniunt. Sed in morbi initio talia vel in mortem, vel graviores morbos præcipitare multis exemplis posset ostendi. Tutus est usus pulveris Tragacanth. in ovo sorbili cum pulvere corall. & nucis Muscatæ hoc modo:

℞ *Pulveris Tragacanth.* ʒ j.
Nucis Muscatæ.
Corallor. a. ʒ ß. Misc.

Item boli, terræ sigillatæ. Exhibetur etiam rectè ejusmodi confectio in morsulis:

℞ Rad. symphiti sub cineribus tostar. contusar. & per cribrum transfusarum. Pulpæ perdicum.
Pistacior. an ℥ j.
Sem. plantag.

Aceto-

Acetosæ a. ℥ß.
Corall. utriusque an. ʒ j.
Sacchar. ℥ vj. *Misc. f. morsuli.*
Etiam iste pulvis utilis est:
℞ *Gummi arabic.* ʒ j.
Corall. præparat.
Boli armen. præparat. an. ʒ ß.
Misc. detur in ovo sorbili.

Extncto etiam corallorum, seu corallis dissolutis rectius utimur, quàm pulveribus. Conveniens hic quoque pulvis:

℞ *Cornu cervi usti.*
Boli armen.
Corall. utriusque.
Santal. omnium.
Mastich. a. ʒ ß.
Thuris.
Tragacanth. an. ℈ ß. Misc.

Destillata ex pyris sylvestribus aqua ex pane secalino recenti admodum commendatur. In sua M. magis probarem vinum, seu succum citoniorum cum extracto corallorum. Foris corpori admoventur multa, ut emplastrum de crusta panis, emplastrum Diaphænicon, & similia. Valentissimum hoc est:

℞ *Carnis itonior. sub cineribus coctor.* ℥ iiij.
Rad. symphyti similiter coctar. & per cribrum transfusarum ℥ ij.
Hypocistid.
Acaciæ.

Boli armen.
Tragacanth.
Mastich. a. ʒ j ß.
Ol. citonior.
Myrtini an. ℥ j ß.
Succi citonior.
Plantag.
Aceti rosac. & passulati an. ʒ vj.
Farinæ Milij q. s.

F. emplastrum diligenti coctura & addatur cera. Ad opiata, item caustica, non nisi in summa necessitate deveniendum, prius tamen quàm manifestus sit virium lapsus.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXIII.

De hæmorrhoidibus, pro quodam generoso Domino.

EST quidem hæc fluxio præter naturam, verùm consuetudine naturalis facta: itaque nequaquam ex toto reprimenda. Nihil enim dubito, quin non solùm dolores articulorum, & renum graviores (à quibus corpora præservare hæmorrhoides Hippocrates scripsit) consecuturi essent; si non fluerent, verùm etiam morbi gravissimi, qui ab eodem Hippocrate recitantur (quod avertat Deus) S. G. oppressuri,

ſuri. Itaque cùm fluunt, diligens inprimis victus ratio habenda eſt, & ab omnibus, quæ ſupprimunt cavendum. Solent autem ſupprimere quæcunq; fluxum ſangvinis ex aliis partibus ſiſtunt, ut uſus fragorum frequentior, & crudorum fructuum, qui ſangvinem refrigerant. Id quod in S.G. corpore non ſemel obſervavi, & deinceps dolores renum & articulorum conſequi animadverti. Si autem fortè aliis de cauſis obſtruerentur, aloë roſata, quod & ventriculum, & caput roborat, ad unũ, vel dimidiũ ſcrupulum aſſumpta ſine periculo aperiri poſſent. Fit autem aloës roſata hoc modo:

℞ *Aloes optimæ* ℥ iij.

Myrrhæ el. ℥ j.

Imbuantur pulveriſata ſucco roſarum, & ſervetur iſta maſſa, donec habeantur folia roſar. recentia, ac cum illis contundantur ac miſceantur. Si parum maſtichis addatur, melius roborabit, ſed minus alvum ſolvet. Sin verò tumeant, atque eas aperiri oporteat, primùm fomentetur locus decocto maluæ, violar. parietar. Si fortioribus opus ſit addatur: ebulus, bryonia, centaurium, cyclamen. Deinde inungantur oleo ex nucleis perſicis expreſſo. Id ſi non ſatisfacit, adjiciatur ſuccus cæparum, & fel taurinum, atque iſtis imbuatur pulpa colocynthidis & admoveatur. Sed cavendum ſedulò ne fortioribus inflammatio excitetur. Eſt enim ſphyncter ſeu muſculus anum claudens

nervosus,& à vicino osse sacro propagines nervorum in eum locum deducuntur. Itaque gravissimi dolores, etiam nullis medicamentis stimulantibus in ea parte oriuntur. De apertione autem, quæ ferro fit, nihil ausim consulere, cùm sæpè malè cessisse meminerim.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXIV.

In hæmorrhoidum dolore, pro quadam Illustri persona.

HABET S.G. Unguentum ex butyro, rosato Mes. & lapide calaminari, cumque hoc feliciter hactenus S.G. usa sit, illud non muto. Sunt tamen & alia, quæ idem præstant, ut Tragacant. cum oleo balsaminæ. Item mucillago psyllii cum tragacanta & oleo violaceo in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo ducta, si nulla assit inflammatio, vehemens tamen dolor propter tensionem (sæpè enim sangvis crassus in istis venis flatus producit) foveri possunt decocto origani, serpilli, quibus herba fragorum additur. Item quod pluribus profuit, sacculo impleto floribus verbasci & furfuribus tritici, & in aqua cui parum vini affundatur cocto. Item violaria herba in lacte cocta,

& oleo

& oleo momordicæ admixto præstat, si tanquam cataplasma adhibeatur. Item oleum è chrysomelis, succo sempervivi ei addito. Cavendum est autem omni studio ne locus exulceretur. Itaque urina patientis locus abstergendus, cum pinguia ista fuerint adhibita. Cùm autem moderatè fluunt, optima victus ratio tenenda, & quando S. G. phlebotomiam non admittit, isto modo sangvinis copia minuenda.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXV.

In immoderato fluxu hæmorrhoidum, pro quodam magnifico Domino.

TUM sistendæ sunt aliquo modo; primum revulsione sangvinis per cucurbitulas, & ligaturas, &c. Deinceps localibus remediis. Quidam de radice scrophulariæ affirmant, eam sistere fluxum, & suppressum movere hoc modo: Radix in tessulas incidatur, & filo connectatur, vinoque injiciatur, de quo novem diebus patiens bibat. Postea radices siccentur. Eo modo autem quo radices exiccantur, hæmorrhoides quoque exiccari, atque minui censent. Ubi autem rursus aperire & fluere velis, fimo vel aquæ imponendas atque tunc rugas hæmorrhoidum eodem modo, sicut radicum

extendi atque aperiri, si credere fas est. Bibisse S.M. semel de radice ista ante omnes sex memini, quid sit consecutum nescio, Certius autem remedium afferam. Provenit in pratis instar pilei magni spongia terrestris, quam, *Bubenfist*, item *Phalenfist* appellant, ea siccatur, & cùm necesse est, portiuncula venis fluentibus admovetur. Non enim modò sangvinem fluentem sistir, verùm etiam partes illas exulceratas melius, quàm ullum aliud medicamentum sanat. Experto fides adhibenda. Præstat idem crocus Martis, in aqua plantaginis, vel fragorum dissolutus, vel inspersus, de quo ante biennium S. M. admonui. Etiam aqua fragorum bibita cum citoniorum syrupo aut succo. Sunt & alia plurima, quæ utiliter usurpantur. Verùm tuta & experta tantùm remedia indicare mihi propositum est. Initiò autem monui non esse ex toto supprimendas, ne gravius aliquod malum consequatur. Itaque ut illa, quæ astringunt, cautè adhibeantur moneo. Spongia autem terrestri tutò uti S. M. poterit, semperque in pharmacopolio in promtu erit.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXVI.

In Quartana, pro quodam Generoso Domino;

UTINAM tàm feciliter consilium dem, quàm ex animo hoc facio, & quàm te Reipubli-

publicæ superstitem esse opto. Quin autem ita sum daturus, non dubito, cum beneficio Dei, in aliis rectè successerit res & de eventu, qui benè sperare jubet, significetur. Primum autem Quartana non ex alio morbo est nata, deinde minimè inclementer initio tractata. Autumno cœpit, verum autumnus nobis pro æstate fuit. Itaque non puto multo diutius, quàm usu artis præstantissimus Medicus existimat duraturam. Meminisse autem vestram generosam clementiam arbitror me superiori anno Dominum Georgium Broskouskii ante hyemem curasse, evasisse etiam mea opera, valetudine pænè desperata, Præstantissimum Dominum Rueberium, ut de aliis nihil dicam. In ea igitur sententia V.G. manere volo, medicamenta purgantia frustra adhiberi, cum ne pituitosum quidem humorem (qui haud scio an non multo magis Quartanæ causa sit, quàm Melancholicus) evacuant, tantũ abest ut limosum istũ possint: si tamen alvus sit adstricta, rectè adhiberi enemata humectantia ex decocto veronicæ, atque cardui benedicti judico, Ac verè affirmo, me magni nominis virum solo usu enematum (cum alia remedia omnia aspernaretur) liberasse, sed hoc fit in illis, qui initio paroxysmorum tormina ventris sentiunt. Diligenter autem observandum est, quæ pars corporis in ipsa invasione laborare videatur, eaque

diligenter fovenda, & calor innatus (qui eſt omnium actionum naturalium opifex) adjuvetur. Audivi hæc à Medico excellentiſſimo, qui quartana confectus ferè, ab empirico iſto modo eſt curatus. Primum parti, quæ initio paroxyſmi afficiebatur fomenta adhibebat, proceſſu temporis, quòd materiam educeret. Exiſtimabat autem emplaſtrum, quod adhibebat, fuiſſe ex Elleboro compoſitum. De his vero ſcribere nunc non vacat, fortaſſe aliis literis Excellentiſſimo Domino Andernaco uberius meam ſententiam de natura & curatione Quartanæ exponam. Nunc quid in plurimis rectum uſu atque experientia compertum ſignificabo. Multis diebus Quartana laborantibus ſolum decoctum raparum do. Admonitus ſum de hoc excellentiſſimi Medici Guainerii conſilio, qui ſcripſit ſe Abbatem quendam felicius rapis, quàm aliis medicamentis curaſſe, ſic autem exhibeo: Mundandas ab exteriore cortice, deinde decoquendas curo, primum jus tempeſtive abjicio, aliam aquam puram affundo, & donec diffluant rapæ decoquo, exprimo ſuccum accuratè, & addo butyrum recentiſſimum abſque ſale cum ſaccharo, ſi flatulentus eſt æger, adjicio garyophyllos leniter inciſos. Matutinis horis do quinque nucleos perſicos mundatos. In iſta curatione perſevero plerumque diebus xv. Dum alvus eſt aſtricta, enemate lenio. Ante acceſſionem de-

coquo

coquo in vino Naccarino herbam illam, quam Matthiolus appellat Clinopodium, & ante accessionem exhibeo, & ne quid in paroxysmo bibant veto, virib. omnib. rationibus consulo. Victus rationem exactã non requiro. A lacticiniis tamen & piscibus abstinere jubeo. Nec siccantia & calefacientia concedo. Hoc modo servavi plurimos. Ubi valdè est contumax morbus, & calores nimium molesti & graves, in augmento paroxysmi, iis qui promptè evomunt, aquam rosarum tepidam exhibeo, & non solum arteriis in brachiis & pedibus, verum omnibus articulis radices urticæ contusas, & cum aceto maceratas exhibeo. Ventriculi autem viribus (sicut in omnibus morbis longis) quantum possum consulo. Hæc potui nunc scribere, quæ ut Generosissimo Domino prosint, ex animo precor.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXVII.

In Quartana, cum palpitatione cordis, & tumore in sura pro eodem.

VIx unquam Quartana ita discedit quin aliquas relinquat corpori molestias: iis autem principio obstandum, ne natura à morbo longo debilitata, exhaustis membris naturali-

bus aliis morbis opprimatur. Duo verò in primis morbi sunt post Quartanam pertimescendi: Hypochondriaca Melancholia, (quam Flatulentam Diocles appellavit:) & Hydrops. Itaque ut cruditates, & obstructiones tollantur, quæ hypochondriacæ affectionis causæ sunt, & jecur, quo illæso, nihil de hydrope periculi, in sua temperatura conservetur, opera danda. De recta victus ratione non moneo. Exactam autem prorsus non requiro. Bona tamen eos uti debere, quibuscunque ventriculus laboret, & cruditates molestæ sunt, verissimum est. Palpitatio ista haud dubiè per consensum à ventriculo & à flatibus oritur, non igitur magnopere metuenda. Ubi enim ventriculus vires suas recuperavit, & in officio fuerit, palpitationes minus graves & molestæ erunt. Proinde licet alvus sit fluida, tamen principio usu pillularum masticinarum pituitam vacuarem. Exhiberem autem bis in septimana hora una ante cœnam ℨß. Nec uterer fortioribus medicamentis purgantibus. Deinde ad tollendas obstructiones darē aliquot cochlearia, ut duo, vel tria serapii de duabus radicibus cum speciebus aromatici rosati, hoc modo.

℞ Serapÿ de duabus radicibus ℥ iij.
De succo Endiviæ
De succo borag. an. ℥ j.
Specier. aromatic. rosat. ʒ j ß. Misc.

Si ventriculus parum corroboraretur, adderem ad syru-

ad syrupum præscriptum, guttas tres extracti calami aromatici. Nam & præscriptus syrupus tribus vicibus assumendus est. Foris autem diligenter foverem & ventriculum & hypochondria hoc unguento.

℞ *Ol. amygd. dulc.* ℥ viij.
Vini optim. ℥ i ß.
Comar. absinth. p. j.
Flor. rosar.
Lavendulæ.
Summitt. anethi.
Fl. chamomill. an. p. ß.
Lig. aloës.
Mastich. an ℥ j.

Decoq ad vini consumpt. atque hoc unguento hypochondria inungantur. Ventriculus autem isto:

℞ *Ol. præscripti* ℥ j ß.
Pulu. Mastich.
Caryophyll. an. ℥ j.
Specier. aromatic. rosat.
Ol. nucis Muscatæ a. ℈ j.

Ceræ parum, misc. Muniatur autem ventriculus post inunctionem tela linea.

Si palpitatio molesta esse pergeret, interdum mane ℥ ß. Theriacæ, vel Mithridatij sumat. Foris etiam cordi Theriacam dissolutam cum aqua lavendulæ admoveat. Etsi autem tumor in sura aliquam intemperiem epatis minari videatur, tamen nihil metuo, cum post longos

morbos præsertim collectis crudiratibus sæpè intumescant pedes. Utetur tamen interdum orbiculis nostris ex Rhabarbari extracto, & horis matutinis spongia madefacta in vino, in quo absinthium ebullierit, suram foveat. Roberantium usum (quorum in superioribus consiliis feci mentionem) non negligat, & à potu aquæ abstineat. Vinum Neccarinum bene maturum non offendet. De Thermarum usu quid scribam ambigo, si ventriculi roborandi causa adhibeantur, atque id verè præstant, non obsto quo minus utatur; sed post longos morbos afflicto jam satis non arbitror afflictionem addendam. Hæc autem judicio præstantissimi Medici præsentis promitto, & benignè à præpotenti Deo fortunari peto.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXVIII.

In febre Pestilente, pro quodam Illustri Domino.

CUM debile cor, sicut esse necesse est illud, quod palpitatione laborat, facilius inspiratione contagiosa & pestilente afficiatur ac lædatur, de præservatione & curatione febris pestilentis, quæ propria est cordis affectio, agere decre-

re decrevi. Est autem febris pestilens, alia privata, alia publica. Privata, quæ minus sæva & contagiosa est, nec omnibus exitialis internas causas habet, à quibus in corpore putredine intus ob pravitatem humorum orta, cordis calor, non tàm calore putredinali, ut in aliis febribus putridis, quàm malignitate opprimitur. Ejusmodi febres sæpè sunt cum maculis, quas petechias vocant, sæpe cũ fluxionib. alui colliquativis, deliriis, & capitis, ac membrorum doloribus, quæ jam Hungarici morbi nomen obtinuerunt, sed morbus Ungaricus rectiùs meo judicio ad synochum putridam refertur. Vacat enim contagione, nisi corpora valde sint prædisposita. Sic post expeditionem Anno 1566. in urbe Viennensi suprà ducenti in una septimana ejusmodi febribus pestilentibus extincti sunt, cùm publica pestis nulla esset. A victus autem ratione rarius ab aere, ejusque inspiratione nisi putredo morbidam exspirationem afficiat, oriuntur. Nam cùm morbidam exspirationem corpora habent, quæ omnibus est contagiosa, non amplius pestilentes privatæ manent, sed publicæ fiunt. Privatas autem dicimus, quia privatim nos, qui intus vitiosos humores continent, comprehendunt, nec conversantes nisi (ut dixi) valde prædispositos contagione lædunt. Publicas verò appellamus, quoniam propter morbidam exspirationem

contagiosè conversantibus existunt, & in aere atque vestibus seminarium contagionis relinquunt. Præservatio autem febrium pestilentium privatarum in optima victus ratione, & corporis à superfluitatibus vacuatione, perspirationeque consistit. Curatio in exiccatione, quæ resistat putredini, & maligni fomitis per antidota oppressione. Nam purgatio vel sangvinis missio, nisi initio fiant, malum plerunque exitiosius reddunt. Principio autem hoc est ante quartum diem, priusquam omnia in corpore turbata, & maculæ pulicares, quas petechias vocant, appareant, omninò sangvinem iis, qui sangvine abundant, mittere oportet, sicuti qui malis humoribus pleni sunt, ita purgare, ut medicamento antidotus admisceatur, ne putredo in materia multa vires sumat & naturæ insuperabilis evadat. Verùm cùm jam latè progressum & diffusum est malum, ac universæ massæ sangvineæ communicatum, missione sangvinis atque purgatione non modò nullum auxilium naturæ ferimus, sed vires, in quibus tota spes curationis, affligimus atque frangimus. Itaque recta victus ratione hîc præcipuè auxilium ferendum, & cum putredine, ejusque malignitate antidotis pugnandum. Valent autem inprimis, quæ simul malignæ putredini resistunt, & materiam ad cutim pellunt, atque sudores movent, ut hic pulvis:

℞ Sem.

℞ *Sem. Napi.*
Citri. an. ℥ j.
Cornu cervini.
Off. de cor. cervi. an. ℥ ß.
Zedoariæ ℈ j. *Misc. f. pulvis.*

De quo ℥ j. in aqua ſcabioſæ cum ſyrupo de ſucco ſcordii datur. Nec dediſſe hunc pulverem ſemel ſatis eſt, ſed continuò in cibo & potu, ferculis aſpergatur pulvis margaritarum, corallorum, terræ ſigillatæ, Boli armeni. Acetoſitas citri, limonum, arantiorum, & ſeminum eorum emulſio in potu dentur. In corporibus robuſtioribus exhibeatur interdum decoctum ſcordii, cardui benedicti, & florum borraginis in juſculis, vel ſucci & extracta, quibus ego lubentius utor. De ſymptomatum cura hîc non arbitror agendum, ſublata enim ſæva putredine facilè ſymptomata mitigantur, modò vires conſerventur. Peſtilentes autem publicæ, quæ plerumque bubonibus, vel anthracibus inſignitæ ſunt, etſi ab internis cauſis & humoribus intus collectis graviores atque perniciosiores fiunt, tamen non aliam cauſam, quàm inſpirationem morbidam aëris continentis ſemina exitialis putredinis atque peſtilentis habent. Ea vero ſeminaria etſi quidam à putrefactis cadaveribus, ſordibus & ſimilibus cauſis oriri exiſtimant, tamen (ut mea fert opinio) ſemper ab uno vel pluribus hominibus, in quibus putredo ad iſtum gradum devenit, ut inde ex-

ſpiratio peſtilens & contagioſa è corporibus laborantibus exhalet, & in aëre, quem attrahunt aliquod ſeminarium relinquat, originem ducit. Augentur autem ſeminaria pro laborantium multitudine, & loci atque aeris qui ea continet atque fovet conſtitutione. Nam in putridis humidis atque calidis locis, quæ vel non perflantur à frigidis & ſiccis ventis vel auſtralibus flatibus expoſita ſunt, atque in aere craſſo turbido ac nebuloſo, vel fœtore atque ſordibus completo ad eum modum, quo beſtiolæ & inſecta volatilia varia, in locis humidis & putridis augeri conſpicimus, ſeminaria multiplicantur, & in alia, atque alia loca impulſione aeris feruntur, ac inſpiratione corpora humana ſubeunt. Unde Empedoclem Philoſophum, ut ab Agrigento urbe peſtem arceret, pelles conſutas circa eam tetendiſſe legimus. Sed cùm exiccatio aeris ſeminaria magis frangat, Hipp. ratio, qui ab Athenarum urbe peſtem, quæ ex Æthiopia in Græciam pervaſit incenſis ſylvis & ignibus factis odoriferis depulit, rectior eſt. Siccus enim aer ſive conſtitutione cœli ſicca, ſive arte ſiccior redditus, admodum progreſſioni hujus mali adverſatur. Idcirco in noſtris regionibus (niſi hyems valdè ſit humida) ſub brumam peſtes minus ſæviunt, cùm videlicet aer frigidior & ſiccior inquinamenta opprimit. In meridionalibus vero locis, iiſque in quibus caliditas intenſior ſiccitatem fa-

tem fa-

tem facit, sub æstivum solstitium desevire accepimus, cùm apud nos æstivo tempore seminari quasi violentiora effecta, celerius interimant, & corpora per se laxiora atque apertiora subeant. Non enim solùm per os & nares, (licet id præcipuè accidat) subeunt corpus, sed undequaque arteriis per porosas partes aërem trahentibus. Sicuti autem origo ipsa, ita & vehementia seu intensio atque seminarium, vel inquinamentum cœlestes habet causas. Eas etsi Medicus non curet, negligere tamen aut irridere, id quod imperiti faciunt, qui vel nimium vel nihil cœlestibus causis tribuunt, non debet. Accipere enim inquinamenta ista in aëre sparsa, quæ seminaria pestis vocamus, à cœlestibus causis vigorem, verùm etiam corpora humana ab iis ad suscipiendum, & resistendum præparari constat. Ac res ipsa loquitur & ostendit, syderum constitutiones plurimum ad robur & debilitatem non solum cordis, sed caloris inprimis naturalis, & inferiores naturas a causis alterantibus gravius lædi, cum fortiora, & quæ stellarum vis benigna fovet, ne afficiantur quidem. Ista verò licet ad Medicum, ut dixi, non videantur spectare, tamen cum prævisa tela minus seviant, observatio diligens multum adjumenti adfert. Quibus enim propter causas cœlestes natura cor debilius est, ac propterea, sicuti illis accidet, qui metu ac formidine fracti sibi malum quasi attrahunt, resistere im-

pressioni nequit, iis fuga est tutissimum remedium. Cæteros autem robustiores vires cordis antidotis munitæ, & corporis habitus excrementis vacans, rectiùs tuentur. Abesse tamen à periculo, quàm ullo modo subire illud quilibet, qui potest, debet. Duo verò in præcautione sive præservatione spectanda: Primum, ut violentia inquinamentorum, sive seminariorum in aere sparsorum frangatur. Deinde ut corpora ad resistendum pestilenti contagioni præparentur, seminaria autem frangunt venti septentrionales frigidiores, fovent australes. Aer item pluvius atque imbricus, vel a ventis prorsus silens. Itaque talis aer non modo omni excrementorum publicorum amotione, verùm etiam igne & fumo publicè privatimque omni studio purgandus. Hoc rectè quibusdam fieri videtur, si ex tormentis bellicis majoribus pulvis sulfureus incensus vespertinis ac matutinis horis, multis in locis emittatur, esseque rationi consentaneum apparet, neque experimento caret. Privatim verò suffitus ex ligno & baccis Iuniperi, Rorismarini, Lauri foliis, & absinthio fieri possunt. Si aer non sit omninò calidus multum baccæ Iuniperi cum succini ramentis affuso aceto (modò caput non sit nimium repletum) prosunt. Verùm cùm aer paulo calidior est, solo aceto rosato, vel caryophyllato privatas ædes irrorare oportet, vel tegulis ignitis, & panno lineo

lineo prius in aceto humectato tectis injiciatur, ut fumus excitetur. Quidam hunc fumum vestibus excipiunt, atque tecti, ut ad corpus pertingat non malo successu faciunt. Sed hæc præservatio mulieribus accommodatior est, & tamen cum cautione (acetum enim utero nocet) adhibenda: viris convenientius, si interula tali vapore prius, quàm induatur, quasi imbuatur, & vestes reliquæ perfumentur. Inprimis verò lectisternia mane & vesperi fumo perpurganda, & ne in locis humidioribus cubamus cavendum. Ad suffitus multa præscribi possunt, sed ea, quæ odoris suavitate cuilibet maximè grata sunt, præcipuè juvare existimantur. Meo judicio carbonibus impositi pro G. V. convenientissimi futuri essent:

℞ *Benzoi sive asæ dulcis* ℥ ij.
Styrac. calamit. ℥ ij.
Lig. aloes.
Cinnamom.
Cortic citri an. ℥ j.
Caryophyll. ℥ ß.
Moschi ℈ ß.
Conser. rosar. Damasc. q. s. f. orbiculi, sive pastilli profumo.

Horum unus, vel plures imponantur in hyeme fornaci, vel incensis carbonibus. Æstivo tempore coquatur acetum cum aqua rosata in vase æneo ad concitandum vaporem

I 5

facto, cui aliquid de pulveribus istis injiciatur:

℞ *Ling.aloes.*
*Santal.citrin.*a.℥ j.
Cortic.citri.
*Caryophyll.*an.℥ ß.
Moschi gr. j. *Misc.f.pulvis.*

His modis inquinamenta, sive seminaria pestis, quæ ex corporibus exhalant, atque in aere concitantur & multiplicantur, dumque ventorum vi de loco in locum feruntur, dissipantur, atque extinguuntur. Ignis verò flamma hoc potentissimè præstat. Proinde ubicunque excitari ipse sive in camino, sive aliis in locis hoc remedii genus non negligendum. Corpora verò ad resistendum præparentur, primo rebus externis, deinde etiam intra corpus assumptis. Si itaque cum ægro nobis sit negotium, facem ex tæda vel lychno cerea cum resina facto, ut uberior sit flamma, præferre utile est. Faciem autem atque manus aceto rosaceo aquæ mixto abluere debemus. Ori atque naribus admovenda spongia magna, quæ prius aceto rosato, in quo ruta cum uno atque altero grano camphoræ affusa aqua rosacea macerata fuerit imbuta. Ea semper nobiscum circumferenda, noctuque ad lectum collocanda erit. Odoramentis illis, quæ poma ambræ vocamus, parum fido, præsertim cum hoc malum in calido aere sevit. Hyeme autem loco aceti rosati cum floribus

ribus garyophyllorum acetum præparatum sumendum est, & parum maluatici, vel moschi (quibus odor moschi gratus) apponendum. In ore quidam continuò gestant radicem Zedoariæ, sive angelicæ in aceto maceratæ, sed cortices citri exiccati tutissimi sunt, atque suavissimi. Vel isti orbiculi in ore retenti:

℞ *Sem citri excortic.* ℥ iij.
Cortic. citri tenuiss. quibus omnis caro deducta sit exiccator.
Lig. aloes.
Santal. citrin. an. ℥ ß.
Caryophyll.
Zedoariæ.
Nucis Muscatæ an. ℈ j.
Sacchar. ℥ j ß.
Aq. rosar. moschatæ, in qua parum Tragacanth. soluatur, q. s. f. orbiculi parvi.

Quidam cordis regionem isto unguento inungunt mane:

℞ *Theriacæ optim.* ℥ v j. *Croci.*
Camphoræ an. ℥ ß.

Cum succo limonum f. linimentum, Hoc quidem S. G. non inconveniens sperarem. Ludovicus de Leonibus magni nominis Practicus Bononiæ, Regi Matthiæ Hung. &c. mille nummis aureis Ungaricis acceptis hoc oleum præscripsit:

℞ *Ol. Terebinthin.*
Laurini.

Abietis an. ℔ ß.
Gummi Elemi ℥ iij.
Hederæ ℥ j. ß.
Thuris ℥ ij.
Lig. aloes ℥ j ß.
Mastich.
Myrrhæ.
Ladani.
Sagapen.
Castorei a. ℥ ij. ß.
Galangæ.
Cinnamom.
Garyophyllor.
Nucis Muscatæ.
Cubebar.
Zedoariæ a. ℥ j.
Opopanac. ℥ j.
Resinæ pini.
Picis navalis an. ℥ ß.

Terantur terenda, & in vase vitreo ponantur, stent per mensem in putrefactione, postea lento igne destillentur. Hoc non solùm cor inungi præcipio, sed in curatione, si indicium, vel signum pestis appareat, pulsus etiam temporum, brachiorum & pedum. Hujus olei usum, cum validè sit calidum non possum probare. Sunt qui existiment venenum veneno pelli, & corpora ad venena posse assuefieri, ut Carpus chirurgus Bononiæ faciebat, qui Arsenicum in lin-

in linteolo in sinu circa cordis regionem gestabat. Mirificè autem extollunt hoc oleum:

℞ *Ol. antiquiss.* ℔.v.
Terebinth. optim. ℥ vj.
Euphorb.
Castorei. an. ʒj.
Lumbricor. terrestr m j.

Bull. in olla plena aquæ qer sex horas, exprimantur, & colatura in vase vitreo benè clauso usui servetur.

℞ *Scorpionum* num. 180.
Viperas fœmellas integras num. ij.

Fervente oleo super ignem vivi injiciantur, & bulliant in vase duplici per horas vij, postea insolentur sub canicula in vase vitreo obturatò per dies decem, vel amplius: sic enim scorpiónum & viperarum effectio fit melior. Posteà addatur:

Zedoariæ el.
Tormentillæ.
Gentianæ.
Diptami albi.
Aristoloch. rotund.
Rhabarb. a. ℥ j.
Fl. althea.
Hyperici.
Eboli.
Rorismarini. a. m j.
Theriac.
Mithrid. an. ℥ ß.

Tritis terendis misceantur omnia, & clauso vase vitreo in fimo reconde per tres menses, deinde coletur diligenter, & ad usum servetur. Brasavolus senior dicebat hoc oleum ad Ducem Ferrariæ missum pro summo munere, ac ita à se illius vires expertas: Capitis damnato exhibuisse venenum, cumque totus intumuisset, hoc oleo pectus & tempora, ac arterias in brachiis ac pedibus inunxisse, paulatim resedisse tumorem, & vires resumpsisse hominem, ac servatum. Sed ad præservationis in peste rationem redeo. In qua tutissimum est curare, ut corpus excrementis vacet & quantum fieri potest, sit mundum à superfluis humoribus. Id quidem pillulas, ut appellant Ruffi, (est enim Antidotus Ruffi potio) ad drachmam unam in hebdomade bis assumtas, præstare posse existimant, sed magis mihi istæ probantur:

℞ *Aloes rosatæ* ℥ j.
Myrrhæ.
Croci. an. ℥ ß.
Agaric. Trochisc. ʒ ij.
Rhabarb. el. ʒ j.
Boli armen. ℈ ij.
Lig. aloes. *Dictam. alb.*
Margarit. an. ℈ j.

Misc. cum succo limonum, vel citri, & reformentur pillulæ paruæ. De his ad ʒ j. singulis septimanis bis summo mane assumi poterit. Nam

Nam aloes rosata minus hæmorrhoides movet, & bolus atque alia quædam nimium fluxum prohibent. Vacuatis autem humoribus è corpore, multa, vel potius plurima medicamenta sunt, quæ cordi robur addunt, atque adversus impressionem venenatam tuentur, putredinemque ab humoribus arcent. Inter cætera autem minimè improbo tessulas D. Ferd. Imperat. Liquidorum tamen usum efficaciorem puto, præsertim in corporibus, quæ non nimium humore superfluo abundant. Ac hoc in loco medicamentum planè regium, quod in pervetusto libro scriptum, ac valdè commendatum reperi, vereq; commendari posse puto, recensebo. Accipiantur vini malvatici mensuræ octo. Destillentur suavi igne per cineres octies. Huic spiritui vini injiciantur:

Rad. tormentillæ.
Serpentariæ. ℥ j.
Angelicæ.
Zedoariæ a. ℥ ß.
Cortic. citri opt. à carne mund. & tenuiss,
Cinnamom. interior. an. ℥ j.

Stent ita per biduum, vel triduum in vitro optimè clauso, locoq; calido, deinde abjectis istis expressis prius, ac per linteolum triplex fusis, rursum spiritus vini, seu potius hoc elixiu. vitro, in quo conservare voles, infundatur, & linteolo subtili ligata hæc imponantur:

℞ *Spermatis ceti recentiss.*
Ambræ elect.
Rhabarb. opt. an. ℥ ij.
Moschi puri ℥ ß.

Inclusa, ut dixi, linteolo, & spiritui vini injecta, vas optimè claudatur, & divinum medicamentum usui servetur. Ejus autem gutta una æstivo tempore cum sacchato rosato ad præservationem sumitur. In hyeme vero gutta una cum mica panis deglutitur. Infectis vero quomodo sit adhibenda, paulo post monebimus. Alia aqua, quæ in præservatione & curatione Uratislaviæ, & multis aliis profuit:

℞ *Carolinæ.*
Zedoariæ.
Gentianæ.
Angelicæ.
Tormentillæ.
Boleti cervini. an. ℥ ij.
Trium santalor. ℥ j.
Camphoræ ℈ ij.
Moschi ℈ j.
Theriacæ fideliter dispensatæ.
Mithridatij præstant. an. ℥ iij.

Affundantur libræ iij. spiritus vini, ubi per mensem integrum in loco calido vitro benè clauso steterint, colentur per triplicem pannum lineum, & in alio vase optimè clauso aqua ista usui servetur. Hæc præstantissima aqua, etsi ad præservationem cum aliis commista, ut cum

cum aqua cardui benedicti, scabiosæ, scordii sumi potest, tamen in curatione magis, quam in præservatione est illius usus. Hyberno tempore guttæ duæ, vel tres sumi possunt. Præservativa, quibus alios feliciter usos esse scio, plurima recitare possem, sed duo electuaria, quibus me bis in Pestilentia, beneficio Dei, conservavi, alternis diebus ad magnitudinem castaneæ de iis sumens subjiciam:

℞ *Succi citonior.* ℥ iij.
Conser.borrag.
*Rosar.*an. ℥ ij ß.
Mithrid.opt ℥ ß.
Margarit.dissolut. ʒ j.
Hyacinthor.
Specier.el.de gemmis.
Liberantis.
*Corall. dissolut.*an. ℈ iiij.
Extracti card.bened.
Scabiosæ.
Veronicæ.
Scordij. ʒ ij. Misc.

Æstate plus conservæ rosarum, & succi citonior. adieci, interdum etiam conservam Nymphεæ apposui. Nam in his omnibus corporum temperatura, & temporis etiam constitutiones non sunt negligendæ.

Alterum Electuarium:

℞ *Maceris* ℥ j.

Injiciatur aceto fortiſſimo vini optimi, vel quod melius eſt limonum ſucco per viginti quatuor horas ſiccetur rurſum, & minutim incidatur, huic add.

Theriac. præſtant. ℥ ß.
Conſer: borrag. ℥ ij.
Cortic. citri el. & tenuiſſ condit. ℥ j.
Semi. citri excorticati.
Card. bened. rec. an. ʒ j ß.
Specier. liberantis ʒ j.
Extracti Xyloaloes ʒ ß Miſc.

Contemperari hoc quoque medicamentum ſecundum anni temperaturam poteſt. Sed probatis remediis, quàm minimum addere vel detrahere rectiſſimum.

DE CVRATIONE.

Diſputant prolixè Itali de purgatione & ſangvinis miſſione. Verùm illos non multos peſte infectos curaſſe apparet. Optimum eſſet ſi in pleno corpore ſangvis ſtatim detrahi poſſet, ſicuti in malis humoribus repleto, ſi purgans medicamentum exhibere liceret. Verùm cum his remediis morbus non curetur præcipuè, & mora omnis periculo non vacet, ſtatim ea, quæ per ſudorem malum ab inſpiratione peſtilente ortum pellunt, propinanda ſunt, vel certè cautè cum phlebotomia, & vacuatione per enemata feſtinandum. De medicamentis violenter purgantibus, atque abſque antidoto fortioribus

bus naturis auxilium ferentibus, ut Antimonii vitro, & flore hic non dicam. Florem tamen profectò album, qui evacuat simul & sudorem movet, vituperari non posse in hoc summo morbo, imò fortioribus naturis, plus quàm ulla alia remedia prodesse fateor. Sed tuta nunc præscribere mihi propositum est. Nihil autem esse efficacius aquis duab. à me propositis certissima mihi experientia edoctus persuadeo. Nec vis eorum calorifica, quæ omninò ad dissipandum venenum requiritur, metuenda, præsertim, si prudens medicus superato jam hoste deinceps frigidis etiam auxilium ferat. Prima verò aqua datur ad ℥j. cum aqua cardui, scabiosæ, vel scordii, addito pulvere sequente ad drachmam unam:

℞ *Cornu cervi anterior.*
Unicornu.an. ℈j.
Terræ sigill. ʒß.
Margarit splendid.
Smaragd. ignem sustinentis a. ℈ ß.
Camphoræ gr. vij.

Potest huic pulveri admisceri lapis Bezoar ad gr. v. & post primam assumptionem prima die singulis tribus horis de isto pulvere ℈j. propinari, cum aquis frigidis, ut Nympheæ, borrag. acetosæ. Altera verò aqua datur infectis ab ℥j ß. ad ℥iij. cum aq. cardui, vel scabiosæ, & adijicitur iste pulvis ab ʒj. ad ʒj ß:

℞ *Boli armen.* ℥ ß.
Margarit. prepar.
Boleti ceruin. a. ℈ ß.
Tormentillæ ℥ j. Misc.

Item iste: ℞ *Dictamni.*
Santal. rubeor.
Boli armen. an. ℥ iij.
Camphoræ ℥ j Misc.

Ac admisceetur de aquis supra nominatis an. ℥ ij. Exhibeantur omnes calidè, optimè tectis iis, qui laborant. Est enim in provocatione sudoris per ista medicamenta tota spes curationis secundum divinum auxilium posita. Cùm autem æger sudaverit, nequaquam, ut dixi, ab aliis medicamentis abstinendum, verùm ad quintum usque diem, vel septimum singulis sex horis aliquid, quo cor juvetur, atque putredo à seminario hausto inducta tollatur, dandum. Primis diebus potentiora, ut Antidotus Matthioli, vel similis, ita tamen ut frigida quoque, non negligantur, posterioribus diebus à calidis planè abstinendum. Commendare autem verè hunc pulverem possum:

℞ *Vnicornu veri* ℥ j.
Rasuræ cornu cervi de anterioribus cuspidibus proximè capiti ℥ ij.
Ossis de corde cervi.
Smaragd. sustinentis ignem a. ℥ j ß.
Hyacinthi.
Saphyri.

Rubini.

Rubini.
Chrysolit.
Topasii an. ℥ j.
Margarith.
Corall. rub.
Terræ sigillatæ veræ a ℥ j.
Lap. Bezoar. ℥ ß. *Ambræ.*
Moschi a. ℈ j. Misc.

Datur ℥ ß. cum emulsione nostra Margaritarum, vel cum emulsione seminis citri ex aqua meliss. borrag. atque scabiosæ, additis, cùm febris non est magna, aquæ cinnamom. aliquot guttis, vel si æstuat corpus, succo limonum, qui etiam sine pulvere sæpe dandus est, sicuti etiam succus citoniorum. Exhibendi etiam cum aquis destillatis syrupi è succo scordii, scabiosæ, veronicæ, card. benedicti, & jusculis injiciendus succus citri, limonum, vel acetosa cum illis coquenda, omnibusque modis explorandum, ut vires ad integram usque curationem conserventur. Quidam totam spem in oleis à me præscriptis ponunt, videlicet, si hausta antidoto cor, arteriæ pulsatiles in temporibus, brachiis & pedibus inungantur. Verùm cùm nunquam periculum fecerim, nihil debeo de re non satis explorata affirmare. Nota tamen hæc mihi esse, quæ Itali pro secretissimis habent, ostendere volui. Nam in hoc malo maxima etiam remedia, nisi Deus & natura juvet, nihil valere animadvertimus. De cura-

tione verò chirurgica hoc tantùm moneo, ut Anthrax citò rumpatur, & bubo citissime quidem maturetur, tarde consolidetur. Anthraces sive carbunculi rumpit symphyti radix lapide contusa & apposita. Bubones verò emplastrum ex visco, resina, pice, & cera extenso, & cantharidibus pulverisatis aspersa, si non magna sit inflammatio, in qua cantharides omitti debent. Cætera chyrurgicam operam requirunt, & Dei præpotentis inprimis opem, à quo S. G. ab omni corporis, animique pestilenti aspersione benignissime conservari toto pectore supplex oro.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXIX.

De Pestis curatione, pro quodam Barone.

IAM ante monui in curatione infectorum pestilente febre, vel pestilentia non satis esse semel remedia adhibere exhibereque. Primùm autem de hoc pulvere detur ʒj. in aqua cardui, scordii, vel borraginis. Deinceps ubi sudaverit ex aqua rosacea ʒj. boli armenæ. Assumat tertio die aquam, vel etiam primo, aut Mithridatium, Theriacam, vel aliam compositionem, vel si sævum est malum Theriacam cum pulvere primo die misceat & semper post sudo-

sudorem horis quatuor vel tribus, bolum armenam & terram sigillatam,ut dixi bibat. Descriptio pulveris est ista:

℞ *Tormentill.* ℥ iij.
Dipam.alb. ℥ ij.
Boli armen.
*Santal.rub.*an. ℥ j.
Camphoræ ℈ ij. *Misc.f.pulvis.*

Camphora facile exhalat. itaque huic pulveri, cùm paulo diutius asservatur, plus camphoræ admisceri debet. Descriptio Aquæ ista est.

℞ *Angelica.*
Magistrantia, vel carlina.
Gentianæ.
Tormentill.
Boleti cervini.
Zedoariæ an. ℥ ij.
Trium santal. ℥ j.
Theriacæ opt.
*Mithridat.præstantiss.*an. ℥ iij.
Camphoræ ℈ ij.
Moschi ℈ j.
Spiritus vini ℔ iij.

Stent per mensem integrum in vitro diligentissime clauso, deinde colentur per triplicem pannum lineum,&in alio vase vitreo clauso seruetur usui. Ad præservationem præsertim, cùm aer non calet,possunt sumi duæ guttæ cum panelbo matutinis horis. In curatione ad-

integram detur unciam cum aqua Cardui benedicti, scabiosæ, scordii, vel similibus. Ludovicus de Leonibus eandem ferè aquam præscripsit, non tamen omnino similem: & propter descriptionis communicationem accepit centum coronatos aureos. Hanc autem aquam præstare longe descriptioni Ludovici de Leonibus certus sum.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXX.

De luè ungarica, seu febre per totam ferè Germaniam grassante pestilente;

INSTAR pestis, aut Pestilentis febris, horrore & calore stipatus invadit hic morbus, una cum ingenti capitis dolore caloreque interno intenso febri ardenti continuæ haud absimili. Contulerit itaque primis tribus diebus alvum sive purgationibus, sive clysteribus ducere: si quartum vel sextum attigerit summo mane, si prius calido loco se continuerit, quo ad ejus maxime fieri potest, ea ut constat ratione sudorem procurare. Præterea singulo vesper cubi capitis dolor non mitius afflixerit, profuerit pedum lotionibus receptis herbis cum capitibus papaveris comparatis uti. Probatur etiam raphani rasura in mortario contusa ægri occipiti,

piti, & pedum plantis fasciis applicata. Commendantur quoque tertio, vel quarto die, quatuor cucurbitulæ adhibitæ, quarum duæ interna humerorũ regione, reliquæ vero duæ supra vel infra renes affixæ, sæpiusque sursum & deorsum ante scarificationes deducere. Potus esto aqua hordacea. Extra pastum utatur hoc potu:

℞ *Boli armen. præpa. oriental* ℥ j ß.
Margarit. præparat. ℥ i.
Spec. liberantis Imperator. ℈ iiij.
Aquæ hordeaceæ ℔. ij. Misc.

Hoc ipso potu, si in pastu quoque utatur æger plurimum profuerit. Quinto à morbi hujus invasionis die, haustum hujus potionis sumat.

℞ Aq. *borrag.* ℥ vj.
Serapij de borragin. ℥ ij.
Syrupi de cortic. citri ℥ ß.
Margarit. præpa. ℈ iiij.
Specier. liberantis Imperat. ʒ j.
Aquæ cinnamo. ʒ ij. Misc.

Mane subsequente potum prius calefactum æger sumat, idque tribus aut quatuor vicibus eodem modo continuet; si ægrum sudare contingat ad minus is ad horam in eodem promovendo perseveret, quo peracto calentibus linteaminibus sudor, ut decet, abstergatur, Potionis hujus formula hæc est:

℞ *Specier. liberantis Imperat.*
Boli armen. oriental.
Terræ sigillatæ an. ℈ j.
Semin. citri excortic.
Acetosæ.
Rad. tormentillæ.
Bistortæ an. ℈ ß.
Serapÿ acetosit. citri ℥ j.
Aquæ acetosæ q. s. f. potio.

Si lapis Bezoar haberi poterit, contulerit ejusdem tria aut quatuor grana in tenuissimum pollinem detrita eidem potioni commiscere. Consilium hoc nostrum una cum remediorum formulis adjunctis, astanti fideli Medico communicari debet, quibus visis & expensis rectius ægro consulatur. Solet enim hic morbus instar pestis multifariam mutari, & nonnunquam rubra, aliquando etiam nigra stigmata & anthemata protrudere. Qui sic afficiuntur, rarò evadunt.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXXI.

In Petechiis, pro quodam Barone;

GENEROSUS Dominus, cùm Pragæ pestilentes febres, maculis, quas Petechias vocant, insignitæ, publicè grassarentur, 21. Martii, hora 9. cùm in Palatio seminatium, nescio quomodo

modo per inspirationem hausisset, correptus est. Caput vehementer dolebat, febris foris mitis, intus petulans erat. Alvus propter pillulas, quibus usus fuerat, fluida. Nec visum est mittere sangvinem. Tertio igitur cucurbitulas apposui, & copiose sangvinem extraxi, sed nihil melius habuit. Quartò eruperunt petechiæ. Exhibui igitur istam potionē calide.

℞ *Semin. napi.*
Citri an. ℥ j.
Syrupi de succo scordij ℥ ß. *Mis. f. potio.*

Ea copiose materiam ad cutim expulit. In quinta rursus evanverunt, & virtus admodum oppressa fuit. Itaque in sexta rursus potio superior data, item in septima repetita, addita Theriaca Andromachi vera ad ℥ ß. sic post potionem petechiæ magis apparverunt, sed virtute admodum infirma maculæ retro cesserunt. Instante septimo in maximis fuit angustiis deliberabat admodum, & de contorsionibus gravissimis loquebatur, supervenit deinceps fluor sangvinis è naribus, sed fuit crisis plane imperfecta. Itaque ægerrime, atque plane sine spe diuturnioris vitæ jacebat. Dedimus emulsionem perlatum, quæ non mediocriter profuit. Cum autem in nona superveniret fluxus ventris, qui usque ad vigesimum diem duravit, emulsioni addidimus terram sigillatam semper observata recta victus ratione. Accedebant ad reliqua mala vigiliæ, qui-

bus subvenire in unctionibus, emulsione seminis papaveris, & aliis auxiliis conabamur hoc modo:

℞ *Dactylor.* num. iij.
Capit. papau. num. j.
Lactucæ recent. m. j.
Acetosæ.
Plantag. an. p. j.
F. decoctio in s. q. aquæ lactucæ, in
Colatura ℥ iiij. *dissolve.*
Syrupi de succo citonior. ℥ j.
De papavere ℥ ß. Misc.
Addidi & unguenta ad tempora:
℞ *Vnguenti rosac.* Mes. ℥ j.
Medullæ cervinæ ʒ ij.
Opij gr. iij.
Ol. nucis Muscatæ gr. ij. Misc.

Somnum autem turbavit fluor alvi, ad quem exhibita clysteria ex jure pulli cum decocto florum Camomillæ, cumque putredo invalesceret, neque cornu cervi, & alia, quæ continuo adhibeantur, juvarent, olei vitrioli aliquot guttas cum aqua stillaticia borraginis dedimus. Fluxit vigesima prima, vel exeunte vigesima rursus sangvis è naribus, & febris & fluor alui prorsus acquievit, appetitus rediit, & beneficio DEI optata sanitas. Agitata deinceps est materia in capite in vaporario, & morbo collecta cum radios solares intueretur, & sæva symptomata,

mata, sed non diuturna concitata, ac tussis valde molesta fuit. Dedi igitur hos orbiculos.

♃ Sem. frigid. major ℥ ij.
Specier. Diatragac. frig.
Diapenid.
Diatreos an, ℥ ß.
Sem. Vrticæ.
Papaver an. ℨ j ß.
Heleniȷ pulu. ℨ ij.
Succi liquirit. ℨ j.
Sacchari q. s. f. conf. in orbiculis.

His cùm tussis sedata esset, cachexiæ, cujus indicia ante pestilentem febrem fuerunt, majora signa, propter continuum aquarum & medicamentorum usum, se ostenderunt. Itaque cum tumor œdematosus pedum inprimis (sicut post diuturnos morbos & graves fieri consuevit) molestus esset, quid faciendum esset separatim consului. Hæc autem benignissimum Deum clementer gubernasse, & deinceps curationibus nostris præesse, & interesse, toto pectore gratias ago precor.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXXII.

IN Erysipelate, pro quodam Nobili;

CUM hæc affectio ex abundantia bilis non naturalis in corpore collecta oriatur, præ-

cautionis ratio in eo consistit, ut optima victus ratione, proventum bilis caveamus, & dulcia aromatica, pinguia, lacticinia, cepas, porrum, allium fumo macerata, vitemus. De his autem non dubito, quin præsentes Medici monere possint rectius. Sunt autem species bilis præternaturalis diversæ, secundum quas affectio quoque ista mutatur. Quantum vero ex iis, quæ ad me perscripta sunt colligo, aliquo modo phlegmonodes erysipelas, primum crura, deinde faciem invasit, sunt autem hæ duæ corporis partes in primis erysipelati obnoxiæ; etsi in facie sit periculosior. Quia partes laxæ sunt, & malum facile cerebro communicatur. Proinde ne qua symptomata mala consequantur, omnis cautio adhibenda. In hoc vero corpore ab externis causis, à quibus etiam nisi membra sint vulnere, ulcere, dislocatione &c. affecta, in quibus erysipelas periculosum est, non oritur, sed ab externis causis humoris videlicet tenuis & feruentis, unde exarsio seu feruor potius quàm inflammatio, occupans partium cuti subjectarum superficiem, a fluxu oritur. Itaque indicatio curativa prima est, ut humor affluens retrahatur, pars ipsa muniatur, & quod affluit evacuetur. Hic inter Medicos disceptatio est, de missione sangvinis. Ac Celsus & Paulus illam præcipiunt, & cum malum hoc caput infestat, rationes habere videntur non prosus invalidas, sed ratio magis pro

sententia

ſententia Galeni pugnat. Hæc vero judicio excellentis Medici permitto, qui in præſentia facilè perſpicere poteſt, an major bilis, quam ſangvinis copia ſit, an inflammatio urgeat, & cerebrum, dum caput affectum eſt, periclitetur. Tutius autem eſt multo, appoſitis cucurbiculis, ſcarificando ſangvinem extrahere, quàm venam ſecare. Purgantia quin rectè exhibeantur nullum dubium. Verum cum plerumque febris vel adſit, vel certe in proximo eſſe videatur, à ſcammoneatis, & valide calidis cavendum. Et hac, vel ſimili potione utendum:

℞ *Tamarind.* ℥ vj.
Fl. violar.
Borrag. a.p.j.

Decoq. in q.ſ. ſeri lactis, & in expreſſione macerentur per noctem:

Rhabarb. el. ℥ ij.

Exprimantur fortiter, & in expreſſione ℥ iiiſ. *diſſol.*

Serapij roſat. ℥ j.

Manna Calabrina paululum aceto, irrorata ℥ viiij.

Ante cibum ſemper bibat decoctum radicum cichorii, & ſanchi, in jure pulli macro. Nec ullum diem prætermittat, quo non vel ſummo mane, vel ſi ventriculus offenditur, hora decubitus, id eſt, quatuor horis poſt cibum, vel una ante cœnam ſyrupum hunc aſſumat.

℞ Aq. taraxacon. vel endiviæ veræ ℥ iiij.
Serapij de succo Endiviæ.
Acetosæ ã. ℥ ß. Misc.

Tota victus ratio etiam sit refrigerans ex hordeo probè cocto, lactuca, endivia cocta, piscibus saxatilibus & similibus. Ovorum, vini, & contusarum carnium usum vitet. Carnes vel aceto, vel succo limonum aspergat. In cæteris sex rebus non naturalibus eadem observentur, quæ in curatione inflammationis. De somno tamen hoc tenendum, cùm crura, vel tibias erysipelas occupet, somnum mediocrem convenire. Cùm verò faciem, à somno quantum fieri potest temperandum. Cæterum quod ad ipsam partem affectam attinet. Etsi initio etiam expellentia prosint, tamen ne cum refrigeratione valida astringant, cavendum. Itaque ante evacuationem valde cautè est agendum, ne ad interiora feratur humor, & ea ipsa refrigerantia tepida adhibenda. Valde enim noxium est, cum materia intro repellitur, & cum ad membrum aliquod nobile transit, exitiosum, quemadmodum in multis, ubi sponte quoque erysipelata evanescunt, & ad interna repunt, animadversum est. Sed evacuatis humoribus frigida etiam actu, applicari possunt, ut destillata aqua ex foliis, vel primis frondibus quercus, cum ea misceri potest succus lactucæ, portulacæ, vel sempervivi. Ab unctuosis, & vim emplasticam habentibus, maxime à nar-

coticis

cotiris cavendum. Acres enim inprimis vapores exhalant, qui si intus detineantur, interdum partem corrumpunt, ubi fervor remittit, & æger ipsam partem, nimis calore, quasi pungi sentit, color enim aliquo modo mutatur. Aqua cardui rectè adhibetur. Poteſt & hordei palea, ſeu furfures macri cum lactuca coqui, & applicari, ſed in iſtis, quæ foris imponuntur diligens conſideratio humoris & temporis fluxionis adhibenda, & nihil temere, abſque accurata diligentia faciendum. Proinde non ſatis prudenter facerem, ſi plura localia medicamenta præſcriberem. Itaque judicio præſentis Medici ea permitto, atque ut hæc, quæ monui præſtantiſſimo viro proſint, ex animo opto.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXXIII.

In tumore œdematoſo, pro quodam Barone;

TUMOREM œdematoſum conſequi diuturnos & graves morbos, præſertim ſi ægri convaleſcentes, nimium cibi potuſque ſunt avidi, pervulgatum eſt. Calor enim naturalis omnium actionum naturalium opifex, neque nutrimentum rectè conficere, neque excre-

menta digerere atque evacuare potest, cùm per morbi vim debilitatus atque exhaustus est. Etenim si iis, qui expositi radiis solaribus dormiunt, partis alicujus tumor suboritur, Luna calorem innatum debilitante, & humorem solvente, quanto magis hoc in febribus malignis multis diebus continuo affligentibus fieri consentaneum. Accessit & diuturna illa colica, in qua frequentia enemata injecta, potus thermarum, & cerevisiæ etiam immodicus usus non parum calorem epatis fregerunt. Decumbit autem materia pituitosa & serosa ab universo corporis habitu ad pedes, licet interdum quoque pars illius faciem petat, unde tales cachectiei apparent, & quasi primum gradum anasarcæ obtinent. In curatione igitur, quemadmodum in reliquis morbis respiciendum primo ad materiam, deinceps ad membra mandantia & recipientia. Materia est pituita tenuis & sangvinis serum, ea rectissimè absque magna præparatione evacuetur, orbiculis Diaturpethi cum Rhabarbaro. His solis orbiculis cum Rhabarbari extracto sum usus, quia simul epati, tanquam membro principali transmittenti humorem opem ferre volui. Addidi & istam ad dextrum hypochondrium inunctionem.

℞ *Ol. de absinthio* ℥ iij.
Vini optimi ℥ j ß.
Comar. absint. pontic.
Rosar. rubear. a. p. j.

Spicæ

Spicæ nardi.
*Rhabarb.el.*a.℥ j.
Santal.citrin.℥ j ß.

Decoq. ad vini consumptionem, & insolentur. Sed si in ulla affectione, in hac certè sex rerum non naturalium diligens cura adhibenda, ne ex malo salubri, longo tamen, propter naturam frigidam, malum insalubre fiat. Aër in hac affectione omni studio exiccandus, nec in loco frigido & humido habitandum. Cibo & potu utetur, qui attenuet & siccet, videlicet, qui vi calida sit præditus. Itaque omnia humida refrigerantia vitanda, ut sunt pisces, lacticinia, omnia cruda, flatulenta. Utatur potius carnibus assis, quam elixis, vitet varietatem cibi, & quàm potest parcissimè vivat, ut calor humiditates superfluas possit absumere. Convenit caro pullorum, avicularum, columbarum, vitulina, hœdina, vervecina assa. Benè masticet carnem, nec fractam saltem dentibus degluriat. Potus sit vinum Rhenanum, quo parcissimè utatur, vel Ungaricum, vel Italicum exiguè sumptum. Somnus sit moderatus clausis & munitis fenestris, in terra, vel concamerato cubiculo nequaquam probo. Etiam in æstate suffitum faciat ex thure, nam eo muscas quoque fugari ferunt. Exercitia matutina saluberrima. Eligat autem loca sicca, nec diu moretur ad loca humida. Affectiones animi fugiat, & in hac affectione à venere abstineat. Balnea in labro

non possum concedere, sed laconicum, ut vocant, sudoriferum non improbarem, modò caput exerceret, & silicibus candentibus decoctum rorismarini, betonicæ, & camomillæ ex vino decoctorum affunderetur. Vaporem etiam rorismarini, camomillæ, betonicæ ex vino decoctorum facie exciperet matutinè & eodem decocto pedes vesperi succo plantaginis inunctos ablueret. Succus autem plantaginis cum aceto extrahatur. Galenus utebatur medicamento ex Glaucio; item posca, sed loco aquæ ad poscam conficiendam uti licet lixivio, ita tamen ne locus exulceretur, quia interdum tenua etiam ulcera in corporibus cacochymicis pessima fiunt. Sed de localibus agam deinceps. Nam ea, quæ humores affluentes evacuant, cùm partes nutritioni servientes roborant, persequamur. Nihil autem utilius orbiculis ex Rhabarbaro. Diatuibith cum Rhabarbaro rectè præparato, & seminibus seu acinis sambuci, quæ in baccis reperiuntur, si ad ℥j. contusa, & in petia ligata coquantur in jusculo, & propinentur, vel sic ex aqua cuscutæ dentur. Diatuibith etiam cùm sumit, parum aquæ cuscutæ superbibat. Hoc etiam electuarium ad leniendum alvum valdè conveniens:

℞ *Medullæ sem. carthami* ℥j.
Rhabarb. el ʒij.
Cinnamom. pulu. ʒj.

Misc.

Misc.cum syrupo rosato solutivo. Capiat ad magnitudinem nucis juglandis hora una ante cibum. Si his humor exhauriri non possit, (quod minimè vereor) misceatur cum conserva rosarum & absinthii pontici rhabarbarum & soldanellæ, vel sequens medicamentum:

℞ *Conservæ cichorij* ℥ iij.
Absinthij ℥ j.
Rhabarbari pul ʒ ij. *irroretur aqua cinnamomi, & adde:*
Soldanellæ pulveris ʒ iij.

Cum syrupo de cichor. cum rhabarb. f. electuarium: vel utatur pillulis aggregativis ad ʒ j. cum ammoniaci ℈ ß. Reformentur catapotia cum oxymellite. Aperientia quoque atque corroborantia plurima sunt. Commendatur verò Diacurcuma, epar lupi, pulvis lumbricorum, rubia tinctorum, sed decoctum radicis filicis in vino decoct. cyathum unum valdè commendant. Ego tamen initio decocto radicum calami aromatici in vino rubro utendum censeo. Exhiberi possunt & hi morsuli:

℞ *Rasuræ eboris.*
Pellicul. interior. stomachi gallinæ. *Spodij.*
Margarit. præpa.
Lig aloes.
Cinnamom. an. ℈ ij.
Specier. Diarrhod. abb. ʒ ij.
Sacchari ℥ iiij.
Misc. f. confectio in morsellis.

Quod autem ad localia attinet, paulò antè quædam sunt commemorata. Partim verò discutientia, partim repercutientia adhibentur, ut necesse est. Ego hîc usus sum ista aqua:

℞ *Baccar. lauri.*
Alumin.
Thur. an. ℥ ij.
Sulphuris ℥ j.

Decoq. in aqua pluviali, vel si ea non est ad manum, aqua communi, addatur parum aceti, & coq. lib. vj. ad l. ij. consumptionem. Applicetur cum linteolis madefactis calidè, vel, quod melius est, cum spongiis. Pedes etiam imponere aceto calido, in quo parum salis & aluminis dissolutum, ita ut vix soleas pedum humor superet, quidam vehementer commendant. Cætera recitata sunt priùs, neque dubito tam multis fore opus, siquidem rectam victus rationem G. D. observarit. Si qua durities adesset, fœnumgræcum & cyminum in aceto coquantur, & cum axungia anserina misceantur, & apponantur. Addam hoc unum, quod prodesse jam hydropico vidi, rationem tamen non perspicio. Soleis pedum adhibebat folia hyosciami, ita ut non solum ex pedibus, sed universo corpore aqueus humor extraheretur. Verum hoc non velim adhiberi. Quod si ante autumnum calor naturalis pedibus integrè non restitueretur, usum vinaceorum magnoperè probarem. Hæc autem omnia præ-
sentis

ſentis medici & divinæ benignitati committo & commendo.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXXIV.

In Podagra, pro quodam generoſo Domino.

PLERUMQUE duo iſta mala, videlicet renum dolor à calculo, & podagra in corporibus conjunguntur. Eſt autem podagra ſpecies, cujus variæ ſunt appellationes à locis, quæ morbifici humoris copia in corpore collecta occupat, atque in iis inflammationem, graveſque dolores concitat, ſumptæ. Nam in manibus chiragra, in coxendice iſchiadicus dolor, in genibus gonagra, in pedibus podagra eſt. Duo autem in præcautione ſeu præſervatione ab hoc morbo ſpectanda, primum morbifici humoris copia, an in corpore generetur, & ita cumuletur, ut in partes imbecilliores fluat atque transfundatur. Deinde ut partes imbecilliores, ad quas fertur, roborentur, ne fluxioni obnoxiæ fiant. Imbecillitas partium cauſam habet, vel ſemen paternum atque maternum, vel veneris uſum intemperatum, præſertim nondum confirmatis articulis, vel intemperiem ali-

quam,ut calore resoluente atque laxante, aut frigore lædente,ac calorem intraneum opprimente,vel aliquod accidens externum, ut plagam,vulnus,luxationem, contusionem, &c. Solam autem partis imbecillitatem non necessariò consequi podagram, aut morbum articularem manifestè constat. Itaque necesse est ut materia,quæ affluat,& partes occupet, in corpore assit. Ea autem maximè ex cruditate provenit,& seorsum calidúmque humorem, qui inflammari queat,sibi adjungit, atque articulos vel per affluxum,vel per collectionem molestat. Affluxum concitant serosi humoris in corpore collectio,vini meracioris,aut acidioris usus,maximè jejuno ventriculo, vel multis cruditatibus repleto, omnes animi vehementiores motus,corporis defatigationes.Fluit autem materia,vel à capite,eaque est pituitosa,vel ab epate,quæ serosa est,habetque admistos humores de aliqua massa sangvinis, aliàs magis, aliàs minus. Cùm a capite fluit, priùs aliqua gravitas,vel dolor capitis, colli, scapularum, seu humeri morbum præcedit. Cùm ab epate & venis prælabitur,inappetentia adest, & urinæ pauciores solito redduntur. In præservatione autem cùm materiam à capite collectam ab eo fluere animadvertimus,per nares convenientissimè expurgamus. Ab epate & venis per hæmorrhoides & sudores. His rectè atque ordine consideratis tota præservationis ratio

ratio perſpicua patet. Cùm itaque principium præſervationis ſit cavere, ne materia fluxioni idonea in corpore proveniat, victus ratione in primis cruditas vitanda, nec dum nauſea, vel inappetentia adeſt, in his & ſimilibus morbis cibus ingerendus, & , ut quidam loquuntur, appetitus cogendus. Cæterùm, cùm de victus ratione ſupra ſit actum; hoc loco illud monendum medicos obſervatione & ratione moveri, ut podagricis uſum omnem pomorum, & carnium capi cotidianum, carpionum etiam & anſerum interdicant. Cùm autem in accuratiſſima etiam victus ratione ſemper aliqua ſuperfluitas, præſertim in corporibus, quæ debito modo non exercentur. colligatur, opera danda eſt, ut prius purgetur, vel certè non fundatur, quam dolores excitet. Itaque cùm S.G. annuas purgationes non ferat, ut ſemper aliquid paulatim ſubducatur, ſtudendum. Fieri verò id ſi vel alvus laxa apertaque reſervabitur, vel ubi aſtricta fuerit, iis remediis, quæ antea propoſuimus, moveatur. Podagricis autem inprimis uſus Myrobalanorum conditorum convenit. Ac cum S. G. ſatis promptè evomat, non inutile eſſet, interdùm vomitu materiam evacuare, atque hoc modo, ne ad partes inferiores labatur, eam revellere, poſt vomitum tamen abſtergente & roborante medicamento utendum. Tertiò, cùm non minus acetoſa vina, quàm potentia materiam fundant,

& ad articulos deducant, ab iis abstinendum, nec prius bibendum, quàm cum solidior cibus ingestus est. Valde enim noxium est post jusscula, vel inani ventriculo bibere præsertim vinum. Itaque, ut monui, medici primum haustum aquæ esse volunt. Quarto exercitia & defatigationes post prandium, mora etiam in sole, & calido aëre, à quibus præcipitetur materia, vel frigido & humido, qui partes affectas lædit, moderanda. Quintò, caput & pedes probe adversus omnes aeris injurias muniendi, ac ne noctu, vel apertis fenestris, vel denudato corpore atque capite S. G. cubet, cavendum, Plurimum autem, præsertim hybernis diebus ac noctibus refrigerationem matutinam quotidianam obesse, non dubium est. Sexto, vitentur omnes animi graviores motus, quantum hoc fieri poterit. Septimo, usus veneris sit rarior, aut certe neque repleto, nec prorsus inanito corpore. Octavo, ut caput per nares, reliquum corpus per hæmorrhoides exoneretur, enitendum. Quod si roborantia corporis accederent, & sudores in lecto possent provocari, haud dubie podagra mitius S. G. tractaret. De iis, quæ robur pedibus addunt, ut inunctionibus ex medulla bovina cum sale, oleoque ceræ, dicendum esset, verum cum sciam S. G. ista non admittere, non debeo esse odiosus. Illud tamen monendum, ut lotiones pedum atque reliqui corporis vitentur, &

cum

cum pedes mundandi sunt, vino, in quo rosæ ebulliant, spongia abstergantur. Prius vero quam de curatione aliquid dicam, quæso S. G. duo me patiatur explicare. Primùm, utrum sua natura morbi articulares sive podagra, sive chiragra sint, incurabiles censeantur. Secundo, an nulla prorsus medicamenta ad locum affectum, & dolentem adhibenda, ac in iis adhibitis difficilior morb. reddatur. Quod ad primũ attinet. Non esse sua natura morbũ incurabilẽ testatur ratio, & experientia, quæ exemplis confirmari potest. Quod autem raro curentur, moribus potius hominũ, quam medicinæ ascribendũ. Nam ut plurimũ vel hæreditarium est malum, vel intemperantia accersitum, ad quam cum redeant homines, mirum non est, si morbus quoque revertatur. Asclepiades medicus vetustissimus ad victus rationem omnium morborum curationem retulit: Neque is sum, qui ignorem omnia fere medicamenta stomachum lædere, aut S. G. quod DEUS prohibeat, nocitura suadere velim. Vincit interdum natura citra artis auxilium morbos, verum omnia naturæ permittere, ut D. Ferdinandus Imperator sacrat. ad nos dicere solebat, modica est scientia. DEI quidem & naturæ est sanare: Medici vero curare (quantũ in ipso est) & ne quid natura detrimẽti patiatur providere. Sed accedo ad alterã propositi nostri partẽ: An articuli sint prius, quàm laborent, roborandi, & in doloribus

medicamentis localibus adjuvandi. Sunt qui existimant, una parte roborata, materiam in alteram fluere, atque ita augeri morbum. Illud verum esse in intemperantibus, & qui rectam victus rationem tenere nequeant, denique qui nec phlebotomiam, nec vacuationes ullas admittant, non nego. Verum qui temperantes sunt & tempestivè purgantur, in illis nos rectè localibus medicamentis uti, antequam morbus invadat; etiam doloribus ingentibus (modò tempestive atque rectè adhibeantur) tam non dubito, ut nullum unquam medicum doctum aliter sentire (nisi forte ad gratiam loqui voluerit) audiverim. Rectè verò adhibentur cum & ipsa materia humoris fluentis, fluxionis tempus & modus, denique viæ per quas fertur, observatur. Hoc cum imperiti facere nequeant, nihil mirum si curando malum deterius reddant, vel etiam illis ipsis remediis, quibus aliquando adjuti sunt, vel nihil proficiant, vel etiam lædant. Humoris autem cognitio ex corporis temperatura, victus ratione, anni tempore, humoris affectione, & doloris proprietate sumenda. Hîc quantum etiam peritissimi medici in varia humorum miscella oriatur laboris, optime scio. Sed recta sequenti, errori venia danda, cum is nullam noxam afferat. Non enim supra captum est humanum errare. In sangvineis vero, vel æstivo tempore, plenaque fluere medicus conjicit. Hyeme vel inchoante

choante vere pituitam. Considerat tamen alia quoque. Nam à sangvine color rubeus, dolor vehemens, & pulsatorius, tumor non modò venarum, sed totius partis affectæ magnus, accessiones quotidianæ, minus tamen diuturnæ, quam à pituita. A pituita enim cum oritur, pars affecta subalbida est, tumor œdematosus, qui pressus foveam relinquat. Dolor mediocris, qui quotidie sub vesperam ingravescit. A bilioso sangvine maximus caloris sensus, calor subpallidus vel subrubescens, (nunquam enim est bilis sola) tumor exiguus, dolor ab una parte in aliam mutatur, & tertio quoque die exacerbationes fiunt majores. A sangvine melancholico rarissimè podagra oritur, & rarò humor unus solus est, quod ad curationis difficultatem non parum facit. Ab effectu autem humorum hæc sumuntur indicia: si multus est, sive sangvineus, sive pituitosus humor, valdè partem distendit. Si calida pars, intense calefit; licet semper calefiat. Si frigidus, minus nunquam autem tantùm frigidus. Si acris erodit, & gravissimos dolores affert. In miscella autem humorum, medicamenta quoque localia arte contemperanda. Sangvinea materia calefacientia medicamenta prorsus non admittit, refrigerantibus autem exacerbatur. Biliosa mitigatur refrigerantibus, pituitosa calefacientibus. In principio tamen sive inchoante fluxione semper ea, quæ partem roborant,

hoc est, modicè astringant, & affluxum humoris reprimant, adhibenda. Cùm partim materia fluxit, partim fluxura est, mitigantia tutissima sunt, quæ tamen prorsus non relaxant. Cùm jam fluxit, maturantia, & dolorem isto modo sedantia, ne materia concrescat & indurescat. Cæterum, qui stupefacientibus inchoante vel vrgente malo utuntur, etsi dolorem sedant, tamen haud dubie calori innato, qui omnium operationum naturalium in quacunque parte effectus est, vehementer obsunt. Non igitur ita satis est dolorem mitigare vel sedare, sed ita sedare oportet, ne à medicamento plus sit mali loco affecto, quàm à morbo fuit. Dolorem autem perferre atque pati, etsi laudabile videatur, tamen si vel gravis, vel diuturnus est, proculdubio calorem innatum ita debilitat, atque membrum affligit, ut non modò in præsentia plus materiæ attrahat, verùm cùm ea à natura tota superari nequeat, nodos, hoc est, immedicabile malum, ut certè eam infirmitatem, ut ex levissimis causis morbus recurrat, facit. Hæc ego copiosius exposui, ut S.G. intelligat, me fateri medicinam in curatione hujus morbi, sicut in multis aliis conjecturis uti, veras tamen rationes habere, cur nequeam hoc dicere, in doloribus podagricis nihil esse faciendum. Etsi verò non debeam quicquam his addere, tamen ut constet medendi rationem, qua utendum

dum putabam, rectam & tutam esse, pauca addam. Materia quæ hactenus visa est dolorem affluxu facere, magna ex parte sangvinea fuit, sed interdum plusculum pituitæ, interdum etiam bilem adjunctam habet. In sangvinea, cum videlicet rubet locus, & calor ac dolores sunt vehementiores, ratio suadet, ut lateris affecti vena cubiti initio præmisso levi enemate secetur. Idque in multis optimo successu feci. Quiescere enim malum, ac affluxum humorum cessare animadverti, sin verò pituitosa esset fluxio, quæ magis molestat, ac prægravat, quàm magnos cruciatus affert, vomitum provocarem. Id quibus fiat modis ostendi. Sed hoc monendum, oxymel podagricis benè diluendum, & ℥ j ß. oxymell. ℔ j ß. vel ℥ viij. aqua hordei addenda, tepideque bibenda. Si fortius vomitum efficiendum sit, addantur succi Raphani contusi & expressi ℥ ij. vel seminis raphani ʒ j ß. Iulorum juglandis exiccatorum & pulverisatorum ℈ ij. sunt qui purgante medicamento fortiore utendum censeant, & quosdam juvant. Fortiter autem & violento impetu ducentia, naturæ, & inprimis ventriculo vim inferunt, nequaquam inchoantibus vel perseverantibus doloribus Podagricis purgantia medicamenta adhiberi velim. Vacuato autem ventriculo vomitu recta victus ratio instituenda, atque coctus capo cum jure ablegandus, ac molliores carnes

bovinæ potius ac brassica, non tamen aceto condita, cerasa exiccata, oriza, & similia apponenda. Non enim multi nutrimenti cibi dandi, & vino atque carnibus, etiam ovis abstinendum simul ac verò materia fluere incipit, ac percipitur, bolum armenam in aqua plantaginis solutum adhiberem, vel aquam verbasci ad lib. ß. cui ℥ j. santali rubri addatur. Interdum cùm calor non vehemens est, mucilago psyllii cum aqua verbasci adhibetur. A relaxantibus vero, quale est cataplasma illud usitatum ex pane lacte imbuto cum vitello ovorum, oleo rosato, & croco in principio abstinerem, etsi crocus & rosatum oleum vim relaxandi corrigere videantur. In processu vero fluxionis tutius hoc adhibetur, sed magis placet decoctum medullæ, quæ est in cornu cervi in aqua simplici, cum est materia calida; vel admista vino, ubi frigida. Etsi vero raro frigida sola est, tamen interdum cum tumor œdematosus adest decoctis calidioribus origam, artemisiæ, utimur. Magnopere vero elaborandum est, ne materia in nodos concrescat, id cavemus cum sangvinem ovium sævo hircino mixtum apponimus. Pinguibus non utor libenter, sed in materia calida & vehementissimis doloribus oleum ranarum, quod hoc modo fit, plurimum prodesse observavi:

℞ *Ol. puri.* ℔. j.

Ranarum fluvial. num. iij.

Fl. ver-

Fl. verbasci m ij.

Injiciantur ranæ vivæ in oleum donec moriantur, & coquantur in olla vitreata lento igne clauso operculo usque ad carnis dissolutionem. Deinde contundantur & rursus bulliant, & percolatur oleum & olla mundetur. Isti oleo addantur Terebinthinæ bonæ ℥ iiij. Misceantur lento igne,& serventur usui. Cùm verò membrum jam dolore vacat, sed ad motum non satis idoneum sit, fomentetur locus decocto origani,artemisiæ, absinthii & chamæmeli,ita ut mane optimè sudet,& sudor aliquoties abstergatur. Nihil enim magis in hoc malo (dummodo materia nondum concreverit) sudore prodest,& capitis lotiones ex decoctione polytrichi. Id quod expertus verè affirmo. Verum de his non debeo in medium afferre plura, præsertim cum S.G. aliter sit persuasa nescio à quo, Medicum fuisse non oportet. An enim tot remedia frustra inventa, atque à Doctissimis viris præscripta sunt, & successu non omnino ubique infelici probat? Unum tamen addam, in quo non omnem; aliquam tamen spem auxilii pono, videlicet,ut ingravescente dolore ad pedem affectum ponatur catellus. Catellum enim non tantum calore suo facere, ut diffletur materia & digeratur, sed mali vim ad se pertrahere ita,ut interdum quoque mori animadversum sit. Tunc verò sepeliendum existimant in loco,ad quem homines non ac-

cedant, sed hoc superstitiosum existimo. Appositum vero dolores sedare rationi consentaneum est. Hæc habui quæ in ista temporis angustia monere volui, quæ ut à benignissimo Deo benignè fortunentur precor.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXXV.

In dolore Ischiadico, pro quodam Barone Vngaro.

DECEM præteriere menses, ex quò Magnificus Dominus quibusdam torqueri cœpit doloribus. Primo etenim occursu genu dextrum invaserunt; qui aliquandiu ibi perseverantes, tandem ad commissuram femoris cum coxendice ascenderunt: ne illic quidem, firmam constituerunt sedem, sed oberrando, modo hunc, modo illum articulum vehementissimè excruciarunt: imò & interjacentes musculi in tumorem elevati, motu convulsivo humoris hinc inde discurrentis manifestum edidere specimen, sequutus è vestigio vehementissimus dolor, qui plurimas noctes insomnes agere coëgit, cum totius pedis (cui ne insistere quidem poterat) motus ablatione, cùm eum neque contrahere, neque extendere, multo minus in gyrum agere potuerit. Septimo pòst invasionem mense accersito Medico levi-

bus

bus usus est purgantibus, nec quicquam præter vesicatorium appositum fuit, è quo hoc beneficii dicit se consecutum, quòd non amplius vagans humor sit deprehensus; sed superioribus relictis quasi in genu totus decubuerit, ubi & nunc sævissimos fert cruciatus, si intempestivè servorum negligentia pes elevatus fuerit. Deinceps in natis dextræ apice vix ulla in commissura femoris cum coxa percepta molestia, quam leviter enim in orbem ducere potest, dolores se observare conqueritur. His remedia adhiberi matura deliberatione poscit Mag. D. quæ tum demum ritè conscribi poterunt, ubi hæc symptomata ad suos morbos, & causas, tanquam ad sua capita reducentur. Quicquid articulos corporis humani præter naturam afficit arthritidis denominationem sortitur, sola excepta membri luxatione, potissimum si à defluxione originem traxerit. Ubi enim fluxio imum pedem universum, aut ejus particulas pollicem, tarsum aut calcem occupaverit, podagra nuncupatur: si genua, gonogra; si coxam, Ischias seu coxendicum morbus; si manus, chiragra: scapulas sæpe & claviculārum circa jugulum commissuram invadit, quæ tamen cùm à morbo venereo frequētius oboriatur, nulla certa appellatione hactenus insignita est, sed inter illius luis accidētia rejecta fuit. Causa propinqua omniū defluxio-

num est humor & is quidem vel sangvineus, biliosus, melancholicus, pituitosus, vel si horum quilibet, aut plures simul (quod frequentius evenit) permixti. Fons defluxionum perennis dicitur esse cerebrum : neque tamen inficias ire possumus ex inferioribus visceribus cerebro materiam copiosiorem suppeditari, quā cum conficere nequeat frigiditate sua (ceu in media aeris regione pluviæ & nubes) concrescere faciens in subjectas partes prolabi concedit. Neque sufficit cognovisse membrum mandans, nisi etiam explorata nobis fuerit membri suscipientis imbecillitas. Ita siquidem naturæ providæ industria comparatum est, ut nobiliora, & ob id validiora membra sua excrementa superflua ignobilioribus & debilioribus trāsmittant, quæ si porrò protrudere nequeunt, tutos receptus illis præbēt. Unde hanc imbecillitatem pedes Mag. D. contraxerint, inquirendum. Temperamentum equidem Mag. D. à prima generationis origine fuit calidum & humidum, cujus merito abundasse ipsum sangvine, qui etiam nunc rerum in ipsius corpore potitur nemini est dubium. Progediente postmodum ætate ob continuam triplicis substantiæ absumptionem, quæ resarciri minimè potest, veritati consentaneum est calorem [illegible] sse. Si victus rationem consi[illegible] ix quicquam magis inordina[illegible] potest, ex comessationibus

com-

compotationibusque crudas materias coacervatas. Unde processu temporis etiam temperamentum ad frigidius permutari potuit, conjicimus. Posita igitur sangvinis & pituitæ redundantia, cui accessit non nihil bilis ex generosorum vinorum & aromatis conditorum ciborum quoditiano usu, cur magis dextrum crus, quam sinistrum fuerit affectum: Vulnus habet Mag. D. quod in pueritia adhuc illi inflictum est, in genu dextro, aliud quoque paulo supra genu prope eo loci, ubi sextus musculus crus movens inseritur palmæ à genu longitudine. Deinceps & diu ulcera in tibiis habuit. Hæc materiam sua sponte ad proclivia loca tendentem receperunt, & ob debilitatem ex vulnere, ob frigiditatem longius propellere nequiverunt, sed illic cumulatā detinuerunt. Et quia alias podagra laboravit, nisi opportunis circa prima initia illi occursum fuerit remediis, mos est morbi ut occupatis pedibus altius tendat, & primùm genua, tum coxas & manus invadat. Morbus igitur iste est arthritis, & quidem coxendicus morbus cum gonagra, quæ totum pedem contraxerunt, ut extendere eum minimè valeat. Curandus itaque est præmisso prius augurio. Decimestris est morbus, principiis non est obviā itum, materia in profundo latet, unde non nisi vehementissimis educitur remediis, eaque jam ob diuturnitatem frigidior

reddita, adeò parti est impacta, ut levibus & paucis remediis non sit cessura. Instat autumnus & hyems frigidis, & quidem articularibus morbis infesta. In dubium etiam vocari possit ægri obedientia, præsertim absente Medico. Hæc male nos sperare juberent, nisi contrarium suaderet Mag. D. æ as nondum consistentem egressa, præterea temperamentum adhuc calidum & humidum, constitutio corporis robusta & virilis, quæ spem nobis pariunt naturæ & medicamentorum beneficio morbum evictum iri atque exquisitissima victus ratione, non neglectis remediis, quæ paulò pòst subjicientur. Nec id tamen integrè pollicemur ante tepores vernos adventantes: tutus & securus esse poterit per autumnũ & hyemem ne denuò cruciatu intolerabiles invadant. Perfectã autẽ curationem, & in integrũ restitutionẽ ante vernum tempus ægrè adipisci poterit. Victus ratio hujusmodi erit; Aerẽ salubrẽ requirat, non ob paludes vicinas obscurum, vel caliginosum, sed ventis pervia sit habitatio, præsertim Aquilonibus & Euris. Frigidum, quicquid sit, nervis, & morbis illos obsidentibus infestum. Maximopere ergo ab aëre frigido nocturnoque cavendum, quia cerebro ceu è spongia humores exprimendo ad ima prolabi facit. Hyeme in æstuariis corrigi poterit igne modico, qui nimius quoque si fuerit vitio non caret, quia, sicut &
aprica-

apricatio sub sole calidiore, fundit & liquat humores, unde promptius fluunt. Mediocritas igitur observanda.

Sit modus in rebus, sint certi denique fines.

Paulò calidior tamen aer frigidiori præferendus, quia actionibus naturæ magis amicus calor. In victus ratione patrium & gentilem morem prorsus dediscere oportet. Copiosa enim aromata, licet non generent humores frigidos, nihilominus vectoris munus subeunt, & materiam ad penitiores partes sua tenuitate traducunt ubi cùm exhalare non possint, ob loci frigiditatem incrassantur & impacti doloresciere consueverunt. Eadem generosi vini est ratio, nec non cæparum, alliorum, raphani, tam domestici, quam agrestis, sinapi. ex quibus quotidie mensas non tam ornant, quàm onerant. Pane utatur similaceo puro, licet interdum & sui comisto uti, qui ob furfuris aliquid, quod relictum est, aliquam vim detergendi consequitur, cujus merito & alvum movet. Carnibus utatur vitulinis, hædinis, has tamen petroselino & pipere modico conquassato, si humidiores videantur, corrigere poterit. Caponis caro & gallinaceorum præfertur in jure simplici. Immodicum tamen & frequentiorem usum Medici Podagricis minime tutum censent. Volucres omnes, prætersquàm palustres, & alias quasdam difficilis concoctionis, malive succi, conducunt, ut pha-

siani, turdi, merulæ, perdices. Anates & anseres crassum succum generant, ægrè concoquuntur, ideò minus laudati. Pipiones seu columbæ, si in domestica corte alantur, obesiores non admodū probantur, sylvestres, seu palumbi interdum ex indulgentia conceduntur. Pisces omnes, quia crudum, pituitosumque succum generant, prohibiti potissimum vitandi, grandiores, ut esoces, & palustres ac lutulenti, viscidique, uti tencbæ, cyprini, anguillæ, quidam tamen interdum moderatè possent concedi, velut, lucii, percæ, troctæ. Quemadmodum & omnia lacticinia, usque adeò ut hæc sola cibaria materiam uberem generandi morbi articularis suppediare possint. Saxatilium esu modico, & trudarum non in universum iuterdictum erit, præsertim si vino atque aceto bene cocti, & accommodatis quibusdam herbis conditi apponantur. Tum enim aliqua visciditatis aufertur portio, saliti verò pisces, fumo exiccati, & indurati, à mensis in totum arceantur, uti quoque carnes fumo exiccatæ, aut sale maceratæ, bovinæ, cervinæ, aprinæ, suillæ recentes, vel inveteratæ, & ex iis confecta farciminia. Negotium enim facessunt ventriculo, & cùm ægrè concoqui possint, plurimum illis conficiendis laboris impendit ventriculus, & ex necessitate multa cruda coctionem subterfugientia relinquuntur. Caseus è lacticiniorum genere est.
quare

quare peius cane & angue illi exosus esse debet. Olera non admodum laudatum succum producunt, spinachia, beta, asparagi, radices cichorii iusculo carnis incocta interdum, sed rarò assumi possunt. Brassica vel recens cum cremore lactis, vel salita cum lardo concedi vix possunt. Legumina, pisa, lentes, fabæ, qui flatus gignunt, qui vias dilatant, & expeditum humori fluenti iter præbent improbantur. Summatim hæc referendo omnia alimenta quæcunque multum sangvinis generant, ut ova sorbilia, & carnium juscula pinguia, aut quæ frigidum, crudum, pituitosum, ut pisces, fungi, extimescenda. Præterea quæ crudum succum ad articulos deducere possunt, quæ inter sunt aromata, quæ excepto pipere perpetuo mulctari debent à culinis exilio. Vinum generosum jejuno stomacho haustum, sinapi, allium, radices vel semina aperientia. Loco vini utatur mulsa, quæ sic conficienda: sumat betonicam, iuam, & rosmarinum herbas, quas aquæ fontanæ incoquat, & mellis despumati addat, quantum voluerit, ne ingratus sit illi dulcis sapor nimius. Ratione ventriculi nonnihil calami aromatici adjicere poterit. Aut si penitus vino abstinere non poterit musti duabus amphoris tertiam aquæ, cui incoctæ sunt herbæ supra descriptæ adjiciat, & ita bullire dum sua sponte ferveat mustum permittat: ubi resederit potus quotidiani loco utatur. Alioqui

vinum perniciosissimum esse Mag. D. sibi certissimo persuadeat. Quo ad somnum, tempestivè cubitum se conferat, tribus tamen à cœna horis. Meridianum fugiat, quia replet caput, & quoniam non justum spacium temporis illi conceditur, quo vapores à coctione elevatos discutere possit, necessariò illic crudi existentes catarrhorum occasionem præbent; satius est si quid nocturno somno derogatum fuerit, sub auroram, vel ante prandium compensare. Excercitia si quicquam aliud plurimum. Mag. D. conducerent: & quia pedibus est captus, manibus sese exerceat, gesticulando, velitando, & palæstriam exercendo, vel si hoc negetur, serram trahendo, vel ante prandium vehi equo aut curru gestarique debet, ut corpus aliquantisper congestos crudos ex diuturno decubitu succos sensim discutiat: calor quoque acuatur nativus, ut postmodum alimenta syncerè conficiat, crudaque absumat. Pedibus parcat, ne afflictis majorem addat afflictionem. Veneris usus superfluus nervoso generi inimicus. Ideo illi nimium indulgere noxium. At si natura postularit non nisi post primum somnum, vel ante cœnam, cum coctione absoluta minus podagricis noxius sit, exercendus. Tum vero primum ex usu fuisse dicetur, ubi levius sese habere, & melius spirare deprehendunt. Balnea aquæ dulcis præsertim prandium excipien-

pientia vehementer improbantur, quia laxant nervosas partes, & articulos, ut facilius alimentum nondum in ventriculo confectum illabatur, teporeque suo quasi effœminatos reddunt artus. Quo ad animi affectus iram, excandescentiam inprimis vitare oportet, quia illis affectibus sangvis commovetur, fluidior redditur, spiritus fluctuant, & ita impetu quodam perturbatus sangvis, cum calore etiam acrior redditus, quamvis debilitatam antè occupat partem. Hilaritati quoad ejus fieri potest, & vitæ conditio indulget, studeat: à terrore, odio, tristitia alienus esto. Et cùm hoc potissimum morbo ex læsa sæpius patientia in furorem sæpè prorumpant, in primis cavenda est minima indignatio, qua bilem quoque commovet, doloresque acriores invehit. Curationem autem hoc pacto exordietur. Defluxio cùm pariat malum, cura adhibenda est membro mandanti & recipienti, illud quidem ablationem superflui poscit, ne residuum quid supersit, quod ablegari possit, hoc vero corroborationem ne suscipiat excrementa, ad sese transmissa. His tota curatio absolvetur scopis, si corpus adeo mundum fuerit, ut nihil redundans reperiatur, quod articulis committi possit, iique tantùm adepti fuerint roboris, ut licet adsit materia, eam tamen non admittant, sed aliorsum propellant, vel per halitum calor innatus ea discutiat. Proventus excrementorum proba victus

hoc eſt, modicè aſtringant, & affluxum humoris reprimant, adhibenda. Cùm partim materia fluxit, partim fluxura eſt, mitigantia tutiſſima ſunt, quæ tamen prorſus non relaxant. Cùm jam fluxit, maturantia, & dolorem iſto modo ſedantia, ne materia concreſcat & indureſcat. Cæterum, qui ſtupefacientibus inchoante vel urgente malo utuntur, etſi dolorem ſedant, tamen haud dubie calori innato, qui omnium operationum naturalium in quacunque parte effectus eſt, vehementer obſunt. Non igitur ita ſatis eſt dolorem mitigare vel ſedare, ſed ita ſedare oportet, ne à medicamento plùs ſit mali loco affecto, quàm à morbo fuit. Dolorem autem perferre atque pati, etſi laudabile videatur, tamen ſi vel gràvis, vel diuturnus eſt, procul dubio calorem innatum ita debilitat, atque membrum affligit, ut non modò in præſentia plus materiæ attrahat, verùm cùm ea à natura tota ſuperari nequeat, nodos, hoc eſt, immedicabile malum, ut certè eam infirmitatem, ut ex leviſſimis cauſis morbus recurrat, facit. Hæc ego copioſius expoſui, ut S.G. intelligat, me fateri medicinam in curatione hujus morbi, ſicut in multis aliis conjecturis uti, veras tamen rationes habere, cur nequeam hoc dicere, in doloribus podagricis nihil eſſe faciendum. Etſi verò non debeam quicquam his addere, tamen ut conſtet medendi rationem, qua utendum

dum putabam, rectam & tutam esse, pauca addam. Materia quæ hactenus visa est dolorem affluxu facere, magna ex parte sangvinea fuit, sed interdum plusculum pituitæ, interdum etiam bilem adjunctam habet. In sangvinea, cum videlicet rubet locus, & calor ac dolores sunt vehementiores, ratio suadet, ut lateris affecti vena cubiti initio præmisso levi enemate secetur. Idque in multis optimo successu feci. Quiescere enim malum, ac affluxum humorum cessare animadverti, sin verò pituitosa esset fluxio, quæ magis molestat, ac prægravat, quàm magnos cruciatus affert, vomitum provocarem. Id quibus fiat modis ostendi. Sed hoc monendum, oxymel podagricis benè diluendum, & ℥ j ß. oxymell. ℔ j ß. vel ℥ viij. aqua hordei addenda, tepideque bibenda. Si fortius vomitum efficiendum sit, addantur succi Raphani contusi & expressi ℥ ij. vel seminis raphani ʒ j ß. Iulorum juglandis exiccatorum & pulverisatorum ℈ ij. sunt qui purgante medicamento fortiore utendum censeant, & quosdam juvant. Fortiter autem & violento impetu ducentia, naturæ, & inprimis ventriculo vim inferunt, nequaquam inchoantibus vel perseverantibus doloribus Podagricis purgantia medicamenta adhiberi velim. Vacuato autem ventriculo vomitu recta victus ratio instituenda, atque coctus capo cum jure ablegandus, ac molliores carnes

bovinæ potius ac brassica, non tamen aceto condita, ceraſa exiccata, oriza, & ſimilia apponenda. Non enim multi nutrimenti cibi dandi, & vino atque carnibus, etiam ovis abſtinendum ſimul ac verò materia fluere incipit, ac percipitur, bolum armenam in aqua plantaginis ſolutum adhiberem, vel aquam verbaſci ad lib. ß. cui ℥ j. ſantali rubri addatur. Interdum cùm calor non vehemens eſt, mucilago pſylii cum aqua verbaſci adhibetur. A relaxantibus vero, quale eſt cataplaſma illud uſitatum ex pane lacte imbuto cum vitello ovorum, oleo roſato, & croco in principio abſtinerem, etſi crocus & roſatum oleum vim relaxandi corrigere videantur. In proceſſu vero fluxionis tutius hoc adhibetur, ſed magis placet decoctum medullæ, quæ eſt in cornu cervi in aqua ſimplici, cum eſt materia calida; vel admiſta vino, ubi frigida. Etſi vero raro frigida ſola eſt, tamen interdum cum tumor œdematoſus adeſt decoctis calidioribus origani, artemiſiæ, utimur. Magnopere vero elaborandum eſt, ne materia in nodos concreſcat, id cavemus cum ſangvinem ovium ſævo hircino mixtum apponimus. Pinguibus non utor libenter, ſed in materia calida & vehementiſſimis doloribus oleum ranarum, quod hoc modo fit, plurimum prodeſſe obſervavi:

℞ *Ol. puri* ℔. j.
Ranarum fluvial. num. iij.

Fl. ver-

Fl. verbasci m ij.

Injiciantur ranæ vivæ in oleum donec moriantur, & coquantur in olla vitreata lento igne clauso operculo usque ad carnis dissolutionem. Deinde contundantur & rursus bulliant, & percolatur oleum & olla mundetur. Isti oleo addantur Terebinthinæ bonæ ℥ iiij. Misceantur lento igne, & serventur usui. Cùm verò membrum jam dolore vacat, sed ad motum non satis idoneum sit, fomentetur locus decocto origani, artemisiæ, absinthii & chamæmeli, ita ut mane optimè sudet, & sudor aliquoties abstergatur. Nihil enim magis in hoc malo (dummodo materia nondum concreverit) sudore prodest, & capitis lotiones ex decoctione polytrichi. Id quod expertus verè affirmo. Verum de his non debeo in medium afferre plura, præsertim cum S.G. aliter sit persuasa nescio à quo, Medicum fuisse non oportet. An enim tot remedia frustra inventa, atque à Doctissimis viris præscripta sunt, & successu non omnino ubique infelici probat? Unum tamen addam, in quo non omnem; aliquam tamen spem auxilii pono, videlicet, ut ingravescente dolore ad pedem affectum ponatur catellus. Catellum enim non tantum calore suo facere, ut diffletur materia & digeratur, sed mali vim ad se pertrahere ita, ut interdum quoque mori animadversum sit. Tunc verò sepeliendum existimant in loco, ad quem homines non ac-

cedant, sed hoc superstitiosum existimo. Appositum vero dolores sedare rationi consentaneum est. Hæc habui quæ in ista temporis angustia monere volui, quæ ut à benignissimo Deo benignè fortunentur precor.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXXV.

In dolore Ischiadico, pro quodam Barone Vngaro.

DECEM præteriere menses, ex quò Magnificus Dominus quibusdam torqueri cœpit doloribus. Primo etenim occursu genu dextrum invaserunt; qui aliquandiu ibi perseverantes, tandem ad commissuram femoris cum coxendice ascenderunt: ne illic quidem, firmam constituerunt sedem, sed oberrando, modo hunc, modo illum articulum vehementissimè excruciarunt: imò & interjacentes musculi in tumorem elevati, motu convulsivo humoris hinc inde discurrentis manifestum edidere specimen, sequutus è vestigio vehementissimus dolor, qui plurimas noctes insomnes agere coëgit, cum totius pedis (cui ne insistere quidem poterat) motus ablatione, cùm eum neque contrahere, neque extendere, multo minus in gyrum agere potuerit. Septimo pòst invasionem mense accersito Medico levibus

bus usus est purgantibus, nec quicquam præter vesicatorium appositum fuit, è quo hoc beneficii dicit se consecutum, quòd non amplius vagans humor sit deprehensus; sed superioribus relictis quasi in genu totus decubuerit, ubi & nunc sævissimos fert cruciatus, si intempestivè servorum negligentia pes elevatus fuerit. Deinceps in natis dextræ apice vix ulla in commissura femoris cum coxa percepta molestia, quam leviter enim in orbem ducere potest, dolores se observare conqueritur. His remedia adhiberi matura deliberatione poscit Mag. D. quæ tum demum ritè conscribi poterunt, ubi hæc symptomata ad suos morbos, & causas, tanquam ad sua capita reducentur. Quicquid articulos corporis humani præter naturam afficit arthritidis denominationem sortitur, sola excepta membri luxatione, potissimum si à defluxione originem traxerit. Ubi enim fluxio imum pedem universum, aut ejus particulas pollicem, tarsum aut calcem occupaverit, podagra nuncupatur: si genua, gonogra; si coxam, Ischias seu coxendicum morbus; si manus, chiragra: scapulas sæpe & claviculárum circa jugulum commissuram invadit, quæ tamen cùm à morbo venereo frequētius oboriatur, nulla certa appellatione hactenus insignita est, sed inter illius luis accidētia rejecta fuit. Causa propinqua omniū defluxio-

num est humor & is quidem vel sangvineus, biliosus, melancholicus, pituitosus, vel horum quilibet, aut plures simul (quod frequentius evenit) permixti. Fons defluxionum perennis dicitur esse cerebrum : neque tamen inficias ire possumus ex inferioribus visceribus cerebro materiam copiosiorem suppeditari, quã cum conficere nequeat frigiditate sua (ceu in media aeris regione pluviæ & nubes) concrescere faciens in subjectas partes prolabi concedit. Neque sufficit cognovisse membrum mandans, nisi etiam explorata nobis fuerit membri suscipientis imbecillitas. Ita siquidem naturæ providæ industria comparatum est, ut nobilora, & ob id validiora membra sua excrementa superflua ignobilioribus & debilioribus trãsmittant, quæ si porrò protrudere nequeunt, tutos receptus illis præbẽt. Unde hanc imbecillitatem pedes Mag. D. contraxerint, inquirendum. Temperamentum equidem Mag. D. à prima generationis origine fuit calidum & humidum, cujus merito abundasse ipsum sangvine, qui etiam nunc rerum in ipsius corpore potitur nemini est dubium. Progediente postmodum ætate ob continuam triplicis substantiæ absumptionem, quæ resarciri minimè potest, veritati consentaneum est calorem non nihil remisisse. Si victus rationem consideremus, qua vix quicquam magis inordinatum excogitari potest, ex comessationibus com-

compotationibusque crudas materias coacervatas. Unde processu temporis etiam temperamentum ad frigidius permutari potuit, conjicimus. Posita igitur sangvinis & pituitæ redundantia, cui accessit non nihil bilis ex generosorum vinorum & aromatis conditorum ciborum quoditiano usu, cur magis dextrum crus, quam sinistrum fuerit affectum: Vulnus habet Mag. D. quod in pueritia adhuc illi inflictum est, in genu dextro, aliud quoque paulo supra genu prope eo loci, ubi sextus musculus crus movens inseritur palmæ à genu longitudine. Deinceps & diu ulcera in tibiis habuit. Hæc materiam sua sponte ad proclivia loca tendentem receperunt, & ob debilitatem ex vulnere, ob frigiditatem longius propellere nequiverunt, sed illic cumulatā detinuerunt. Et quia alias podagra laboravit, nisi opportunis circa prima initia illi occursum fuerit remediis, mos est morbi ut occupatis pedibus altius tendat, & primùm genua, tum coxas & manus invadat. Morbus igitur iste est arthritis, & quidem coxendicus morbus cum gonagra, quæ totum pedem contraxerunt, ut extendere eum minimè valeat. Curandus itaque est præmisso prius augurio. Decimestris est morbus, principiis non est obviā itum, materia in profundo latet, unde non nisi vehementissimis educitur remediis, eaque jam ob diuturnitatem frigidior

reddita, adeò parti est impacta, ut levibus & paucis remediis non sit cessura. Instat autumnus & hyems frigidis, & quidem articularibus morbis infesta. In dubium etiam vocari possit ægri obedientia, præsertim absente Medico. Hæc male nos sperare juberent, nisi contrarium suaderet Mag. D. ætas nondum consistentem egressa, præterea temperamentum adhuc calidum & humidum, constitutio corporis robusta & virilis, quæ spem nobis pariunt naturæ & medicamentorum beneficio morbum evictum iri atque exquisitissima victus ratione, non neglectis remediis, quæ paulò pòst subjicientur. Nec id tamen integrè pollicemur ante tepores vernos adventantes: tutus & securus esse poterit per autumnũ & hyemem ne denuo cruciatu intolerabiles invadant. Perfectã autẽ curationem, & in integrũ restitutionẽ ante vernum tempus ægrè adipisci poterit. Victus ratio hujusmodi erit; Aerẽ salubrẽ requirat, non ob paludes vicinas obscurum, vel caliginosum, sed ventis pervia sit habitatio, præsertim Aquilonibus & Euris. Frigidum, quicquid sit, nervis, & morbis illos obsidentibus infestum. Maximopere ergo ab aëre frigido nocturnoque cavendum, quia cerebro ceu è spongia humores exprimendo ad ima prolabi facit. Hyeme in æstuariis corrigi poterit igne modico, qui nimius quoque si fuerit vitio non caret, quia, sicut & aprica-

apricatio sub sole calidiore, fundit & liquat humores, unde promptius fluunt. Mediocritas igitur observanda.

Sit modus in rebus, sint certi denique fines.

Paulò calidior tamen aer frigidiori præferendus, quia actionibus naturæ magis amicus calor. In victus ratione patrium & gentilem morem prorsus dediscere oportet. Copiosa enim aromata, licet non generent humores frigidos, nihilominus vectoris munus subeunt, & materiam ad penitiores partes sua tenuitate traducunt ubi cùm exhalare non possint, ob loci frigiditatem incrassantur & impacti dolores ciere consueverunt. Eadem generosi vini est ratio, nec non cæparum, alliorum, raphani, tam domestici, quam agrestis, sinapi. ex quibus quotidie mensas non tam ornant, quàm onerant. Pane utatur similaceo puro, licet interdum & sui comisto uti, qui ob furfuris aliquid, quod relictum est, aliquam vim detergendi consequitur, cujus merito & alvum movet. Carnibus utatur vitulinis, hædinis, has tamen petroselino & pipere modico conquassato, si humidiores videantur, corrigere poterit. Caponis caro & gallinaceorum præfertur in jure simplici. Immodicum tamen & frequentiorem usum Medici Podagricis minime tutum censent. Volucres omnes, præterquàm palustres, & alias quasdam difficilis concoctionis, malive succi, conducunt, ut pha-

siani,turdi, merulæ, perdices. Anates & anseres crassum succum generant, ægrè concoquuntur, ideò minus laudati. Pipiones seu columbæ,si in domestica corte alantur, obesiores non admodũ probantur, sylvestres,seu palumbi interdum ex indulgentia conceduntur. Pisces omnes,quia crudum,pituitosumque succum generant,prohibiti potissimum vitandi, grandiores, ut esoces,& palustres ac lutulenti, viscidique,uti tenchæ,cyprini,anguillæ, quidam tamen interdum moderatè possent concedi, velut,lucii, percæ, troctæ. Quemadmodum & omnia lacticinia,usque adeò ut hæc sola cibaria materiam uberem generandi morbi articularis suppediare possint. Saxatilium esu modico,& trudarum non in universum interdictum erit,præsertim si vino atque aceto bene cocti, & accommodatis quibusdam herbis conditi apponantur. Tum enim aliqua viscidiratis aufertur portio,saliti verò pisces,fumo exiccati, & indurati,à mensis in totum arceantur, uti quoque carnes fumo exiccatæ, aut sale maceratæ, bovinæ, cervinæ,aprinæ, suillæ recentes, vel inveteratæ,& ex iis confecta farciminia. Negotium enim facessunt ventriculo, & cùm ægrè concoqui possint,plurimum illis conficiendis laboris impendit ventriculus, & ex necessitate multa cruda coctionem subterfugientia relinquuntur. Caseus è lacticiniorum genere est quare

quare peius cane & angue illi exosus esse debet. Olera non admodum laudatum succum producunt, spinachia, beta, asparagi, radices cichorii iusculo carnis incocta interdum, sed rarò assumi possunt. Brassica vel recens cum cremore lactis, vel salita cum lardo concedi vix possunt. Legumina, pisa, lentes, fabæ, qui flatus gignunt, qui vias dilatant, & expeditum humori fluenti iter præbent improbantur. Summatim hæc referendo omnia alimenta quæcunque multum sangvinis generant, ut ova sorbilia, & carnium juscula pinguia, aut quæ frigidum, crudum, pituitosum, ut pisces, fungi, extimescenda. Præterea quæ crudum succum ad articulos deducere possunt, quæ inter sunt aromata, quæ excepto pipere perpetuo mulctari debent à culinis exilio. Vinum generosum jejuno stomacho haustum, sinapi, allium, radices vel semina aperientia. Loco vini utatur mulsa, quæ sic conficienda: sumat betonicam, iuam, & rosmarinum herbas, quas aquæ fontanæ incoquat, & mellis despumati addat, quantum voluerit, ne ingratus sit illi dulcis sapor nimius. Ratione ventriculi nonnihil calami aromatici adjicere poterit. Aut si penitus vino abstinere non poterit musti duabus amphoris tertiam aquæ, cui incoctæ sunt herbæ supra descriptæ adjiciat, & ita bullire dum sua sponte ferveat mustum permittat: ubi resederit potus quotidiani loco utatur. Alioqui

vinum pernitiosissimum esse Mag. D. sibi certissimo persuadeat. Quoad somnum, tempestivè cubitum se conferat, tribus tamen à cœna horis. Meridianum fugiat, quia replet caput, & quoniam non justum spacium temporis illi conceditur, quo vapores à coctione elevatos discutere possit, necessariò illic crudi existentes catarrhorum occasionem præbent, satius est si quid nocturno somno derogatum fuerit, sub auroram, vel ante prandium compensare. Excercitia si quicquam aliud plurimum. Mag. D. conducerent: & quia pedibus est captus, manibus sese exerceat, gesticulando, velitando, & palæstriam exercendo, vel si hoc negetur, serram trahendo, vel ante prandium vehi equo aut curru gestarique debet, ut corpus aliquantisper congestos crudos ex diuturno decubitu succos sensim discutiat: calor quoque acuatur nativus, ut postmodum alimenta syncerè conficiat, crudaque absumat. Pedibus parcat ne afflictis majorem addat afflictionem. Veneris usus superfluus nervoso generi inimicus. Ideo illi nimium indulgere noxium. At si natura postularit non nisi post primum somnum, vel ante cœnam, cum coctione absoluta minus podagricis noxius sit, exercendus. Tum vero primum ex usu fuisse dicetur, ubi levius sese habere, & melius spirare deprehendunt. Balnea aquæ dulcis præsertim prandium excipien-

pientia vehementer improbantur, quia laxant nervosas partes, & articulos, ut facilius alimentum nondum in ventriculo confectum illabatur, teporeque suo quasi effœminatos reddunt artus. Quo ad animi affectus iram, excandescentiam inprimis vitare oportet, quia illis affectibus sangvis commovetur, fluidior redditur, spiritus fluctuant, & ita impetu quodam perturbatus sangvis, cum calore etiam acrior redditus, quamvis debilitatam antè occupat partem. Hilaritati quoad ejus fieri potest, & vitæ conditio indulget, studeat: à terrore, odio, tristitia alienus esto. Et cùm hoc potissimum morbo ex læsa sæpius patientia in furorem sæpè prorumpant, in primis cavenda est minima indignatio, qua bilem quoque commovet, doloresque acriores invehit. Curationem autem hoc pacto exordietur. Defluxio cùm pariat malum, cura adhibenda est membro mandanti & recipienti, illud quidem ablationem superflui poscit, ne residuum quid supersit, quod ablegari possit, hoc verò corroborationem ne suscipiat excrementa, ad sese transmissa. His tota curatio absolvetur scopis, si corpus adeo mundum fuerit, ut nihil redundans reperiatur, quod articulis committi possit, iique tantùm adepti fuerint roboris, ut licet adsit materia, eam tamen non admittant, sed aliorsum propellant, vel per halitum calor innatus ea discutiat. Proventus excrementorum proba victus

ratione impeditur quidem, cum in omni coctione excrementa relinquantur, minimè ab iis corpus conservare planè est impossibile. Redundantia ergo auferatur hoc pacto, si lenitivo præmisso, quod primos ductus aliquantisper vacuat, vena secetur, postmodum syrupis materia ad plenariam expulsionem præparetur:

℞ *Pulpæ cassiæ recens extract.* ℥ j. Vel. ℨ x.
Specier. hieræ simpl. ℨ ij.
Misce cum saccharo. f. bolus.

Ejus loco lenitivum electuarium, vel catholicon usurpari poterit.

℞ *El. lenitivi* ℨ vj.
Agaric. rec. trochisc. ℈ ij.
Cum syrupo conservationis zinzib. f. bolus.

Postero die vena secanda, & quidē interna dextri lateris, tum quia plus vacua à vena magna, tū quia est è latere dolente secundum rectitudinem plus aliarum sectione conducet. Sangvis ad libram unam emitti securè poterit. Hinc ad decocta, vel syrupos præparatorios deveniendum, qui fiunt ex radicibus, herbis, seminibus aperientibus, incidentibus, attenuantibus, & discutientibus. Puta radice feniculi, asparagi, graminis, polypodii, enulæ, iridis. Herbis verò betonicæ, rorismarini, marrubii, salviæ, chamædryos, chamepith. hissopi, majoranæ, serpilli, pulegii, origani, quibus ratione jecoris agrimonia, capilli veneris, cicorium, endivia, ce-

trach

trochadjici poterunt. E seminibus rutæ, anisi, petroselini, dauci. E floribus buglossa, borrago, camomilla. Ex his decocta parari possunt, & in colatura dissolu. syrup. de betonica, de stœchade, artemisia, hissopo, prassio, oxymel. simpl. & diureticum, fortassis tandem etiam scilliticum. Hi syrupi sub finem clarificari possunt, & aromatisari cum pauco cinnamomi, caryophyllorumque, vel speciebus Diagalangæ, aromaticive rosati. Decocto necessario semper aliquid agarici in petia ligati ratione subducendæ pituitæ adjungendum est. Dum hos bibit syrupos alvus cienda clysteribus acribus, adeò ut etiam provocent sangvinem. Ita enim conferre nonnullis visum est in ischiade. Fiant ex herbis emollientibus, quibus semina carminantia adjiciantur, nec non centaurea minor, agarici & colocynthidis nonnihil. In colatura autem dissolvantur olea liliorum alborum, chamomelin. rutacei. Electuaria verò hiera Diacolocynthidis & Logodionis, benedicta laxativa, aloës nonnihil cum sale copioso ad majorem irritationem. Indum quoque & Diaphœnicon ex usu fuerint in clysmatibus. Syrupos decem dies continuos bibere poterit, tertio quoque die, si ita videbitur, reiterato clystere. Absolutis iis, medicamenta, quæ à longinquo trahunt exhibenda, cujus generis sunt pillulæ cochiæ, aggregativæ fœtidæ, de hermodactylis, indæ, lucis majores, quibus aliquid trochisce-

rum de colocynthide, aut hieræ hermetis adjici poterit. Pilulas si pondere ℥j ß. sumpserit, ita demum operaturas credat. Interea temporis poterit locum affectum inungere oleo liliorum, irino, lumbricorum, de Euphorbio, viperino, castoreo. Maximam autem vim habet latiritium, quod philosophorum vocant, cum petroleo seu naphtha permixtum. Oleum de pullis ciconiarum nonnulli conficiunt, cui axungiam serpentinam adjiciunt. Genu illinere poterit oleo de cera, cui adeps humanus adjunctus fuerit. Emplastrum ex terebinthina, cui inspersus fuerit pulvis hermodactylorum, nonnullis vehementer probatur, si coxæ & universo femori applicatum fuerit. Filum crudum aliqui felicissimo successu lixivio acri incoquunt, & fervens prope loco affecto una cum cineribus superimponunt. Cujus loco alii pelles animalium præferunt, quibus amiciunt femur & coxendices, eoque solo remedio plurimos sanasse affirmant. Sed tutissimum nunc est totum pedem immergere matutinis horis vinaceis, quæ si non satis calent mustum calefactum iis affundat. His si non cesserit materia, ineunte vere rursus expurgato corpore ad vesicatoria, rubrificantia, sinapismosque nosmet convertere decet. Hæc fiunt è Thapsia, stercore columbino, caricis, vel fermento exceptis, aut ranunculo, flammula, cum lixivio acri & caricis fiat emplastri modo. Cantharides

rides si adjiciantur, & semen sinapis, tum verè vesicas producent, & fortassis etiam crustas. Sed prius hoc emplastrum coxendici apponat, quod fit ex calce viva, tartaro, olibano, baccis lauri, atque sinapi, cum melle mixto. Ad genu verò si tumor non resederit, & materia in tophum concreverit, caseum antiquum cum decoctione pernæ, vel pedum suillorum, tanquam emplastrum applicabit. Omnibus his ritè peractis ad Thermas, tanquam ad sacram anchoram, vere adventante properandum. Eò loci aut totum corpus immergat, vel lutum effodiat, & totum pedem ad solem eo oblinat: ubi exarverit thermali aqua rursus irriget, vel novum lutum illi apponat. Hoc continuare poterit spacio mensis unius, aut dierum quadraginta. Sint autem thermæ sulphureæ, quæ caliditate sua absumant humorem in articulis congestum. Ejusmodi sunt Pisthinienses in Ungaria. Tum etiam corroborationis gratia ad alias transeundum, quæ aluminis & nitri aliquid continent, cujusmodi sunt, Veradinenses, in quibus aliquot hebdomadas transigat, ut articuli, ligamenta, nervique levi earum astrictione tantum virium adipiscantur, ne posthac humorem ad sese exoneratum suscipiant. Capitis corroborandi gratia possunt præscribi conservæ ex floribus cichorii, rorismarini, betonicæ, salviæ, ivæ, & adjici species aromaticæ, dianthos, aromaticum

rosatum, diarrhodon abbatis, corall. præp. aut cum aquis capitalibus rotulæ confici è speciebus, quibus materiæ proventum impedire possit. Maximè verò commendatur usus extracti calami aromatici, cum syrupo de betonica vel melle rosaceo. Lotiones capitis cum lixivio, in quo majorana, polytrichum, abrotanum, rosæ cocta sint, probantur. His remediis auxilio omnipotentis Dei, qui cum de terra medicinam condiderit, eventus quoque prosperos illis solus concedere potest, speramus Mag. D. integrè pristinam sanitatem recuperaturum, quam illi ex animo optamus.

JOHAN. CRATO A KRAFTHEIM &c.

NICOLAUS BIESIUS D.
HIERONYMUS CAMERIUS D.

THOMAS JORDANUS D.

CONSILIUM XXXVI.

IN Arthritide, pro quodam magnifico viro.

PLANE me mirificè affecit invaletudo vestra, & quia vi catarrhi, & dolores initium ab immoderato vini usu traxerunt, deinde repercussivis humorem ad interiora repellentibus malum auctum est, quo magis in utroque temperare

perare sibi V. M. possit, monebo quædam huic casui convenientia. Cùm omnia illa symptomata à catarrhis oriantur, respiciendum est potissimum ad ea loca unde maneant. Plerumque autem eorum fons caput est, inde ad humeros, brachia, dorsum & pedes defluunt, & quo loco influunt, ibi dolores cient, distendunt, inflammant, & tumorem concitant. Quod verò frequenter in pedes delabuntur, faciunt obstructiones eæ, quæ circa lumbos sunt, & loci situs. Nam cùm in renibus viæ non patent, ut serosi humores à sangvine separentur, alias vias quærit natura, & quia pedes infimo loco sunt, & subsidunt. Si vero duo illa membra, caput & renes per ordinarias vias expurgarentur, & libera essent, caveretur proventus & cumulatio materiæ, quæ primùm obstruit, ut evacuationes non procedant. deinde novas cruditates excitat, maximè si intemperantia & vinum accesserit, tum igitur minus esset crudorum humorum, & corpus præservaretur. Ergo in præcautione præter diligentissimam victus rationem ad id attendendum est, ut alvus laxa sit, & quotidie sufficienter intestina à fecibus liberentur per sedes ad minimum semel. Quod si sponte non fieret, proderit electuarium, quod adscribam: sumitur autem quantitate castaneæ hora una ante cibum, plus minusve, prout necessitas postulat. Ita materia fluens non collige-

retur, nec caput facilè repleretur. Est autem formula talis:

℞ *El. rosar.* ℥ ß.
Lenitiu. x.
Elescoph.
Diaphenic. a. ʒ iij.
De succo rosar. ʒ ij.

Cum syrupo de fumo terræ pauculo f. mixtura, itemque electuarium. Quod si caput repletum esse observatum fuerit, & fluxionis decursus metuitur, utendum iis pillulis, quæ ante descriptæ sunt, ut materia maturè subducatur, antequam in alias particulas decumbat. Non illud præcipio, ut semper purgationes iterentur, sint idonea intervalla, & tùm præcipuè fiat, cùm necessitas urget, & periculum imminet. Post pillularum usum, materia superflua etiam à capite detrahatur, attracta in nares aqua majoranæ, & emunctis postea naribus quod si nimis leve est, pulvis maioranæ contusus addatur, vel succus ex beta addito pauco melle, in quem linteolum intinctum naribus indatur, ut assuescat humores inde defluere. Pro corroboratione ventriculi, quæ hic admodum est necessaria, & apertione epatis & renum proderit conditum assumptum quantitate castaneæ corpus firmat, & epar, ac alvum aperit. Potest autem sumi quotiescunque visum fuerit, modò mane singulis diebus semel fiat. Descriptio est:

℞ Con-

℞ *Conser. rosar.* ℥ ß.
Fumiterræ ℥ v.
Anthos ℥ iij.
Pimpinellæ conditæ. ℥ vj.
Zinzib. conditi.
Calam. aromat. cond. an. ℥ ß.
Specier. Diarrhod. abb. ℥ j.
Aromatic. rosat. ℥ ß.

Condita crasso modo incidantur. Misc. omnia, fiat cum syrupo de betonica conditum.

Et quia plerunque in hoc corpore hypochondria & loca renum incalescunt, ut multum materiæ attrahatur, & humores compingantur, & obstructiones, non intermittat æger ad primum hujusmodi sensum, & in hypochondriis dolorem, eas partes unguento inungere, ut occurratur malo. Unguentum autem tale est:

℞ *Infrig. Gal.*
Ceroti santal. an. ℥ ß.
Diapopuleon. ℥ iij.
Rad. plantag. aquatic. ℥ ß.
Specier. Diatrion santal. ℈ j.

Cum oleo myrtino & rosac. an. q. s. addendo aceti parum f. unguentum.

Quid præterea ad præservationē in vere & autumno faciendū sit, satis in prescripta victus ratione indicatū est Modo coctio ne negligatur; & si ventriculus ad digerendū imbecillior est, curet sibi præparari hunc sacculum, & eum

ventriculo hora una ante cibum imponat. Sed prius aspergatur vino, & vapor à calido latere excipiatur, vel imbuatur aqua absinthii & si tēpus prandii instar, dematur: & si eo die nihil aliud accipiendum est ex remediis, suadeo rosatam novellam, de qua orbiculos tres vel quatuor semel manè deglutiet. Optimè enim confortant. Descriptio sacculi stomachalis est:

♃ *Herb.menthæ.*
Betonic.
Absinth.
Origani.
*Rosar.rub.*an.m j.
*Fl.chamomill.*p.iij.
Semin.cymini ℥ ß.
Anisi,
Carvi an. ʒ j ß.
Galangæ ʒ j ß.
Nucis Muscatæ num.j.
*Garyophyll.*num.xx.

Conquass. misc.& f. sacculus stomachalis interpassatus:

Rotularum formula est ejusmodi:
♃ *Rotul.rosatæ novellæ* ℥ iiij.

Sed de paroxysmo deinceps dicendum. Præservatio tantùm occurrit fluxionibus. Quod si quid neglectum est, & decumbunt humores in articulos statim subveniendum est, ne plus affluat, & id absumatur, quod jam affluxit. Ideo statim inter initia quædum sunt adhibenda ad alvum

alvum leniendam, ut & cætera membra tantò facilius se possint exonerare, ita quod fluxurum est, ei anteverteretur. Quam primùm igitur in articulos fluxio descendit, pillulæ statim sumantur, ut præcidatur fluxus materia, & retrahatur fluxus à locis, ad quæ decumbit:

℞ *Massæ pill. de hiera cum cum agarico, stomachicar.*

Cochiar. a. ℈j.

Diagr. gr. ij.

Cum syrupo de stochade q. s. formentur pillulæ mediocres, instar pisorum.

Et sic cum materia imminuta est, viæ fluxui intercipendæ sunt, ne tanto impetu decumbat. Sumat autem absinthium, & prunis injiciat, (sed extra conclave in quo est. Nam aliàs dolorem capitis gignit) ut fumum de se præbeat. Ei injiciatur linteum triplicatum, aut quadruplicatum, & cum vaporem eum linteum imbuit & incaluit, impone calidè in cervicem, & si frigidum factum fuerit, rursus calefacito, ita retinetur affluxus & impetus infringitur. Sequitur porrò, quid pro parte affecta agendum sit. Quamprimum aliquid in articulo sentitur, sit in promptu oleum rosatum, & chamomelinum, minimè vetus, nec rancidum, & quam primum aliquid se ostenderit, locum inungat oleo rosato. Commodius tamen esset, si lumbricos in vino lotos & contusos ei oleo incoqueret, ita esse efficacius, sed expressio-

ne opus eſt,ut abjiciantur lumbrici. Sin dolores augentur,addatur oleo roſato oleum chamomelium, ut reſolvatur tumor, & ſi nimis invaleſcant, penna hoc unguentum illinatur:

℞ *Ol roſac.* ℥ j ß.
Chamomel ℥ ß.
Pulu. ſem. fanigr.
Chamomel. an. ℈ ij ß.
Miſc. f liniment um.

Lenit hoc dolores. Cùm ipſis autem doloribus ſimul etiam inflammationes renum infeſtant,à quibus gravior fit paroxyſmus. Ideò non deſinat calorem renum contemperare illo unguento.Eodem tempore utatur hoc electuario,quantitate caſtaneæ, quod eodem directum eſt ,& ſitim ſedat , membra quoque nutritionis roborat.Eſt autem tale:

℞ *Conſer. borrag.*
Cichor. an. ℥ iij
Roſar. ℥ v.
Specier. Diatrion ſantal. ſine
Camphora ℥ j.
Diarrhod. abb.
Roſar. novellæ a. ℈ j.
Carnis paſſul. major.
Cibebar. an. ℥ iij
Tabular. manus Chriſti ℥ ij.
Pyrorum muſcatell. minutim inciſ. ℥ ß.

Cum

Cum syrupo de cichoreo q. f. f. conditum. Capitis per nares evacuatio, nunquam intermittatur, & in remissione doloris fiat fomentatio ex absinthio, & ipsi loco etiam applicetur dolenti. Verum ut pars etiam affecta & dolens roboretur, commendo hoc unguentum. Id, ut dixi, & in doloris remissione, & cùm in totum abiit, vel ex parte restat, calidè apponatur, vel illinatur. Nam debilitatis membris vires addit, & ab influentibus humoribus præcavet. Est autem tale:

℞ *Succi radic. ebuli* ℔ ß.
Succi rutæ ℥ iiij.
Lumbricorum terræ prius in vino albo ablutorum ℥ v.
Ol. rosar.
Chamomell. an. ℥ j ß.

Incidantur lumbrici in patella. Add. succi & olea, coq. omnia lentissimo igne ad consumptionem succorum. Exprim. quibus add.

Ceræ.
Terebinthinæ an. ℥ j ß.
Misc. f. unguentum.

Quod ad rationem victus attinet, puto antea satis jam me monuisse, & breviter omnes vitiosos cibos, maximè vaporosos viter, neque solùm in morbo, sed etiam extra morbum adsit temperantia in victu, & præcipuè in potu. Hæc monere in præsentia mihi visum fuit, & possem multorum verissima,

exempla recensere, quibus hæc ipsa plurimum profuerunt. Sed ut qui naufragus est, ei succurri non potest, nisi & ipse suum officium faciat: Ita in sanitatis recuperatione ægrum etiam obtemperare convenit.

CASPAR HOFMANNUS,
Elect. Brandeburg. Med. &c.

CONSILIUM XXXVII.

In Arthritide, & Nephritide, pro celeberrimo quodam Iureconsulto.

NON est desperanda curatio in iis ægris, in quibus partium recipientium fluxiones temperies nondum est perdita & amissa, etiamsi podagricæ inflamationes & dolores suboriuntur. Sed cum intemperies ita est aucta, & calor innatus ita diminutus, ut nulla arte corrigi possit, curatio, quæ est reductio membri ad naturalem statum, scilicet, cum à quo dilapsum est, parum firmitatis habet. Præservare verò nil aliud est, quàm causas vel declinare, vel avertere. Causæ cum morbus sit in genere fluxionis, ad quatuor quasi prima capita deducuntur, primùm corrigenda intemperies, tam partis demandantis, ut vocant, quàm membri suscipientis. Viæ etiam roborandæ, & materia in primis, vel reducenda, vel recta victus ratione, ne fluat corrigenda. Est autem materia duplex, una crassa & cruda, altera tenuis, quæ ad fluo-
rem

tem & inflamationem facit: Utramque victus ratio idonea emendat, quam qui tenere nequit, frustrà ad medicamenta confugit. Cum verò victus ratio præstantissimi viri mihi sit ignota, & ex vulgaribus libellis haud dubiè perspecta non est quod multa moneam. Vinum ad fluxionem facit, sed tamen in debilitate ventriculi, vino non temerè interdicendum est. Bibendum autem adstrictionem habens, minimè acidum, nam acida nervis & articulis noxia. Pisces materiam pituitosam suppeditant. Cruda ciborum varietas ad inæqualem coctionem & cruditatem faciunt. Anserinæ carnes, suillæ, nimium humoris excrementicii habent. Legumina crassum succum generant. Hæc igitur vitanda. Item affectiones animi, quæ materiam fundunt, inprimis verò iracundia & tristitia, sed his te non arbitror indulgere. Ad medicationem quod attinet, etsi ab universo corpore humores ad membra infirma fluere possunt, tamen plerunque à capite ad subjectas partes fluunt. Itaque lotionibus capitis ex polytricho nil utilius. Hac enim ratione exiccatur caput, & humores absumuntur, frequenter verò faciendum ante cœnam; & deinceps aer fugiendus. Inspergendus autem capiti iste pulvis.

℞ *Rosar. rubear.*
Corallor.
Myrtill. a. ʒj.

*Succin.*albi ℥ ß.
Ambræ gr.iij.
Misc.f.pulvis.

Deinde opera danda (id quod te facere intelligo) ut singulis diebus in lecto sudes, & hyberno tempore in mense bis vel ter scrupulus unus optimæ Theriacæ assumendus. Mirifice quidam commendant ad absumendam fluxionis materiam usum ossium humanorum combustorum & in pollinem in lapide porphyrio contritorum. Sed & ego bovinis ossibus cum successu felicissum usus, addidi etiam corallos albos & cornu cervi combustum, & ad ℨ j. exhibui ante somnum. Ad corroboranda membra suscipientia valent ea, quæ calorem innatum augent, & temperiem partium restituunt. Inter omnia autem præcipuum locum habet, usus vinaceorum, cùm è torculari tempore vindemiæ, accipiũtur, subito in illis pedes & membra affecta, immergantur, & donec bene incalescant, per horam dimidiam, aut integram, sepeliantur. Fiat hoc dum vindemia durat, multæ inunctiones, emplastra, fomentationes, lotiones, ad eandem intentionẽ ab aliis præscribuntur, sed & ego parũ ipsis tribuo, atque ut abstineas moneo. Intemperies sæpe ab illis major introducitur, & materia attrahitur. De altero affectu, videlicet nephritide, quæ plerumque cum Podagra conjuncta

juncta est, & lævior illa, consului, ut avellanis uteretis. Velim autem hora una ante cœnam te accipere quinque excorticatas. Nam & temperiem renum corrigunt, & materiam calculi educunt. In his autem duabus intentionibus tota consistit Nephriticorum curatio. Itaque partes illas corporis, ad quas siti sunt renes, rectum est tali unguento ungere.

℞ *Vnguenti ros.* Mes. ℥ j.
Amygd. amar. num. vj.
Ol. amygd. amar. q. s. f. Vnguentum.

Accedit ex hoc unguento hæc quoque utilitas, quod laxiorem carnem renum reddit, id quidem Hipp. noster in præcipua parte curationis ponit, multis remediis remoretur, per ea autem præcipuè, quæ generationem calculi impediunt, & ventrem leniunt. Caro passularum ad hoc præclarum est auxilium, sed si alvus est astrictior, sumantur quinque pillulæ de ista pasta;

℞ *Aloes rosatæ* ʒ j.
Mastich. ʒ ß.
Cum syrupto rosato f. pill. xv.

A diureticis ut abstineas moneo: interdum drachmam unam vel mediam pulveris betonicæ in jusculo mane sumas. In doloribus decoctum radicum altheæ, & herbæ veronicæ, in aqua, cui mel & butyrum adjiciatur, bibas, & enemata ex solo decocto veronicæ ad libram unam cum dimidia, cum butyri unciis id

tribus vel quatuor, addas mellis rosati uncias duas vel tres, lenit & dolores sedat. Hæc intra solicitas animi cogitationes scripsi, ea ut benignè fortunet Christus precor.

Postscriptum;

Lavet sæpè caput lixivio, in quo herba polytrichum decoquatur, foveatur calor in pedibus, cum non labores, decoctis in aqua & vino, arthemisia, origano, chamomilla romana, & parum absinthij excipiatur vapor matutinè. Utaris optima & moderatissima victus ratione, fugias vina corrupta. Ut calculi materiam depellas, sumas ante cœnam interdum nucleos avellanarum mundatarum. Item vuas passas majores, quas cibebas vocant, & comminuas dentibus acinos. In vino maceretur herba veronica, & illud bibas: ventriculum optimè lineo panno veteri duplo munias, pedes ne refrigeres, interdum catapotia mastichina ad ℥ß, paulo antè cœnam sumas. B. V.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XXXVIII.

In morbo Gallico, pro quodam Nobili viro;

INITIO diligenter purgetur. Nam nisi hoc fiat, lignum habere suas effectiones vix poterit. In-

rit. Infundatur autem lignum, antequam curatio inchoetur, hoc modo: Redigantur in scobem xv. ℔. quibus affundantur ℔. vj. aquæ feruentis, & obturetur olla atque stet in loco frigido. De hoc ligno sumatur ℔. una, cui affundantur libræ duæ aquæ, coquantur ad quartæ partis consumptionem, & in fine imponantur folia Card. benedicti m iij. f. decoctum, Hoc isto modo bibat octo diebus bis in die. Interea paretur quoque secundum decoctum, & ad ℔. j. ligni abjecta herba, addatur ℥ j ß. ligni macerati, & affundantur lib. xx. aquæ, & coq. ad quartæ partis consumptionem. Deinde diebus quindecim, præmissis tamen duabus purgationibus ex agarico & sena in decocto, haustus sudoriferus decoquatur ad medietatem, & bibat ℔. j. pro una vice. Antequam verò potum hunc sudoriferum sumat, accipiat de Electuario seq. ℥ ij. Debet autem hoc initio statim ex herbis hoc anno collectis, sed in umbra siccatis præparari ut fermentetur.

℞ *Card. bened.*
Veronicæ,
Scordij an. ℥ j.
Marrubij,
Hyperici,
Origani,
Chamædryos,
Meliss.
Rutæ,

Hissopi an. ℥ ß.
Cortic.citri.
Sem.citri.
Card.bened.
Baccari juniperi.
Lauri.
Sem.anis.
*Fenicul.*a. ℥ j ß.
Aristolochiæ rot.
Gentianæ.
Valerianæ.
Angelicæ præpa.
Calami an. ℥ j.
Cornu cervi ℥ ij.
Santal.citrin.
Cinnamo.
Nucis Muscatæ an. ℥ ij.
Croci ℥ ß.

Pulverisentur omnia diligenter, & cum melle despumato misceantur ad formam electuarii. De hoc in quam sumat ante potum sudoriferum singulis diebus, & exactam victus rationem, ac quantum fieri poterit tenuem servet. Cum hoc modo quindecim diebus, singulis diebus bis, haustum sudoriferum rursus diebus octo in laconico sudet, si non bis in die, semel saltem; & manè sumat cum Electuario potionem sudoriferam, vesperi in laconici ingressu solum Electuarium, cui haustum aquę cardui superbibere poterit.

poterit. Dum sudat partes inunctas benè isto unguento confricet,

℞ *Saponis Venet.* ℥ j ß.
Spiritus vini ℥ ß.
Ol. juniperi ℥ ij.
Baccar. lauri ℨ vij.
Commistis omnibus f. Vnguentum.

In tota curatione à venere & vino abstineat, aërem quantum potest fugiat, nocturnum non admittat, & temperatissimè vivat.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIVM XXXIX.

In mensium fluxu paucissimo, pro quadam nobili Matrona.

PRÆSTANTISSIMA quædam fœmina ætate & viribus corporis integra, carnosa & pinguis, conqueritur, se neq; in ea copia, qua prius purgari, & exeuntia etiam pallidiora esse. Itaque jam quadriennium non concipit, & consilium Medicum expetit. Consideranti autem mihi diligenter istum affectum, & victus rationem, qua præstantissima fœmina utitur, in mentem venit Hipp. nostri sententia, quæ est 105. Aphoris. sectione: Mulieri menses decolores, nec per idem tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam. Quomodo

& quid purgandum sit, ostendit Gal. cùm mutationem coloris à consueto observandam docet. Rectissime igitur est Medicum præsentem diligenter de his interrogare, cumque haud dubie in isto corpore pituitosus humor cum feculento abundet, eo præparato, ipsum educere, deinde rectam victus rationem instituere, quam nisi servare vellet, evacuatio, & reliqua curatio parum utilitatis afferrent. Inprimis autem cavendum, ut non modo mali succi cibo & præsertim eo, qui crassos & crudos humores generat, non utatur, sed etiam boni & multi alimenti non impleatur. Si etiam hoc fieret, de altero Hipp. aphorismo, cujus hæc est sententia cogitandum esset: Quæ immodice crassæ concipere nequeunt, iis omentum os uteri comprimit, & priusquam extenuentur, non concipiunt. In quo quidem Aphorismo sententia Galeni tenenda, Crassas etiam, modo omentum os uteri non comprimat (quod ego in præstantissima Domina non puto accidere) concipere posse. Utcunque autem sit, cùm mediocritas in corporibus sit optima. ut ad eam corpus deveniat opera inprimis danda. Utuntur quidam calorifico alimento, & acidis exiccantibus, verum in his modus tenendus. Nam acida præterquam quod utero, & partibus omnibus nervosis inimica sunt, & pituitam crassiorem & tenaciorem reddunt. Calida enim sangvinis feculentiam

lentiam augent, sed temperata calida facilè concesserim. Singula autem in victu recensere non possum, sed ea Medico præsenti committo. De purgatione corporis hoc saltem moneo, videri mihi inprimis utile fore, si materia decocto herbarum betonicæ, melissæ, & matricariæ præparentur, & adderetur decocto syrupus de betonica, deinceps huic pro evacuatione agaricus, & epithymum, & sena cum manna adjiciantur. Sed hæc Medicus præsens moderabitur, & sangvinis etiam missionem non negliget. Corpore evacuato, ne humores rursus coacerventur sequenti modo descriptis pillulis utatur.

℞ *Aloës rosat.* ℥ ß.
Myrrhæ ʒ j.
Mastichis ʒ ß.

Cum extracto galangæ, & syrupo rosato solut. f. pillulæ, pro qualibet drachma xiiij. sumat septem horula una ante cœnam ter vel quater in septimana, singulis autem diebus, cùm lecto surgit, de pulu. sequenti in jusculo, vel absque eo, paruum cochleare accipiat.

℞ *Siler. montani* ℥ iiij.
Rasuræ Eboris ℥ ij ß.
Nucis Muscatæ tostæ num. ij. 
Specier. Diamusc. dulcis ℈ ij.
Sacchari ℥ iij. *Misc. f. pulvis.*

Ac deinceps herbas sequentes in vino & aqua coquat, & tecta vestibus fumum excipiat,

sacculum etiam ex illis ventri inferiori applicet:

℞ *Apiastri.*
Salviæ.
Melissæ a.m iij.]

Plura si videbuntur præscribenda, de iis Dominum monebimus.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

CONSILIUM XL.

De morbis Mulierum ante partum, in partu & post partum.

QUAMVIS jam ante Illustri Dominæ ea remedia, quæ pueris, fœminisque prosunt, communicavi; tamen quoniam magna eorum varietas est, dubitatioque interdum occurrat, quæ maximè conveniant, volo paucis ea, quæ pro certissimis habeo exponere. Partiar autem in tria capita, in ea, quæ ante partum, in partu, & post partum adhiberi possunt. Ac primum quidem ante partum, si fœminæ palleant, & quidem subitò, cibos fastidiant, difficulter spirent, palmo, capitisque dolore circa noctem affligantur, pedes intumescant, lassitudinem sentiant, & angorem quendam, fiant melancholicæ, male dormiant, facile terreantur. Illæ utantur quotidie aquæ pimpinellæ ℥ j ß. addito gr, cro-

gr. croci & ℥ ij. sacchari ; id bibant mane & vesperi. In vino etiam macerent rosmarinum & helenium. De die semen levistici in aq. melissæ cochleari uno sumant. Vitent autem fructus, poma, caseos, lac & pisces, pedibus nunquam nudè incedant. Quod si mulieri mammæ doleant, vel suppuratio adest, ut & virginibus sæpe ab ictu, vel compressione solet evenire : sumantur folia maluæ , coquanturque in oleo, & imponantur. Item lac vaccinum in caseum coagulatum mamillis applicatum , & cùm incaluit iteretur sæpius. Si quis affluxus materiæ in mamillas sentiatur : Alsine viridis applicetur, idque sæpius & calide. Si suppuratio speratur , linteolum imbuatur oleo sambucino & adhibeatur. Sumatur & fimus ovillus, qui mistus cum aqua agrimoniæ imponatur. Herba etiam ipsa agrimonia una cum radice addito butyro & melle contundatur & superponatur. Si doleant mamillæ : Sysimbrium in aceto coctum imponi debet, si papillæ in uteribus suppurantur, sume ceram albam & oleum amygdalarum dulcium, fiat unguentum , & inunge eo. Item axungia carpionum. Potest & ex cera fieri involucrum , & imponi. Contra cancrum in mamillis: Cynoglossa in vini & aquæ partib. æqualibus cocta, & superimposita loco. Cùm fissuræ difficulter coalescunt: Medium corticem sume ex frutice berberis, vel

oxyacantho, redige in pulverem & insperge. Si virginibus aut mulieribus venter intumescit, & inflatur uterus: Contundantur cubebæ & albus diptamus, imponatur cum cumino, & fimo bubulo in imo ventre. In doloribus matricis & ut loco suo reponatur in mulieribus: Tantum pinguedinis sume, quantum pro frigendo ovo satis est, ovum infunde, & torre, donec livescat. Pinguedo illa frigefiat, ut affundi aqua possit, elue diligenter pingue illud aqua, postea totam nucem Muscatam pulverisatam immisce. Sume hujus tantum, quantum putaminis medietate excipi potest, & umbilico alliga, & cum absumtum est, iterum alliga. Pro matrice refrigerata: Inunge umbilicum oleo nucis Muscatæ, vel, si haberi potest, balsamo Indico. Ejus loco utile est, & oleum lavendulæ. Pro Matricis induratione: Proderit medulla cervi. Item pinguedo anserina cum myrrha in ventrem immissa. In doloribus uteri, qui habent quiddam conjunctum cum colico dolore, sume Galbam & terebinth. an. ℥ j. Butyri majalis, pinguedinis cervinæ ℥ v j. Misc. ad ignem lentum, & exprime per linteum, & cùm fœmina bene incaluit in lecto, infundatur umbilico calidè, ita ut in dorso jaceat ad horam unam cum dimidia. Detur etiam album illud è gallinæ stercore in vino albo. Ad præcavendos uteri cruciatus: sumantur nuclei glandium, & in pulverem redacti dentur fœminæ.
Sume

Sume & majoranam & origanum in sacculo parvo, & ventri indito. In ipso verò dolore datur semen eringii in vino, & naribus adhibetur funiculus sulphuris. Si matrix sursum movetur, ut suffocatio metuatur, folia lappæ majoris vel personariæ pedibus subdantur, sin vero deorsum movetur, capiti imponatur. Si menses retineantur: Multa præscripta jam sunt in altero libro remedia, maximè tamen prodest, si fœmina de radice eringii biberit. Potest & dari malua major sive papalis, cum aqua cinnamomi, vel vino imponatur. Si menses nimium fluant; coriandro utatur fœmina. Idem facit si potui immisceatur cornu cervi, vel semen hypericonis detur. Ad idem glandes in cinerem combustæ & ventri applicatæ. Sanicula etiam & fragaria gestanda est. In albo fluxu: Aqua stillaticia ex caprino lacte prodest, & in potu mastix imposita. Mastichis etiam pulvis mane in ovo sorbili ebibatur. Ad detergendas impuritates uteri: sæpè fumum ex ladano fœmina ab inferioribus partibus excipiat, vel ex eo glandem faciat, quam secum gestet. Frequenter edat salviam, & bibat de roremarino & limatura eboris. Eadem rasura in cibo sumitur utiliter.

GRAVIDARUM REGIMEN.

Si fœmina prægnans est, caveat insessum carbonum, nec dorsum fornaci calido exponat.

Id enim facit,ut secundina adnascatur. Quod si quæ gestationis mediam partem attigit, si lavare nolit in balneo aquam frigidam ossis sacri regioni affundat,& manum abstergat.Itemque in locis muliebribus faciat : & cùm cubitum abit,haustum aquæ bibat. Mane amygdalas excorticatas edat, in mediocri copia, id fœtum roborat : Etsi autem communis mos est,gravidis indulgere omnes cibos, quibus delectantur, nocent tamen omnes crudi,flatuosi & diuretici cibi,sic etiam quæ nimium calefaciunt,ut nimium piperis,fortia vina,vehementia exercitia, maxime à cibo , ira vehementior, clamor validus,itemque tusses. A nono mense exerceri utile est,maxime paulò ante partum. Tum etiam ventrem ungere oleo amygdalino & galli pinguedine convenit foris & intus.Nec se tum vestibus oneret, ut distendi venter possit. Interdum parce in aqua lavet, cui incocta sit malua & herba violarum. Tum venter ungatur oleo liliorum & amygdalarum , bibat ovum sorbile cum cinnamomo pulverisato, addito haustu aquæ. Quotidie orbiculis cum oleo cinnamomi utatur , præsertim mane iis diebus , qui partui vicini sunt. Ne abortiat mulier : commendant Iaspidem si mulier secum gestet. Utilius autem si mulier pauxillum de sequenti pulvere in ovo assumat;

℞ *Gran.tinctorum,*
Margarit.
Tormentillæ an. ʒ j.
Mastich. ʒ ß.
Misc. f. pulvis.

Detur in ovo quantum grosso excipi potest. Edat frequenter de citoneis & dactylis. Prosunt citonia vel cocta, vel tosta, vel cum saccharo præparata. Multæ mulieres sæpè applicant pudendo tanacetum in manu calefactum. Sin verò infans à nimia copia sangvinis abigitur, medicus consulendus est. Ad facilem partum: si partus tardior est, fel gallinæ sumatur, maximè nigræ, & umbilicus ungatur, item: in vino detur consolida regalis. Ne sint in eo loco, ubi partura est, pyra. Impediunt enim partum. Habeat autem ipsa Magnetem in manu. Artemisia cocta in vino dextro femori propè muliebria applicetur. Magni fit & lapis aquilæ, si sinistro cruri applicetur. Sed statim à partu removendus est. Idem scribitur de matrisylua & polypodio, si pedibus alligetur. Idem facit & serpentaria, & cyclaminis radix cruribus adhibita, quæ omnia ad extrema pericula reservanda sunt. Hoc tutissimum est, si fœminæ, quam primum dolores sentit, jus gallinæ præ præbetur, & si non cessant, quod in liliis luteum inest, ei juri incoquatur. Bibat etiam aquam liliorum & lilii convallii, admixta aqua cinnamomi. Removea-

turtum magnes ex manibus, & applicetur pudendo tamdiu donec fiat partus. Si partus non procedat: Detur parturienti in vino viscus de pyro, & succinum album, & artemisia ventri imponatur. Mastice: etiam boletum cervinum, & postquam benè masticaverit, ungatur eo umbilicus. Vehementia verò, ut est hyssocolla, non probo, nisi vel fœtus mortuus sit, vel mola adfuerit. Si fœtus mortuus: sume oleum lini cum pinguedine aliqua, in qua castoreum coctum sit, unge ventrem. Pulvere piperis cum helleboro albo, indito naribus. Galbanum & myrrham in vino data. Si mola fuerit: suffumigium fiat ex ungula equi, & ungatur venter medulla cervina. Detur etiam castoreum, cæteraque adhibeantur, quæ partum accelerant. Ad tollendas secundinas: statim à partu cæpam masticet, & sternuet, ut indicatum est. Datur & myrrha in aqua cinnamomi. Sed spiritus continendus est. Multi commendant nervum, qui in halece reperitur, in jure pisorum sumptum. Utile est bibere hissopum coctum, si fœtus mortuus est. Commendant etiam si fœmina, alterius fœminæ lactantis lac assumat. Prodest & aqua Bryoniæ cum aqua cinnamomi & croco. Si partum ingens dolor sequitur: coque rorismarinum, & ventri impone calidè, vel muniatur venter pelle agnina, vel arietina, dum adhuc calet, & recens detracta est. Si sangvis retentus concrescat, inde diffici-

difficilis morbus sequitur, nihil utilius, quàm si obstetrix ventrem hiantem faciat, iis tamen datis, quæ menses movere possunt. Emplastrum sedans dolores à partu: cape tres vel quatuor cæpas benè coctas in aqua, eas in mortario comminue, adde cumini contusi m j. camomillæ flores contusos tantundem, & farinæ hordei quantum satis est, ut puls fiat, & si materia id requirit, adde parum aquæ, in qua cæpæ incoctæ sint. Extendatur in linteum, & umbilico applicetur. Quod si sic etiam dolor non desinat, sed augeatur etiam, quod tamen vix potest fieri, adde farinæ seminis lini m j. & minus farinæ hordei. Cùm verò exiccatum est, mutetur de novo, vel prius illud denuò humectet, & calidum reddat, affusa aqua cæparum. Ita calidè tamen apponatur, ne nimis ferveat. Extenduntur aliquando ὠδῖνες ad pedes usque. Quod cùm fit menstrua sua profluentia panno imbuto ibi applicetur. Si fœminæ umbilicus promineat: Corticem viridem sambuci, & quod sub exteriore cortice est, scabe donec colligas m.j. injice sacculo, & in lacte coque, & impone ventri mulieris, malumque evanescet. Quod si is affectus protrahitur, loco lactis sume vinum pucinum. Præparari potest & hoc balneum: sume symphytum, agrimoniam, florem sambuci an. m.ij. Inde lavet per dies quatuordecim; & tertio quoque die renovetur sumptis recentibus herbis. Non ea autem mo-

dò, quæ recensuimus, sed & alia consequi partum solent, quibus diligenter occurrendum est. Ac primùm quidem naturales excretiones retinentur, vel quia pituitæ copia obstat, vel quia materiæ adustæ sunt. Si pituita est, bibat de radice galanga cum schœnanto. Sed linteo involuta potui injiciantur, & tum calidè bibat. Si materia est adusta utatur saccharo borraginis prius in jure macro gallinæ cocto, ac mane & vesperi cum saccharum percolatum est, de decocto isto bibat. Si fluxus nimius est, manus ligentur, & digiti filo serico, maximè annularis. Sub mamillas pone cucurbitulas sine scarificatione, adhibeaturque emplastrum ventri factum è tormentilla & radice fragariæ. Si tormina sentiantur à partu: Fiat emplastrum de galbano, & ungatur venter oleo de matricaria, & ventri imponatur. Ova ad duritiem coquantur, & vitelli contundantur cum oleo nucum, & in forma emplastri applica. Prodest & cæpas tostas cum vitello ovi contundere, admista etiam althea. Aliquando dysuria sequitur: Eo in casu coquantur absinthium & pulegium, & calidè ventri imponantur. Ad læsiones in ipso partu: contundatur albumen ovi in lacte materno, & pudendo applicetur. Tumidus venter à flatibus: juvatur baccis lauri contusis, si forma emplastri infrà applicentur. Si mulier circa anum læsa sit: ea pars lavetur aqua verbasci & rosarum,

rum,& ungatur recenti butyro, in quo ſit præparatum lithargyrum,& tutia. Requirit autem hic caſus magnam curam,nec omnia rectè ſcribi poſſunt. Poſtquam verò puerpera tertiam ſeptimanam exegit, ſine febre, ſine alvi conſtipatione,aliiſque affectibus, tribus diebus ante cibum lavet. Primo die parum ſe abluat aqua,cui aliquid vini infuſum ſit. Altero die incoquantur aquæ,majorana, melissa, & roſæ rubeæ,& ita benè ſe abluat. Tertio die farinam fabaceam & avenæ coquat in aqua, & membra mundet,poſſunt roſæ rubeæ & myrrha in aqua & vino ana coqui,ut ea inferior potiſſimùm venter abluatur. A partu item variè afficiuntur à lacte, ſi id minuatur primum. Feniculum recens coquatur in lacte, & bibatur mane. Poteſt idem etiam potui injici. Si mamillæ indureſcant,& lac concreſcat: ſume mentham contuſam,& impone in linteo mamillis ut emplaſtrum. Si lac coaguletur, ſpongia bene imbuatur vino & aceto, addito ſucco apii,& ita applicetur.Fac item emplaſtrum è fabarum & lentium farina,cum aceto, & ſapone, & panno lineo applica loco. Multum prædicant ſi mulier ceram quantitate decem piſorum deglutiat. Lac cum nimis copioſe affluit: Folia cucurbitæ & plantaginis, in aceto contunde & impone. In doloribus mamillarum: Folia helenii proſunt contuſa cum pinguedine capi gallinacei impoſita.

Si is dolor à lactis redundantia est, farina lentium commisceatur albumini ovorum, & mamillis adhibeatur. Inflammatio in mamillis sedatur albumine ovi in oleo rosato, commodè autem adjicitur & mica panis. Laudant & fimum vaccinum, ac fænugræci semine pulverisato. Quod si inflammationem durities sequitur, caules brassicas, fabarum farina, & mentha cum aqua in malua cocta, redigantur in emplastrum. Ipsæ quoque maluæ per se cum oleo applicatæ prosunt. Si in mamilla apostema sit: Initio profuerit oleum rosatum in plumbeo mortario, & pistillo plumbeo, admisto tragacantho, agitatum illinere. Sed cùm pus apparet, adhibenda sunt, qui earum rerum noticiam habent, de quibus scribi non potest. Mundatur apostema hoc pacto: sume vitellos ovorum septem, & mellis ℔ ß. coq. ad lentum ignem, & commisce benè. Ad consolidationem facit nucis cupressi, cassiæ ligneæ, gallæ an. ℥ ß. Aloes & Thuris an. ʒ ij. Lithargyri ʒ iij. pulu. & stent in vino diem unum, deinde coque ad mellis consistentiam, & adhibeatur, ut oportet. Si fistula adsit: Lavetur vino, in quo myrrha sit incocta. Fiat unguentum ex sarcocolla, aloe, & asa fœtida, redacta omnia in pulverem in melle coquito. Cancer si mamillas infestat: contundantur cancri in succo cardui, & impone: statim sedabitur. Idem facit & fimus caprinus cum melle. Si cancer cum suppura-
tione

tione fuerit: Inspergatur pulvis de antimonio, de consilio periti chirurgi. Item oleum plumbi, quod ita præparatur: sume cerussam, superfunde acetum, & stet 24. horis in alembico, & separetur in balneo acetum, & quod infra remanet, destilletur in arena.

JOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM &c.

Finis libri V. Consiliorum Medicinalium.

EPISTOLARUM MEDICINALIUM
Liber V.

Clarissimo viro Domino Ioachimo Camerario, Physico Norinbergensi, &c. Iohan. Crato à Krafthheim, &c. S. D.

DE tuis epistolis verissimè possum illud, quod quidam de orationibus Demosthenis interrogatus respondit, usurpare, longissimas mihi videri optimas. Nunc autem ipse non saltem brevitate temporis pauca scribo, verumetiam quod & alterum me ad vos mitto, & ad multas partes literarum mearum à te responsum expecto. De Balthasaro autem Neandro quid scribam, cùm tu videris penitusque perspexeris, quàm sit integer, quã jucundus, quã mihi fidus & syncerus Pylades, & si quid hoc usquã est amicius. Quare tibi virum optimum & doctissimum non commendo, tantùm hoc significo quicquid officiorum & benevolentiæ nunc in eum contuleris quibuscunque rebus, dum consilium meum, quod ei certis verisque de causis dedi, sequitur, amorem & studium ostenderis, id mihi sic futurum gratum, ac si summo beneficio ipse à te affectus essem. Ego ita me Deus amet hoc tempore infirmissima valetudine utebar,

tebar, & usque adeò debilis eram, ut laborem proferendæ vocis moleste ferrem. Scribo tamen quibus possum. Facile patior disputare summa ingenia de calido innato, & iis rebus, de quibus veterum sententiæ non satis explicatæ ad nos extant, verùm ego Hippocrati nostro assentior, & ipse sentio in meo corpusculo quantum istis ingeniosis disputationibus fidei sit adhibendum. In mea Isagôge quædam de calido innato mutavi, & ut arbitror, commodius scripsi, nec tueor Fernelium, verum inter recentes haud scio an quisquam meliora scripserit Fernelio. Magna alacritate cum primùm venirem in Italiam etiam Montano contradicebam, & quidem cum melius in memoria habebam sententias Galeni, quàm nunc habeo. Sed mitto ista. Consilium illud de profectione in Gallias etiamnum rectum esse statuo, & Senecæ illud teneo; Nulli rei prodesse moram nisi iracundæ. Sed de his cum tu voles, si modò ego vixero. Quàm enim tenuis sit mea valetudo sentio, & in eo tamen, de quo dixit vir Dei: Ipse est longitudo dierum vitæ nostræ plus spei, quàm in calore innato habeo. De lectione recentium dixi hæc: Interpretes cognoscendos esse: non disputatores istos de quibus vetus est versus ille: πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως, ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν οὐκέτι τοῦτ' ἐν ἔθει. Ac etsi Mõtanus & Fernelius disputãt, plus tamen in illis est moderationis, quàm in aliis.

Pro-

Propositum de legendo Galeno valdè probo, & utinam te in eo juvare possem. Legi semel atque iterum multos libros, & qua ratione nunc, si per valetudinem liceret, cupiam, puto me tibi ostendisse. Scis Galeno tria proposita esse. Primùm, ut omnes partes artis Methodicè tractet. secundò, ut doctrinam Hippocratis explicet. tertiò ut suas observationes doceat. Hæc igitur ut ex lectione librorum Galeni consequamur, principio tenendus est is ordo, quem in suis prolegomenis in Galenum ostendit Montanus, id est, legendi libri ordine constitutionis artis, ut primùm physiologici, &c. & ex singulis methodus universalis constituenda. Ac si quid fortè in istis libris, quod ad particularia spectat, reperimus, illud seorsim annotandum. Primùm quidem ea, quæ ad morbôrum cognitionem & curationem spectant. Hîc observanda sunt causæ, signa, curationis modus & remedia. Deinde axiomata varia, tertiò historiæ, postremò enantiomata seu pugnantes sententiæ, & dubia, quæ se in lectione offerunt. De his quærendum Doctorum judicium. Hæc pauca mi Ioachime si tu multa & vera duxeris non sine fructu in Galeni lectione & veterum Medicorum versaberis. Interpretes non velim te contemnere, sed ubi habere potes adhibere. Maximè autem eos, qui argumenta quasi & summas librorum recitant. Id quod facit in præcipuis libris

GESNE-

rus in editione Latina Cornarii. Nec prorsus contemnenda est Lacunæ Epitome, etiamsi, *Rectius ex ipso fonte bibuntur aquæ*. Habuit is ea exemplaria ad manus, quibus nos caremus, De reliquis scribam aliàs plura. Nec putabam me tam multa scripturum cùm calamum sumerem. Etiam sacra neglexi nunc, quòd minimè sæpè facere soleo, & longiores epistolas ad te non loquacitas mea, verùm singularis benevolentia facit. Balthasar vidit mihi ὑφήγησιν destillationum esse in manibus. Non possum satis explicare cogitationes meas, & nunc desudo in differentiis odorum & saporum, quæ in aquis & oleis ratione destillationis sunt. Si haberem qui me describendo saltem rectè posset juvare majore alacritate omnia facerem. Bene vale. Uratislaviæ die Jacobi.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S. D.

INCIPIEBAMUS jam expectare Balthasarem nostrum, eum virum, quem tu mihi inviolata amicitæ fide conjunctum nosti, ac verò etiam vestras literas. Cùm autem Jacobus tabellarius noster se ad vos iturum significaret, facere non potui, quin aliquid literarum ad te darem, etiam si ad scribendum minimè essem accommodatus. Multis enim diebus pituita & gravedine laboro, quæ mihi & somnum adimit,

& ſtudia etiam, in quibus libentiſſimè acquieſcere ſoleo, difficilia reddit. Itaque nullas propemodum ſerias cogitationes ſuſcepi, nec in iſta deſtillatione de noſtris deſtillationibus aliquid ſum meditatus. Ita himius Cuteus multum diſputavit cum Italis Doctoribus de mea ſententia, ac potius veterum, nam eam teneo & tueor de peſtilentia, & mihi frigidiſſima eorum argumenta perſcribit. Verum etiam num hoc firmum eſt, Peſtilentia affici corpora, &, ut græci dicunt, λοιμώττειν ob hauſtum ſeminarium putredinis, ſeu venenum aëreum (utrumque enim eſt apud Galenum) inſpiratione, & morbum iſtum ratione cauſæ, id eſt, venenatæ qualitatis, quæ virtutem vitalem tota ſubſtantia oppugnat, dici & eſſe morbum totius ſubſtantiæ, etiam ſecundum Galenum. Excitari autem à veneno inſpiratione attracto in corporibus cacochymia, vel plenitudine affectis ſevam & pernitioſam putredinem longo ſuperantem vulgaris putredinis, quæ ab obſtructione eſt, conditionem, & hanc conſequi febrem, eamque dici peſtilentem veram, quam ego cùm hic appello, & ab his diſtingui, quas Galenus Peſtilentes privatas λοιμώδεις ἰδίως πυρετοὺς καταλαμβάνοντες τοὺς ἀνθρώπους καὶ χωρὶς λοιμοῦ ἐπιδ. γ. appellat. Porrò in curatione nos non temerè uſitatas indicationes curationis febrium, reſpicientes ad putredinem, aut febrem, ſed alexipharmaca, quæ morbum totius ſubſtan-

substantiæ à tota substantia oppugnant, adhibere, nec hæc prodesse tantum (ut Itali volunt) quia spiritus roborant, & exiccant humidum putredinale. Alias autem indicationes, & præsertim in summo morbo summam virium conservationem non negligendas. Quia symptomata illa, videlicet, febris, carbunculi, bubones, anthraces, exanthemata, συντήξις &c. sæpe ad se curationem trahunt. Iussi illos respicere ad totã curationẽ veterum, in omnia exempla antidotorum, & in illud etiam, propter quod Hippocrates corona aurea ab Athenlensibus est donatus, de quibus illi manifestè poterunt cognoscere alias intentiones, quàm solius putredinis veteribus præpositas fuisse, neque à veterum Græcorum sententia nostram quicquam discrepare. Illud durum illis quod spirituum putredinem non assero. Neque enim hoc apud Galenum vel Aristotelem est, ut vult meus collega, & dico vitalem virtutem à veneno labefactari posse, etiamsi non fiat putredo. Item quod quasi hecticum dico. Haud dubiè mihi paratæ erunt lites, sed ego satis munitus sum testimonio veterum, etiamsi Galenus affirmet Hippocratem de pestilentialibus morbis nullum peculiarem librum scripsisse, & ego Galeni librum de iis ad nos non extare dic m ac probare possim. Extant autem passim

sententiæ, quas ego tueor, quia veteres plerumque rectissimè locutos iudico, & Italorum κενοδοξίαν καὶ φιλονικίαν non possum probare. Cognosco lubenter multorum opiniones, & etiam non optimorum scriptorum interdum sum studiosus. Quia secundum Plinium liberale esse existimo, hominem addictum optimis artibus cognoscere multa, credere non omnia. Verùm de hoc puto me antea quoque te monuisse. Exemplaria nostrorum Montanicorum consiliorum nondum accepi, fortasse Francofurtum citius, quàm ad nos pervenient. Hoc anno quatuor præstantissimi Medici sunt extincti Rondeletius & Fernelius in Galliis, Oddus de Oddis, & Franciscus Frisimelica in Italia, & sunt pauci senes reliqui. Iuniores esse rixatores videmus. Itaque non velim te diu in Germania hærere. De lectione Galeni scripsi nuper, & si quid à me præterea desiderabis, libentissimè sum facturus. Nosti meam exiguitatem & sterilitatem. Sed sic esse malo, quàm producere noxia, aut nimium luxuriantia. Bene & feliciter vale. Uratisl. 12. Augusti. Anno 1558.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S. D.

CUM nuper abirem Glogoviam ad eos homines, quorum benevolentia & observantia

vantia erga me tibi est perspecta, plenissimas literas ad te dedi, easque Lipsiam Patri tuo transmisi. Huc verò cùm essem reversus, accepi tuas à Balthasare nostro mihi exoptatissimas & gratissimas. D. JOACHIMUS CUREUS de nostris disputationibus sic scribit, Ego opera Cl. Trincavellæ eluctatus sum ex disputationibus de Peste & febre pestilentiali. Neque reipsa ejus opinio, quæ firmissimis & verè philosophicis nititur rationibus à tua dissentit, nisi quod δυνάμεις astrorum particulares, non facilè admittunt Peripatetici. De Fernelio autem hoc dixisse Fallopium, Fernelio hoc tempore attribui palmam in re medica etiam illius æmuli non negare posse, & Italos qui suo more magnos viros obtrectationibus volunt premere, necessariò agnoscere Fernelium summum hujus ætatis Philosophum & Medicum: velle tamen, minus eum fuisse audacem in reprehendendis veteribus. Vide quam Fallopii judicium cum tuo consentiat, ac si videbitur hæc D. Casparo significes. Matthioli mastix Guilandinus in Turciam abiit sequutus legatum Venetum, suas chartas deposuit apud quendam Patavii, cui mandavit, nisi redeat intra octo annos, ut omnia Vulcano tradat. Scribit Cureus Aloisium plurima errata ipsis monstràre in Matthioli Dioscoride, & modestè eum tractare. Curabo ut & tu ista videas. De obitu Rondeletii scire me, potuisti ex proximis

meis literis cognoscere. Utinam fallamur de Trincavella, admodum senex est, hunc mihi mirificè laudat Cureus, adeo ut doleat, quòd eum non studuerim familiariter cognoscere. Præclara opera quantum intelligo relicturus est posteritati & probè limata. Nihil ejus vidi præter libellum de reactione, qui ante annos quadraginta est editus. Hac hora accepi literas à Woyselii filio, qui scribit Fernelium mortuum mense Aprili & ejus opus practicum exiturum, præesse editioni Guilielmum Plantinum. Diligenter igitur ad proximum mercatum inquires. Ad reliquas partes epistolarum tuarum, ex quibus ego benè mutuis fidum pectus amoribus (ut Horatii versu utar) perspicio, nihil respondeo. Sum is qui esse debeo. vale felicissimè. Uratislaviæ pridiè Bartholomæi. Anno 1558.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S.D.

MITTO Dioscoridem diu à te expectatum, in quo multa utiliter monui, plurima eximia remedia ostendi. Hæc verò quanti sint facienda cognosces, cùm ea, quæ nunc discis, ad usum transferes. Interea ut ista nostra sint facies, ac cauebis ne diuulgentur. Vides me multa capita quasi intacta reliquisse, vel quod herbas non cognoscimus, vel quia verus

usus

usus satis ab illis est monstratus. In postrema parte valdè probo judicium,& diligentiam tuã, & delectabit te hic labor cùm leges, certè in magnis etiam voluminibus,nihil reperies, vel melius vel rectius. Chymica ne diu desideres operam dabo diligenter. Medicationes nihil mihi concedunt otii, quod profectò ista requirunt, & vix potui Dioscoridem absolvere. In Galeno autem multis mensibus parum sum versatus. Habuimus in manibus Methodica nostra propter eam iniuriam qua non solùm me, verumetiam Præceptorem meum Montanum Donzellinus affecit, siquidem ea quæ Bechius noster scripsit vera sunt, oro diligenter perquiras libros quos se mihi missurum promisit,& his addas eos, qui videbuntur nobis esse mittendi. Fortasse auriga qui adducet M. Petrum vacuo curru redibit. lectiones Trincavellæ in has literas conjiciam. Plures nondum accepi. Rixantur varie Itali, & hoc quidem est exemplum eximiæ & diligentis disputationis. Fallopius studet convellere multa: id mihi non placet: & Borussus ille,quem domi suæ alit, quique ad Gesnerum quædam scripsit, nimis acerbe & inhumaniter,ut audio, tractat Matthiolum, sed de his aliàs plura. Ea quæ de valetudine sororis tuæ scribis meum quoque animum conturbant, sed spero & opto ei fore melius. Recte sentis in istis morbis non ad

ſolam intẽperiem, id, quod plerumque faciunt practici, ſed ad obſtructiones & catarrhum reſpiciendum. Monui aliquid in capite de tuſſilagine, & frequenter utor vel aqua tuſſilaginis cum ſyrupo de ſucco Endiviæ ſi manifeſta febris, vel aqua cardui cum eodem ſyrupo ac trochiſcis interdum ad tollendas obſtructiones. Verum hoc videbit rectius D. Meurerus quem à me officioſe ſalutabis. Bene vale. Uratislaviæ pridie cal. Maij. Anno 1558.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S. D.

MAGNA cum animi perturbatione & plane συμπαθῶς legi tuam epiſtolam, & quod potui Deum ſum precatus, ut tuos benigne ſervet. Quid autem reſcribam non habeo, præſertim cùm nihil admodum meis reſpondeas. Hoc quidem minime moleſte fero, illud potius doleo, ſtudiorum tuorum curſum impediri atque remorari. Tuo optimo Patri hoc tempore non volui ſcribere, propter eas cauſas quas cogitare potes. Non puto vobis conſilia Medicorum deeſſe, qui ſciunt Quartanam acrius in principio tractatam fieri deteriorem & reſpuare etiam eam ordinariam, ut vocamus medicationem. Ego meis ægris aliquamdiu exhibeo ſingulis menſibus ſub noctem decoctum raparum cum butyro. Proſunt enim

enim rapæ à manifesta & specifica vi. Quia humectant humorem melancholicum suaviter, aperiunt & leniunt. Deinde do succum cardui vel in forma pillularum, vel in syrupi. Et cum video materiam probe esse coctam expurgo primum infuso senæ cum syrupo violaceo, vel de pomis, deinde agarico, postea exhibeo extractionem ellebori ad ℈ j. vel ℈ ß. in debilioribus. Et hoc modo plurimos sanavi. Ratione confortationis nihil est melius conserva rosarum cum speciebus aromatici Rosati descriptione Gabrielis, sine spica, & media parte musci & ambræ. Fluxiones ventris, hac æstate ἐπιδήμιον malum fuerunt, & mihi quoque aliquoties mota est alvus, cum fere semper sit astricta. In vicina Moravia aere est pestilentiæ malum, & periculum est ne in hanc urbem importent. Ad nephriticos dolores leniendos, & elidendos calculos, dices Patri, plurimum prodesse syrupum factum è succo veronicæ, & usum aquæ, quæ fit ex ea herba, quam Tragus arbitratur esse speciem Mercurialis, & tertio ordine ponit, ac *springskraut* appellat. De hoc monui in Dioscoride. Utinam vos juvare possim quantum vis ipse infirmissime valeam. Ita vexatus superioribus diebus tinnitu aurium, ut metuerem graviora. Sed beneficio Dei meliuscule nunc valeo. Consultationes Donzellini videre cupio. Nostra chymica propter meam & aliorum valetudinem his duobus mensibus

non attigi, & requiro in multis certiorem experientiam. Sebaldus jam proficiscetur in officinam, in qua vitrum conficitur, & afferet nobis convenientia instrumenta, quæ profectò ad destillationes requiruntur. Quod promisi, si modò vita superet, bona fide præstabo. Bene & feliciter vale, & tuos omnes, inprimis parentes, à me officiosissimè saluta: Uratislaviæ die Matthiæ, Anno 1558.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S. D.

HERI ad te literas dedi nec hanc occasionem quam mihi Balthasar noster ostendit, volui negligere. Venit nunc mihi quiddam in mentem de medicatione Quartanæ. D. Simon Pistoris ante triennium ea laboravit diu, dicebatque mihi se multis remediis usum esse, sed unum hoc profuisse. Accepisse vinum sublimatum diligenter, quod aquam vitæ appellant, & madefecisse, ut nos vocamus, petiam lineam, ac adveniente Quartana imposuisse ventriculo. Hoc modo se eam depulisse. Videtur mihi satis tuta esse medicatio, præsertim in frigido ventriculo, verùm tu de ea cum Medicis vestris deliberabis. Ego eam quam nuper perscripsi rectam & rationalem judico. Sed his omissis ad alia transeo. Miror quomodo τὸ θεῖον

in peste

in peste Galenus aerem interpretatur, cùm Hippocrates de malis agat, non de morborum causis. Præterea cùm ex Hippocrate manifestum sit, præcipuas mutationes in aere corporibus cœlestibus esse ascribendas denique cùm non quælibet exhalationes sint morbidæ & pestilentes, seu forma ista prædita. Et unde malum hoc cor, quod est maxime formale, in homine petit, nisi quia venenatum? Marsilius multa improprie scripsit, & fortasse non satis doctrinam Galeni cognovit, id quod testatur similitudo de dracone, quàm ex Galeno affert. Rhasis in suo libello publicarem morbum descripsisse videtur. Sudorem anglicum Epidemium magis morbum (licet initio Eudemus fuerat) quam pestilentem fuisse arbitror. Herba, quàm Veneti sclavenam vocant, seu sclavonicam, & quidam Harmel seu rutam sylvestrem putant, constare dicitur tribus aut quatuor radicibus simul intextis, quarum quælibet sit veluti corda intorta, colore fusco, amara, herba foliis rutæ. Ego in morbo Gallico intra corpus oleum vitrioli exhibeo. Post calcinationem vitriolum redigo in pulverem, ex quo affusa aqua facio lixivium, decoquo rursus ad spissitudinem, & in pulverem redigo. Ex hoc oleum elicere soleo, cui vinum affundo, idque per balneum detraho, & rursus bis aquam, quam itidem detraho, ita ut nulla aquositas permaneat. Lau-

rea noster scit optime modum faciendi sulphuris oleum per ascensum, non campanam vel descensum Sed intra corpus non datur. Bene vale, & rescribe quàm primum poteris. Uratislaviæ 24. Septemb. Anno 1558.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S.D.

HERI mihi hic nuncius tuas attulit xij. Octob. datas, quibus varie sum affectus. Nam vestro dolori certe συμπάσχω Mœrorem autem diminutum iri spero, quando optimus & Doctissimus vir Pater tuus nunc occupatur Platonicis, atque sibi κύρτους καὶ ἐγκύρτια, quæ sunt in ejus Timæo explicat. His autem te addere velim Galeni interpretationem, quæ extat in Platonis Timæum, atque ea quæ in libris de Hippocratis & Platonis decretis docet. Quidam existimant fragmentum illud Galeni in Timæum non esse Galeni, verum non video quibus rationibus adducantur, cum ipse Galenus hujus mentionem faciat. Sed de his Magistrum domi habes. Ego meam Isagogen multis in locis correxi, & de calore innato sententiam meam mutavi. Video D. Meurerum sequi Galenum atque Montanum, & tutò. Casparum autem nostrum habere bellas quidem cogitationes, sed parum firmas. Nam dicere calorem innatum esse partem substantiæ humorum

morum & spiritus vitalis, eisque ita inesse, sicut membris solidis, haud scio an veterum doctrinæ conveniat, & rationibus tueri possit. Item in febribus eum converti in igneum. Certè cum calor innatus in aliqua parte corrumpitur gangræna fit aut sphacelus. In toto autem non corrumpitur nisi extructo calore vivifico, quem infusum appellamus in corde, tùm & cadaver mortuum putrescit. Et ille vivificus calor, qui σύμφυτον fovet, κατὰ προσθόπάθειαν afficitur in febribus, & lædit ἔμφυτον, ut dixi in nostra Isagoge. Sed non mirum. Nam ego de his profectò multum cogitavi, & Montanus dixit se cum diu fuisset Doctor, tandem senem cognovisse quid sit calor innatus. Est locus in Galeno com. 4. Aph. 37. qui patrocinatur Casparo, sed is de spiritu naturali intelligendus, etsi eum calorem naturalem, sicut & in aliis locis Galenus vocat. Sed hac de re in proximis literis perscribam meam sententiam. Nam hac hora significavit mihi tabellarius sibi subitò abeundum esse. Itaque sine literis meis dimittere nolui. Si Platonem Basiliensem Græcum mitteres gratum facies, & statim pretium remittam. Cum essem juvenis satis mihi erat si in quadam aviditate res promptè possem cognoscere. Ideoque versiones amabam, nec putabam me plus visurum in Græcis, quàm vidissent doctissimi viri interpretes. Nunc sæpe hæreo in vocabulis, sæpè deploro, quod in Græcis

minus studiose sim versatus. Nunquam intellexi quid sibi vellet Plato cum Socrates recitat mirabilem istum sermonem : Multa unum esse, & unum multa. Jam primum Methodum compositivam & resolutivam perspicio, sed his nunc non vacat scribere. Chymica rursus in manibus habeo. Hisce diebus totus fui in corrigenda Isagoge, & si modò haberem qui scriberet correctum exemplar ad te mitterem. Bene & feliciter vale, & à me tuos omnes amanter atque reverenter saluta. Uratislaviæ die 23. Octob. an. 1558.

D. Ioachimo Camerario Medico, Iohan. Crato, &c. S.D.

ET lætor patrē tuū virū optimū ac doctissimū, & mihi amicū certissimum, magistratū quem semestre in multis publicis molestiis atque domestico luctu ac mœrore gessit, deposuisse, & Deum precor, ut dolorem matris tuæ præstantissimæ fœminæ consoletur, morbumque depellat, ac vestram laudatissimam familiam conservet, verè τερικοράνλω faciat. Patrem quidē tuū ea doctrina & usu rerū instructum, ea sapientia animique magnitudine & excellentia præditum scio, ut & moderari dolorem, mœstitiæque resistere, & adversa, quæ humanæ vitæ incumbunt, rectè ferendo superare possit.

Hanc

Hancque meam de illius virtute opinionem, seu persuasionem potius, confirmant literæ tuæ, quibus mihi significas, domi eum tibi Platonis Timæum interpretari, atque hoc modo non solùm aberrationem à dolore quærere, verùm studia tua medica juvare. Hæc cum legerem valdè cupiebam explicantem κύρτους καὶ ἐγκύρτια Platonica audire, & quomodo ignem ejus foveret, quem Galenus noster sua aqua plane conatur extinguere. Nam Platonem Timæum suum, cum exactæ ætatis esset scripsisse affirmat, & errante judicio vel indiligentia quadam non satis Hippocratis sensum assequutum. Est autem, ut meministi, disputatio de Respiratione & calido innato, de quo cum alii aliter sentiant, & magna sit opinionum diversitas, libet tibi meam, quam arbitror esse rectam, nec à doctrina veterum, eaque sententia, ad quam Montanus se ætate ingravescente latabatur traductum, alienam, exponere. Philosophi & medici duplici modo considerant, vel ut qualitatem, seu, quemadmodum in scholis loquuntur, in abstracto, vel ut in subjecto: cumque agunt de calido innato de substantia, seu corpore calido loquuntur. Ac Galenus quidem subjectum ejus aëreum atque aqueum statuit. Plato igneum, sed divinus Hippocrates hanc litem, quæ etiamnum durat, Aphorismo 14. primæ particulæ dirimit, oraculum

illud edens: Qui crescunt plurimum calidi innati habent. Sensus autem declarat in pueris calorem suavem, mitem & gratum esse, & in subjecto aëreo atque aqueo maximè vigere. In adultis autem & jam ætate siccatis, igneam vim obtinere, minus suavem esse, citiusque deflagrare. Sed de subjecti ratione deinceps agemus. Primùm quæ sit caloris illius origo, & substantia, quæ temperatura, denique quas in corpore actiones habeat videamus. Nam de nomine, sive ἔμφυτον, vel σύμφυτον θερμὸν, vel naturalis calor dicatur, non arbitror pugnandum. Initia nostræ procreationis esse juncta semina, atque sangvinem maternum dubium non est. Ac etsi de eorum congressu atque effectionibus alii aliter disputaverunt, tamen vim quandam caloris generationi convenientem habere, nec prorsus mortua esse, atque à cœlestibus etiam causis calorem istum seminis augeri atque foveri dum semina in utero ad conceptum tuendum idoneo conveniunt, consentaneum est. Hic igitur calor excitatus vi cœlesti intus in semine agit, & per omnes partes sese ita diffundit, eisque ita arctè se insinuat, ut vita prius animans, quàm hic calor deserat. Unde etiam extinctis corporibus aliquantulum in membris solidis tunc remanere sentimus, cumque is discessit, subitò corruptionem & putredinem consequi. Hic igitur calor, qui è vi seminis virtute cœlesti fultus, est expressus, & membris

solidis

ſolidis inſitus,ad extremum uſque ſpiritum durat,& ſpiritui naturali, de quo poſtea agemus, cujus ſubſtantia eſt calidior,& humidior, ita inhæret,eoque commixtus eſt, ut nullo modo divelli poſſit. Proinde & veteres promiſcuè ſæpè caloris innati & ſpiritus mentionem faciunt,quibus dictis non parum iſti perturbantur, qui ignorant calorem, poſteaquam ſimul inſedit huic ſpiritui naturali,rectè ſubſtantiam dici. Multi odiosè & ineptè pugnant, quaſi veteres de ſpiritu naturali nunquam cogitaverint,aut is nullius ſit uſus. Verùm de ſpiritu naturali ſubjecto proprio caloris innati deinceps agemus. Habes quæ ſit calidi innati origo & ſubſtantia. Temperamentum ejus in ſumma medioctitate conſiſtit, quæ naturæ amiciſſima eſt (Gal. 8. de decretis,de ſalubri diæta,de cauſis pulſuum. com.1. Aph. 14.) ac potius is,ut medicis & philoſophis placet, ipſa natura (Galen. de Marcore. com. 5. Aph. 22.) & vis conſervatrix generandi,augendi, & nutriendi exiſtit. Quia verò ut philoſophi ſtatuunt: Quod continetur convenientiam habet cum eo quod continet. Itaque ſubjecti ſui ratione calidus & humidus cenſetur. Inde Galenus affirmat conſtare cum aëre & aqua, reſpiciens ad naturam ſeminis, ex quo originem ducit,& ſpiritus naturalis, cui arctiſſima conjunctione eſt copulatus. Neque Hippocrates hæc diſcernere videtur, dum & calorem

& spiritum istum ἔμφυτον θέρμον 14. & 15. Aph. primæ particulæ appellat. Et Galenus manifestè quinto de simplicium medicamentorum facultatibus, innatum calorem spiritum vocat inquiens. Nihil prohibet si sangvineam substantiam, simulque aeream unà cum spiritu calidum innatum vocemus. Itaque cùm Galenus acriter subjectum caloris innati humidum statuat. Non admittit istam ἀναλογίαν Platonis ad ignem, ejusque substantiam hoc modo oppugnari, & actiones omnes turbari, denique sententiam Hippocratis everti censet. Nunc ejus actiones consideremus. Calorem ἐμφύτου formam membrorum, seu partium solidarum esse constat, ut manifestè testatur Hippocrates & Galenus com. 4. Aph. 37. & com. texto ἐπιδ. substantia animæ dicitur. Hic enim omnia membra sua vi conservat, & ut philosophi loquuntur, disponit ad suscipiendum calorem à corde influentem, qui ἐνέργειαν vitæ singulis corporis partibus communicat, sicut manifestè Gangrænæ, σφάκελ☉, καὶ νέκρωσις membrorum ostendit. Hic prolificam vim tuetur, atque in ea fortissime sese exerit, unde eo destituti frigere dicuntur. Hic augmentationi donec humidum, quod Galenus ὑγρὸν κατὰ φύσιν appellat, conveniens est, inservit. Denique ad extremum usque spiritum corpus nutritione conservat. Habet autem administras

virtutes:

virtutes: ἑλκτικὴν, καθεκτικὴν, ἀλλοιωτικὴν, καὶ ἀποκριτικὴν, nec unquam est otiosus, sed omnibus coctionibus adest, donec nutrimentum deducatur ad formam convenientem, & aptam nutritioni, & conservationi totius corporis, & singularum partium, ac nisi adhibeantur alimenta τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος, ut Philotheus ait, ἐξαναλύσει. Ex harum autem facultatum præstantia atque effectionibus, caloris quoque hujus excellentiam metimur, ac rectè Hippocratem nostrum dixisse statuimus τὰ αὐξόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. Nam etsi in juvenibus siccitati junctus igneam vim habet, & ardentior est, tamen quia in pueris consistit, in subjecto magis convenienti, videlicet humido, præstantiores effectiones habet. Hic autem quæritur, patiatur ne hic calor in febribus. Certè in illis, quæ ἐν ἕξει consistit, valdeque acutæ sunt, una cum spiritu vel proximus est extinctioni, vel omninò vita discedente extinguitur, ut testatur Galenus commentario 4. Aphorismo 37. Siquidem solidæ partes, quas ut Hippoc. ait, regit, vim morbi sustinent. Verùm in iis febribus, quæ ἐν σχέσει sunt, vel calefactis spiritibus, vel vaporibus putridis afficientibus calorem cordis, quem infusum appellavimus, afficitur κατὰ συμπάθειαν, quam habet cum calore cordis, qui κατὰ προσπάθειαν accenditur atque affligitur. Nec corrumpi ἔμφυτον consentaneum est, id quod

naturalis calor corporis, quando discessit febris, testatur. Porrò an substantiæ humorum & spiritus pars sit ἔμφυτος calor, dubitari posse video, neque libet de hoc odiosè rixari, cùm videam veteres tantùm solidis partib. eum tribuere, & sciam variè multa posse excogitari, & dici in iis, quæ à veteribus non satis perspicuè, explicate & distinctè tradita sunt. Putredo humorum absque hoc commento dextre explicari potest, modò Aristotelica cum medicis de putredine prorsus non confundantur. De spirituum autem putrefactione fateor me id nescire, quod nescio. & de hac vera & firma doceri cupio, cùm in veterum doctrina nihil, quantum ea mihi cognita atque explorata est, certi habeamus. Refutatæ sunt opiniones quorundam erudite à Victore Trincavella, doctrina atq; usu excellenti medico, cui ego plus fidei adhibeo, quā substructionib. recentib. Sed de his satis, & quæ sit spiritus naturalis origo, temperatura, & actiones consideremus. Ac primum non existimo odiose cum illis pugnandum, qui præoccupati nescio quibus opinionibus spiritum naturalem in corpore humano esse negant, cùm illi manifeste declarent se non tantum in consideratione naturæ rerum, & veterum lectione versatos, quantum fortasse sibi fingunt. Nihil hîc de Aristotele dicam. Nonne Galenus exponens 15. Aph. primæ particulæ inquit: Membra solida è spiritu constare? Item

Item in quinto de simpl. med. facult. perspicue de eo loquitur. Est autem hic spiritus, ut erudite & philosophice hoc probat Actuarius in libello περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος, &c. fundamentum, fons & origo quasi spiritus vitalis & animalis expressus in prima generatione è semine & sangvine materno non solum membris, quæ nutritioni serviunt, inditus à natura, verum omnibus totius corporis partibus, calori naturali ita unitus, ut ab eo magis cogitatione, quàm re ipsa divelli possit. Porrò sicut omnis spiritus substantia est tenuis & lucida, ac inter ea, quæ dissolvi, & non dissolvi possunt media: Ita & hic spiritus est aereus, calidus & humidus, à cœlesti vi, non minus in nostro corpore illustratus, quam hic aer circunfusus, quem lucem & claritatem à corporibus cœlestibus accipere plane non est dubium. Nec propterea, quòd vitalis eo sit lucidior, tenuior & agilitate coloreque majori præditus, minusque spiret, huic appellatio spiritus deneganda est. Nam revera ex semine atque sangvine quædam aerea, cœlestisque vis spirat, quæ partium omnium ἐντελέχεια est. Ut autem membra, quò sunt perfectiora, nobiliores & perfectiores actiones edunt, ita quo hoc spiritu pleniora, quove is est purior & firmior, operationes ejus evidentiores & præstantiores sunt. Ac Galenus cum contra Platonē aeream potius atque aqueam vim & naturam calido in-

nato tribuit, quàm igneam, nulla de re magis, quàm hoc spiritu pugnat. Siquidem moderato calore potentia, quam vegetativam dicimus, cujus spiritus naturalis instrumentum est, ac sine quo animal neque generari, neque augeri, vel nutriri potest gaudet. Præest autem non tantum coctioni sangvinis in epate, verùm etiam chylosi in ventriculo, aliisque omnibus coctionibus, augmentationem & nutritionem solidarum partium gubernat, denique nihil vitam habet, quod hoc spiritu non sit præditum. Distinguitur autem, ut dixi, sola ratione a calido innato. Nam cùm concoquit, distribuit, trahit, retinet, &c. calor naturalis vel τὸ ἔμφυτον θερμὸν dicitur. Cum palpitat, movet, &c. spiritus naturalis. Hinc Galen, 8. de Hipp. & Platonis decretis, arterias motum non tantum cordi & spiritui vitali, sed insito calido tribuit. Hoc verò spiritu obruto, debilitato & exhausto suboriuntur flatus, variorum & maximorum morborum causæ. De quibus in præsentia non libet dicere. Illud addam, licet spiritus naturalis non sit plane anima vitalis, tamen meliorem & præstantiorem partem ejus esse magis elaboratam in corde, & quasi igneam factam. Mediocritatem autem quandam obtinet is spiritus, quem animalem dicimus, & quasi summam perfectionem in cerebro consequitur. Unde ejus actiones intelligere, ratiocinari, &c. præstantissimæ sunt. Sed de his nunc non necesse

cesse est plura scribere. De calido vero innato & spiritu naturali, de quo propositum fuit disputare, me tibi perspicué commonstrasse puto. Non esse noua & inania hæc figmenta, sed è doctrina veterum & rerum natura petita, Quid enim est in verbis Galeni, quæ sunt in libro de tremore & rigore ambiguitatis aut obscuritatis, cum inquit, Ducetur hæc ratio de principiis Hippocratis, neq; pro corporis nostri elementis ponemus corpuscula quædam & poros, neq; statuamus calorem è motu aut attritione quadam & collisione suscitari, sed corpus quidem totum confluxile & conspirabile. Calorem verò non ascitum, aut aliunde quæsitum, neq; genito iam animali ortum, sed insitum, & qui ab ipso statim principio extiterit. Et nonne Hippocrates hunc cœlestem dicit, in lib. de carnibus, inquiés, certe mihi videtur id quod calidum, caloremque dicimus, quiddã non mortale esse. Aristoteles autem hæc expresse explicat *lib.* 2. de Gen. animalium. Inest in semine quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur. Idq; non ignis, non talis facultas aliqua sed spiritus, qui in semine spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarũ. Ex his perspicuum est in solidis corporis partib. spiritum, in spiritu calorem innatum, atq; in his naturam & facultates naturales. Calo-

rem autem, qui in spiritu est, cum nusquam se-orsim sit, sicut lumen & calorem solis verum quidem esse accidens, sed plane divinum & cœleste, nec à temperamento ortum, verum cœlitus cum semine in corpus transmissum. Natura autem ea, quæ interventu caloris & spiritus in materia consistit, purissimam esse & cœlestem substantiam conservationi corporis vitæque convenientissimam, ac maxime necessariam. Habes de calido innato & spiritu naturali sententiam veram, & à veterum doctrina non abhorrentem, quam ad te mitto non tantum incitatus scripto illo, quod à te accepi, & lectione Timæi Platonis, verum perpetua & verissima benevolentia, quam tibi omnibus modis probari cupio adductus. Hæc autem quantum lucis non solum multis & difficilimis quæstionibus medicis afferant, verum etiam doctrinæ de destillationibus, quam me tibi methodice explicare velle promisi, & disputationibus de putredine, contagione, morbisque totius substantiæ, de quibus multi longe plus verborum faciunt, quàm re ipsa intelligant. Videbis in nostris scriptis, quę in manibus habeo, & si vita suppetet, tecum & cum veritatis studiosis communicaturus sum. Cum illis verò, qui omnia, quæ non decies à præceptoribus vel à Galeno inculcata sunt, nova & Ferneliana esse injuriose clamitant, nec quæ veterum doctrinam illustrent atque amplificent, admit-

admittunt, nisi eam crassus illorum spiritus capiat, & quos, ut poëtæ verbis utar, inertia tardat, non odiose pugnabo: sed illud tenebo, quod Actuarius scripsit, vel nostra negligentia, vel quia veteres itidem ut nos fuerunt homines multa in illorum libris, qui cæteros sapientia antecellunt non reperiri, nonnulla interdum deesse, quę dixisse prębstabat, & à rectis principiis plurima nobis petenda. Vale. Uratislaviæ 26. Octob. anno 1558.

D. Ioachimo Camerario Medico. Iohan. Crato, &c. S. D.

VALETUDINEM matris tuæ meliorem fieri lætamur, & Christo gratias agimus, ac ut indies magis magisque confirmetur Deum precamur. Id quidem ei, post salutem à nobis amantissimè dictam, indicabis. Vitæ studiorumque tuorum rationes, atque de his deliberationes vestras à DEO fortunari & gubernari benigne precor. Profectò nunc plures vanitatis, quàm veritatis sunt studiosi, & etiam atque etiam videndum, ne occasiones discendi, & bonos præceptores amittamus. Si quid à me fieri vis, aut posse speras, indica & factum puta. Casparo Scaligerum non probari nec miror, nec moror. Fortasse illud καθολικὸν θεώρημα, quod Cicero Attico commemorat, verum est. Sed si nullam aliam haberent laudem

eius scripta, hæc cùm verissima & iustissima est, quòd Latina & pura oratione philosophica ea, quæ multa barbarie obruta vix erui possunt, perspicuè proponit & explicat. Quod Galenũ, quem ille satis ridiculè pontificem maximum nostrum appellat, interdum asperius tractat non mirum. In Galeno enim quoq; singulare carpendi studium fuit. & sequitur Scaliger suum magistrum Auerrhoëm, cui interdum non parcit. Te Dioscoridem tuum illius quoque sententiis auxisse valdè probo. Fortasse non pauca veris rationibus, quæ in Scaligero dicuntur, refutari possent, & non mirum est, si in tanta rerum & opinionum varietate interdũ ea afferat, quæ non probantur omnibus; sed scire velim quid præcipuè reprehendat Caspar. Cum Fernelio etiam pugnat, & rectè mihi contra eum hoc statuere videtur. Calorem non formam cœlestem esse. Id quod contra Philippum affert generationem non esse motum in substantia fortasse ex ipso Aristotele posset refutari, in quarto de cœlo, vbi tres recenset motus ad locum, quantitatem, & generationem, sed in quinto Physicorum, transmutationem esse dicit, & motum negat. Hæc autem non sunt epistolæ huius, quam scribo occupatus, & temporis egens. Disputationem nostram de calido innato, si iam legere deberem, fortasse non minus multa, quam vos in ea desiderarem. In chymicis plane mihi ipsi non possum

satis-

ſatisfacere, & venit aliud ex alio in mentem, de quibus cum ſententias veterum inquiro, aut nihil ſcribo, aut ſcripta induco. Itaq; quando exſpectationi tuæ & promiſſo meo, quo teneri me fateor, ſatisfacturus ſim ſanè neſcio. Emendatio conſultationum ſæpe ita mihi movet ſtomachum, ut vix me continere poſſim, quin interdum librum pedibus teram, ſed emendabo tamen. Si aſtricta eſt alvus, pruna damaſcena macerentur in aqua donec intumeſcant, deinde exemto nucleo ante cœnam aliquot aſſumantur & deglutiantur cum illis grana quatuor, vel quinque piperis integri. Balnea etiam ex aqua dulci, & inunctiones umbilici cum butyro plurimum proderunt. Uſum clyſterum, præſertim frequentiorum, planè non probo. Utatur etiam mane conſerva roſarum recenti, cum pipere albo & ſpeciebus aromatici roſati Gabriel. hoc modo.

℞ *Conſer. roſar recent* ℥ ij.
Spec. arom. roſat. Gabriel. ℈ ij.
Piperis albi ℈ j. Miſc.

Eſt enim præſentiſſimum remedium in cardialgia & ad leniendam alvum. Si nauſeat ambram & Moſchum in ſpeciebus aromatici roſati fiat ſine Moſcho. Plura aliàs Benè vale Uratislaviæ, 24. Januar. Anno 1559.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S. D.

QUæ ſint illæ tuæ, quas te ſuperioribus diebus miſiſſe, atque iis meis pleniſſimè reſpondiſſe ſcribis, neſcio. Ego poſt eas, quibus decimus quartus dies Novembris aſcripta eſt, unas accepi datas xij. decembris, iis nunc reſcribo Sigonium amare tuum Patrem, virum propter antiquam virtutem, & ſermonis Latini puritatem, græcique facundiam omnibus bonis amabilem lætor. De Baſſiano nihil novi. Rumpatur, vivet tamen, ſemperque celebrabitur memoria Montani in Germania. Tabulæ Fallopii vel ad fallendum ſunt compoſitæ, vel is nimium magnam inſcitiam ſuam de deſtillationum ſcientia prodit. Si ille tibi ad eum modum oleum ſulphuris, quem præſcribit, deſtillabit, Cratonem dicas de chymicis nihil ſcire. Addat non modò urinam pueri, verumetiam ſal armoniacum, & vehementiora corroſiva: ſulphur tamen manebit ſulphur. Poſſet ad hunc modum, quem ille præſcribit, id eſt, per talia inſtrumenta confici addito aphronitro, quod contraria vi præditum eſt, verum an ille modum novit & ſine periculo conficere poſſit, haud ſcio. Similes ineptiæ ſunt de oleo vitrioli. Mihi ejuſmodi oleum, cujus deſtillationem docet, non det intra corpus. Utinam legerent adoleſcentes veterum ſcripta, minus

minus admirarentur recentes nugas. Iuvat tamen eas videre. Quæris ad quod genus morborum referatur morbus totius substantiæ? Respondeo, ad nullum eorum, quæ Galenus posuit, nisi velimus contra omnia principia Philosophiæ, temperamentum cum forma confundere. Itaque dico: Galenus (*Galenus quidem multis in locis virtutem seu δύναμιν cum temperamento conjungit, ut xj. Meth. & alibi. Item naturam vocat temperamentum.*) prosequitur Methodo eorum morborum curationem, qui temperamentum consequuntur, seu mutationem materiæ. De morbis in tota substantia nusquam agit methodice, quia curatio eorum sub Methodum non cadit. Scis autem nos naturam, cujus administri sumus, non tantum materiæ, verumetiam formæ notione comprehendi, & temperamentum mistionem & alterationem, quæ in materia est, consequi. Formã nequaquã, quæ non minus à sibi contrariis, quã materia læditur, quemadmodũ in multis rebus videmus. Si igitur morbum in temperie dicimus, qui lædit temperaturam, quid obstabit, quo minus id, quod lædit formam, qua membrum non modo est vivens, sed tale, dicamus morbum totius substantiæ, atque auxilium à tota substantia valens medicamentum. At dicis talia remedia tantum ostendit experientia, & quid quærimus cùm formarum naturam & rerum substantiam invenire nemo

possit: Existimemus pulchrum esse, de iis pauca scire, quæ plurimum adjumenti vitæ afferunt, etiamsi exacta harum rerum explicatio in humanum ingenium non cadat. Non frustra dixit divinus Hippocrates: Naturalia remedia non solvunt affectionem pestilentem, cumque raró lædatur forma in corporibus, quin simul temperies quoque afficiatur, operam demus, ut ad utrumque artificiose respiciamus. Quæris etiam de Terebinthinæ oleo cur eo utar, cùm ῥυπτικὸν potius, quàm διαφορητικὸν sit. Terebinthina per se quidem vim abstergendi maximam habet, sicut & oleum. Idcoque ulceribus sordidis, & vulneribus utile. Sed cùm adeò sit tenuissimarum partium, atque calorem augeat, & ad penetrationem faciat, hic cum oleo nucis Muscatæ, atque sevo hircino, misceo & ad majoré calefactioné & penetrationem διαφορητικὸν, videlicet oleum Iuniperi addo. Ac oleum Terebinthinæ maximè lenit dolores à flatibus ortos. Benè vale. Uratis. 22. Januarii. Anno 1561.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S.D.

EXSPECTANTI mihi dum Paulus noster ad vos redeat, significatis, obtineri se hic necessariis caussis. Itaque cum modo literas Augustam mitterem, persolvendum putavi epistolæ

tuæ

tuæ quam cum Paulo ad me dederas. Primo autem non more, sed verè & ex animo decursum instantis jam novi anni bonum, faustum & felicem precor, atque ut benignissimus Deus gubernet studia & universum vitæ curriculum, teque firmum & incolumem conservet oro. De causa continente, certè sic est, differre τὸ προσεχὲς αἴτιον Galeni à causa, quam Avicenna conjunctam vocat. Ac ut mittamus Avicennam, certe Galenus, qui ter in secundo Methodi, hujus causæ meminit, manifestè eos etiam Rationales Medicos damnat, qui hanc negligunt. Ex 6. autem capite apparet hanc causam ita conjungere cum morbo, ut idem propemodum statuat. Sublata igitur hac causa tollitur effectus universe, quia hæc causa est de essentia rei, & est quasi ipsa διάθεσις. Conjuncta autem causa Avicennæ κατά τι solummodò effectum tollit, ut sublata putredine cessat febris putrida. Calore autem præternaturali lædere ἐνέργειαν sublato ex toto tollitur febris. Miror igitur cur dicat Trincavella non posse statui eam ex methodo Galeni. Nam illud quod affertur ex Galeno de discrimine inter τὸ εἶναι καὶ τὸ γίνεσθαι ad discrimen inter διάθεσιν καὶ πάθος ab eo ponitur, neque ad hanc disputationem pertinet, haberque semper locum in methodo Therap. hæc regula: Primum esse in actione, quod ultimum invenitur in resolutione. Etiamsi prima & princeps indicatio

ſemper ad naturam morbi ſit directa. Cùm autem natura morbi per cauſas intelligatur, quo pacto prima indicatio ſeu ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας firma erit in animo, niſi τὸ προσεχὲς αἴτιον ponamus? Et quonam modo Methodicè ſine hac cognitione curabimus? Velim autem te tuum Trincavellam interrogare cum Linacer definitionem ἐνδείξεως videlicet, eſſe eam τῆς ἀκολουθίας ἔμφατον non convertit, nec illud quod affert Lacuna, qui imaginem conſequutionis dicit, ſatis explicet, quo pacto ille vertendum rectius putet. De loco in 6. Epid. non commemini quod ſcripſerim. Ad exempla autem quod attinet, certum eſt, cùm morbus in ſtatu jam eſt, non mittendum ſangvinem, & materia amplius non fluit. Eſſe autem, cùm cruenta rejiciuntur, certum eſt, etiamſi initium videatur. Ideò rectè is ſine venæ ſectione curatus eſt à Trincavella, & alter cui miſſus eſt ſangvis infeliciter. De quarto genere morbi in tota ſubſtantia, etſi patiar eum ad morbum temperaturæ referri, tamen idem non eſſe & Hipp. ipſe atque Galenus teſtantur, & ratio monſtrat. Perſpicua ſunt verba Hippo. cum inquit; τὰ φυσικὰ βοηθήματα οὐ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους. Ubi haud dubie oſtendit remedia Methodo inventa non prodeſſe, ſed antidotos, quę vim exitialis putredinis ſeu veneni tollunt, l.2. de natura humana, cap. 4. Cauſæ lædentis à tota ſubſtantia mentionem

tionem facit Galenus, meminit & alibi morbi totius substantiæ, sed non explicat, etiamsi methodice tantum sex summa genera morborum reperiri asserit, unum similarium, videlicet δυσκρασίαν, quatuor τῶν ὀργάνων, & sextum utrisque commune. Non negamus διάθεσιν illam, quam morbum totius substantiæ dicimus, cùm scilicet à venenata qualitate oppugnantur in corde virtus vitalis in febri pestilentiali, ut naturalis in epate in morbo Gallico, consequi δυσκρασίαν nec malum tolli remediis methodo inventis, & contrariis qualitatibus adhibitis, sed antidotis. Et quid sunt ista medicamenta, quæ antidotos appellamus, si non morbus est à tota substantia, ut nihil de facultatibus propriis remediorum sola experientia repertis, quam Gal. à Methodo sejungendam monet, dicam. Causas cœlestes illos rejicere non miror, qui harum ignari sunt. Non dico illas requiri ad proprium officium Medici, quod Galenus noster ἐκκόπτειν νόσους esse ait; sed ad vim morborum cognoscendam, & causarum vehementiam plane referre arbitror, ne Medicus has ignoret. De lacte planè mihi doctores tui nõ satisfaciunt, lactis odorem mutari & malignũ fieri propter motum istũ. Respiciendũ est ad causas odoris & corruptionis; id est, ad calorem & spiritũ, cujus sit magna alteratio in coitu, ita ut qui minus firmo sint habitu facile etiam resol-

vantur, atque hinc petenda ratio. Sed nihil adhuc potui explicare in quo conquieſcat cogitatio mea. Inſpexi atque perlegi fere totam Methodum D. Hieronymi. Video primam partem eum ſumpſiſſe ſibi ab Argenterio, & obſcuraſſe iſta quadam barbarie, ſuaque feciſſe, adhibitis quibuſdam logicis rationibus. Poſterior Practicorum eſt tota. De D. Camilli familiaritate & benevolentia tibi gratulor, atque ut hoc συνοικίζεσθαι tibi & tuis ſtudiis plurimum proſit ex animo opto. Lectio Hippoc. excellentem Phyſicum, & uſu peritum Medicum requirit. Utinam ego vivo Montano nihil feciſſem aliud. Exemplum Epiſtolæ P. Victorij, qua ſingularem benevolentiam tibi declarat, & officium defert, miſit ad me Ludovicus frater tuus. Poſſet is tibi Græca quædam in Hippocrate explicare, & ſæpe totius ſententiæ cognitio in unius vocabuli explicatione conſiſtit. Matthiolus ad me ſcripſit ſe alteram editionem Epiſtolarum ſuarum habere in manibus. Eum rogavi ne me Herbariorum rixis admiſceret. Nam cum ipſi autoritatibus præcipuè pugnent, conſequi neceſſe eſt illa θαυμαστὰ ἄθλα, ut Galenus noſter ait, λοιδορίαν ſcilicet καὶ μάχην. Cauteria magis eſſe προφυλακτικὸν Epilepticis ipſe ſtatuo. Sed tanta eſt noſtrorum chirurgorum negligentia, ut non poſſint nobis ad iſta remedia præſto eſſe. Scriberem plura,

plura, ſed tabellarius flagitat literas. Benè valè. Prid. Kal. Jan.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S. D.

CUM ſuperioribus proximis diebus redirem ex aula Epiſcopi noſtri atque Ducis Georgij, obtulit mihi conjunx puerpera tuas datas 4. Junij atque Patris tui literas ejuſdem fere argumenti. Significat ſe accipere cauſam, quam adfers, de recuſata profectione in Syriam, atque quod evenit optimum ducere. Cæterùm æquo animo laturum fuiſſe ſi inſciente ſe iſta occaſione uſus fuiſſes. Mi Joachime non magna res eſt videre loca in quibus non ſunt homines, & adire pericula curioſæ temeritatis eſt. Frobenij nunc exprimunt Galenum cum Indice D. Aloyſij Mundellæ laudabili. Vidi primam pagellam, quam ad me miſit Geſnerus, tanta diligentia factus eſt index, ut non ſolum vocabula ſingula, verùm omnes res complectatur, & verè epitome Galeni atque Hippocratis dici poſſit. Perna jam noſtra elaborat. In anatomicis Fallopij, quæ mihi ſcripta D. Paulus miſit, plurima paradoxa ſunt. Quod monui de Hippocratis lectione cupio tibi eſſe curæ. Trincavella in ſuo de præparatione & concoctione humorum commentario videtur Aph. ult. 3. partic. Epid. 6. ſeg-

nite r tractare. Dum iis, qui cruenta exspuunt in pleuritide non dicit secandam venam: affirmat Galenum ideo censere, quia non sit magnus morbus, cujus & exempla recitat. Si est à bile, ut idem censet, maximus est. Ego aliam causam dicerem, videlicet, quòd jam materia amplius non fluit, cùm cruenta rejiciuntur, & ulcus est apertum. Ideò scopus missionis sangvinis amplius non propositus. Nec detrahendæ tunc sunt vires natura occupata in expulsione. Neque materiæ, quæ evacuatur à natura motus impediendus. Fuchsius dicit, hæc ponenda in iis, quæ soli Hippocrati nota fuerint, nec quærendum amplius, ô rem miseram! De his autem aliâs. Quæ de P. Manutio scribis cognovi libenter. Sed librorum fortasse satis est, cùm studij sit parum. Quicquid miseris gratum erit. In Hipp. non tàm quicquam expeto mea causa, quàm tua inprimis & posteritatis. Eam te ingenio tuo & liberali doctrina locupletaturum planè non dubito, atque ut prodesse possis plurimis; & meis etiam opto. De quarto morborum genere, videlicet à tota substantia videmus aliquid affirmasse quoque veteres, ut apparet in com. Gal. in lib. de natura hum. & 6. Epid. com 6. Quæ enim spiritum naturalem atque calorem innatum oppugnant, ea certè ad morbum in temperatum non possunt referri, sed videbimus rationes Trincavellæ. Usus garyophyllorum in Quartana

tana admodum prodest,& magis quam piperis integri. Item hæc inunctio ventriculi.

℞ *Ol. amygdal. dulc.* ℥ j.
Medullæ crurium vituli ℥ ß.
Mastich. pulu. ʒ j.
Ol. garyophyllorum gr. vj. Misc.

Renum intemperies calida non sine periculo corrigitur in senibus. Ego magno successu usus sum succo Portulacæ cum succo glycyrrhizæ. Interdum etiam potione aquæ fragorum, quæ est suavissima, atque ineunte vere usu asparagorum. Non vitupero tamen emulsionem seminum frigidorum. Interdum ante cœnam darem jus ex papavere albo. Videbis mirifice prodesse, præsertim si loco facchari syrupum è succo violarum addas. Expulsionem illam erysipelatodem nunc cessare non est mirum. Expurgandi autem erunt serosi humores atque acriores, interdum usu Rhabarbari cum terebinthina, saccharo & pulvere glycyrrhizæ atque modico cinnamomi. Ad emolliendam alvum plurimum valet, & sine molestia eam movet sequens medicamentum.

℞ *Succi spinæ cervinæ.*
Mellis an. ℔ j. *Sacchar.* ℥ iij.

Decoq. ad spissitudinẽ mellis, datur ab ℥ ß. usq; ad ℥ j ß. Ego adderem parũ zinziberis vel cinnamomi. Gesnerus scribit se usum ʒ ß. pul. gratiolæ cum Syrupo ex acinis sambuci. Succus gratiolæ cum cinnamomi & masticis pulvere multò re-

ctius purgat, & minus ventriculum offendit. Juli juglandis per vomitum sine molestia purgant, hoc modo:

℞ *Seminis urticæ.*
Raphani an, ℥ j. ß.
Iulorum juglandis ℈ ij.
Hydromelis clari ℥ iij.

F. potio, etiamsi per se soli Juli cum Hydrom. faciunt. Lapis calaminaris cum aqua rosarum tritus, & butyro commixtus, valde dolorem hæmorrhoidum sedat. Uxor Rudingeri ex eodem lapide, seu cadmia, atque axungia hirci nigri facit unguentum oculare, addidit nescio quæ alia, vidi conferre lippientibus. Benè vale. Uratislaviæ, 19. Julij, Anno 1561.

D. Ioachimo Camerario Medico. Iohan. Crato, &c. S. D.

LEGI hisce diebus commentariolum D. Trincavellæ de causa conjuncta, & nisi eum vehementer mihi placuisse verè affirmarem, mentiar. Quid autem in eo desiderem, quave in parte mihi non satis faciam, scribam ad te quantum in ista festinatione potero, plenissimè. Primùm mecum sentit cùm hanc totam disceptationem, quæ inter plurimos est, λογομαχίαν esse putat, ipse verò nimium ἀκριβῶς Philosophorum leges mihi videtur sequi, dum morbum fientem, morbum dici non vult.

Nam

Nam ſiquidem revera ſic ſe res habet, cur conſiderationem illam de temporibus morborum neceſſariam ducimus, ut revera ducimus? Cur morbos ἐν σχέσει eſſe dicimus? An non σχετικῶς morbus eſt etiam μόνιμον quiddam. Rectè autem exiſtimat cùm fundamentum hujus diſputationis hanc quæſtionem eſſe ſtatuit. Sed non ſatis recte neque Stoicos, neque Arabes, ut pace tanti viri dicam, accipit. Nam Stoici συνεκτικὸν αἴτιον longè aliud, ac nos, qui Montani doctrinam ſequimur, ponunt, dum ſuam iſtam cauſarum concatenationem afferunt. Arabes verò inter cauſam continentem & conjunctam ſatis amplum diſcrimen ſtatuunt. Ac haud ſcio an apud Græcos συνεκτικὸν αἴτιον, & προηγχὲς idem ſit, ut voluit Scheckius. Sed mittamus nomina, ac rem ſpectemus. Primùm qui Galenum negat συνεκτικὴν cauſam ponere, is librum de cauſis pulſuum, doctrinam Aphoriſmorum, in primis autem comment. tertium lib. 6. Epid. ſe nunquam aſpexiſſe fatetur. At Galenus 1. de cauſis pulſuum manifeſte συνεκτικὸν αἴτιον ab alterantibus diſcernit, cum Avic. Fen. 2. Doct. 11. ſui canonis perſpicue inter alterantes numeret. Non igitur Galeni cauſa συνεκτικὴ & Avic. conjuncta idem ſunt. Cum autẽ medici ſit conſiderare cauſam prout poſſit alterare, vel mutare copora, largior hoc D. Trincavellæ, ratione curationis morbis non obſervandam eſſe cauſam conti-

nentem seu συνεκτικὴν, conjunctam autem seu προηγμένην αἴτιον necessariò respiciendum. Nam συνεκτικὸν αἴτιον, seu continens de essentia rei est, ut calor partium naturalis in vulnere figura. Sed conjunctæ inter alterantes sunt proximæ affectui, ut vapor putridus in febre putrida. Quia inter hunc & affectum non est medium. Continens igitur removet effectum universaliter. Conjuncta non plane removet effectum, sicut neque semper statuit. Non enim statim putrescentibus humoribus sequitur febris, neque semper remota putredine cessat febris, etiamsi febris putrida esse desinat. Ac conjuncta causa, & προηγμένη reipsa non differunt, sed tempore atque ordine solum. Eadem enim res potest esse antecedens causa & conjuncta, diverso respectu, & in omnibus morbis, quæ habent causas antecedentes, recte ponitur causa conjuncta, id est, proxima, seu inter quam & effectum non est medium, verum non συνεκτική seu continens. Hanc autem continentem causam Avic. vocat causam non vicariam, id est, quæ cum re ipsa plane idem est, seu, ut ille inquit, qua separata sequitur sanitas, ut remoto calore præternaturali, qui est in corde, consequitur ipsa temperatura cordis, in qua sanitas consistit. De his autem agas cum præceptore tuo, atque ejus sententiam perscribas. Dicet ita, causam continentem atque morbum idem esse. Fateor, sed quatenus est dispositio seu πάθημα, quod ad illam διάθε-

στῃ pervenit, ut actionem naturalem lædat morbum dico; quatenus efficit hoc, seu ut inepte loquuntur, causat læsionem συνεκτικὸν αἴτιον. Estque revera inutilis verborum pugna: verùm ad dijudicandum discrepantiam doctorum hominum non inutilis. Et si quis commodè de hac re post Montanum docuit, certè Trincavella docuit. Ad quod non videt Avic. in eodem capite discernere causam continentem à conjuncta, quam inter alterantes collocat nec in eo Montano præferenti facem accedere vult miror. Scio autem plerosque contemnere ea, quæ extant Montanica. Rectè, an secus, ad meum judicium non revoco. Magnos autem viros existimabam hoc decere, ut rebus veris monstratis, ipsi quantum possunt adiumenti sua doctrina adferant, & quæ nondum satis explicata sunt, aut infirmiora etiam, quàm ut possint consistere, ea si utilia sint illustrare, atque fulcire, sin minus placide monstratis melioribus removere studeant. Verùm quid fiat videmus. Tantæ sunt adversationes de morbo totius substantiæ, ut omnes penè veritati contradicant, quosdam morbos vel sic dici & esse certissimum sit. Ego quidem planè non dubito, sicut in febre pestilentiali oppugnantur vitales spiritus, ita in morbo Gallico infici naturales. Atque morbum Gallicum rectè dici morbum totius substantiæ. Rationes meæ istæ sunt. Prima, invadit principes partes,

neque omnes simul, sed primum epar, sicut febris pestilentialis cor. Secunda, quia non tollitur medicamentis methodo repertis & contrariis qualitatibus pugnantibus, atque naturæ auxilium ferentibus. Interea non nego à contagione consequi intemperiem manifestam, sicut in pestilentia putredinem pravam superantem longe vulgaris putredinis conditionem. Formam autem istius veneni dico habere causam cœlestem, & propter hanc alios aliis citius affici. Sed de his scripsi nuper. Neque disputo, sed vere sic sentio, non discessurus ab hac sententia donec meliores rationes viderim. Velim etiam te quærere à præceptore, an non in lib. de carnibus Hipp. calorem congenitum cœlestem affirmet. Certe Ætherum dicit, & discernit ab igneo elementari. Quæro utrum in 6. Epid. par. 5. Hipp. opponat ἰσχυρὰν & ἀσθενεστέραν δίαιταν. Et an recte cibos imbecilliores interpretetur olera, atque fructus arboreos, cùm videamus, & historiæ nos doceant, iis usos sæpe esse longævos. In Hipp. lectione velim te in singulis dictis, maxime in Aphorismis, diligenter primum non solum rerum: verum etiam nominum etymologicas definitiones investigare. Id si fecisset Calvus minus deformitatis & perplexitatis haberent ejus versiones. Deinde in divisionibus studiose, an sint sufficientes, videre. Exempli loco sit, cum in part. 7. sexti Epid. menses

αἵματος

αἵματος στάσις, videlicet, λειποθυμίαν, σχήματα ἄλλα, ἀπόληψιν, κενοτώματος ξυστροφὴν, πρόσθεσιν καὶ ἐπίδοσιν, an in hac diviſione nihil ſit omiſſum, ſingulorum membra explicanda. Inprimis autem quid ſit ἀπόληψις, &c. In recitatione autem exemplorum diligenter ſymptomata ad ſuas cauſas deducenda ſunt, reſolvenda omnia, & an ſententia Hippocratis in ſyllogiſmum demonſtrativum poſſit concludi videndum. Qui ſic Hippocratem legit, is haud dubiè adjutus à cognitione Græcæ linguæ, philoſophia, & doctrina medicorum veterum, inprimis inter Latinos Celſi, in Hippoc. ea videbit, quæ à multis nondum ſunt animadverſa. Quæ nuper de dentitione & lactatione ſcripſi velim tibi eſſe curæ. Unde lac à ſemine iſtam malignitatem acquirit, ut etiam epilepticos pueros medicis reddere videatur. Bene vale. Uratisl. 28. Jul. an. 1561.

D. Ioachimo Camerario Medico, Iohan. Crato, &c. S.D.

ANTE dies octo pleniſſimas literas ad te dedi, meamque ſententiam de cauſa continente atque conjuncta tibi aperui. Scripſi etiam quædam 19. Julij de nutritione & dentitione infantum. Nā ſententia illa, quę eſt in primo de tuenda ſanitate, quæ præcipit, ut quæ mammam dant à Venere planè abſtineant, ne lactis

odor pereat, non satis munita rationibus videtur. Multò minus illa Plinij lib. 28. cap. 19. cum de Colostratis infantibus agit, & concipere nutrices pueris exitiosum pronunciat. Moveor non tantum exemplis; verùm etiam dictorum firmiores rationes requiro. Illud verò quod afferunt practici pueros fieri epilepticos nusquam satis declaratum animadverto. Galeno assentior quidem, qui dicit lac amittere odorem, & scio quid afferat com. 3. in prognost. Quanque mutationi atque alterationi levibus de causis lac obnoxium sit non ignoro, verumque illud esse, quod dicit 5. de simpl. med. fac. lac infinita lædant sentio, sed explicatam rem integre nusquam conspicio. Quæ de admistione mellis in 5. Meth. & alibi dicit contra coagulationem lactis nota sunt. Unde autem hoc quod coagulum leporis coagulatum dissolvat. Non dubito quin mihi propemodum in mentem omnia veniant, quæ possunt dici, sed libenter audiam sententias eruditorum, easque cur requiram facile ipse æstimare potes, cum nihil sit gravius homini Christiano & parenti quã sustinere gravem conscientiam. Lectiones illas laudatas Fallopii de morbo Gallico cuperem profecto videre. Quæso tractat ne curam per oleum vitrioli, & ea, quæ nunc præsertim inunctis prius, quique nodos atque tumores in articulis habent, plurimum in usu est per aquas mercuriales, quas vulgo *die gelben Wasser* vocant?

cant? Fit infusio radicum pyrethri & aromatum in aqua vitæ, adduntur metallica quædam, alumen, &c. Item cantharides & mercurius. Hoc solent inungere articulos male affectos, & exit post apertas vesicas materia crassa, & utiliter datur decoctum Guaiaci, postea ante inunctionem istam faciunt fomentationes. Habent hanc curationem, quantum video, ex libello Germanico Francisci Renner Norinbergæ edito. De sententia Trincavellæ μετέωρος sum. Est manifesta distinctio apud Gal. inter στέγνωσιν καὶ ἔμφραξιν, licet in 10. στέγνωσιν, tanquam nomen generis ad πύκνωσιν καὶ ἔμφραξιν statuat. Si focus est in musculis ad πύκνωσιν in curatione est respiciendum. Vide lib. 11. Meth. 9. cap. ubi de expurganda putredine agit. Item in 4. cap. ubi de foco. Cæsar in Epilepticis hoc remedium pro maximo secreto habet, & ait D. Petrum Cavizerum etiam homines provectæ ætatis, & qui diu hoc morbo fuerint obnoxj, post purgationes curasse:

℞ *Crystalli præparati* ℥ j.
Corall. rub. præpar. ℈ ij.
Margarit. oriental. ℈ j.
Smaragd. oriental. præpar. ʒ ß.

Misc. f. pulvis, cujus media pars est una dosis in aqua taraxici, Bis feci periculum, ægri liberati sunt ab Epilepsia, sed postea tamen obierunt. Crystalli usum non existimo esse tutum, & smaragdus, quo vulgo utuntur, non est ve-

rus, sed lapis de Peru, nempe fragmenta magni lapidis Prasij. Orientalis, qui in arena reperitur, nunc rarò apparet, & nullas ferè gemmas habemus in Pharmacopoliis veras, quam margaritas & hyacinthos. Rubini interdum habentur, Granati & amethisti Bohemici non sunt rari. Video illius lapidis, quem malachitem vocant, qui Turcesiam refert, magnam esse vim roborando ventriculo. Calculosi plurimùm levantur discussis flatibus, & aucto calore viscerum. Itaque posteaquam enemata ex solo oleo atque decocto parietariæ in vino injeci, inungo umbilicū oleo è terebinthina, è granis juniperi, & nuce Moschata, adjecta modica cera. Istis oleis imbuo lanam xylinam, atque calidam umbilico adhibeo. Ventriculum etiam solo oleo nucis Moschatæ inungo. Si quid per superiora exhibere volo, decoctum veronicæ in vino usurpo. Hac medicatione scio me plurimis in gravissimis doloribus profuisse. Habeo, ut nuper scripsi, in manibus methodum Therapeuticam. In prima parte ago de cognitione morborum, in secunda de curatione. in tertia de auxilijs, & recto auxiliorum usu. Utinam hunc librum possem absolvere. In tertia parte fortasse aliquid de destillationibus agam, de quibus alia methodo rectius scribi posse cogitavi, explicatis videlicet, primum causis concretionis, deinde dissolutionis, postremò de effectionibus spiritus naturalis separati ab impuritate

puritate materiæ. Fernelius affirmat se sequentium pillularum tantam vim experiendo cognovisse, ut nullam cephalalgiam vel hemicraniam offenderit, quam non curarit:

℞ Aloes optimæ ℥ ß.
Pul. el. de gemmis.
Trium santal.
Rosar. rubear. a. gr. vj.

Cum syrupo absinth. & violar. f. massa. Datur ʒ j. bis in hebdomada hora una vel duabus ante cœnam. Habeo jam ægrum, cui genu occupavit tumor laxus, & deprehenduntur etiam sensu quidã quasi nodi. Is jam supra unũ annũ est apes. Multis remediis usus, etiam thermis, & decocto ligni & salsæ, verum nihil juvatur. In digitis pedum & manuum sunt nodi. Adhibui emplastrum ex ammoniaco, vitriolo usto & nitro cum drachylo composito. Exit gypsea materia. Bene vale. Uratisl. 4. Augusti anno 1561.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S. D.

BREVEM etiam epistolam tuam boni consulere. Ita sum tuarum cupidus. Scripsi Viennæ aliquoties ante meũ discessũ. Subitò posteaquã huc veni, meas per certum tabellarium ad te misi. Aveo cognoscere ea quæ tu vel

In Isagoge nostra animadvertisti corrigenda, vel in perioche emendasti, atque ut contra scripta mittas oro. Trincavellicis æquo animo cabo, dum illis vacare possis. Nihil me delectat Vega. In Altomari libellis solidum quiddam reperio, sed parum perpolitum. Utinam diligenter cognosceremus veterum doctrinam. Fuit hic mecum sectator quidam disciplinæ Theophrasti, qui Ratis bonæ, ut ille narrat, medicinam factitavit. Is mirifica somnia narravit. De quibus ego melius, quàm ex omnibus libellis, atque Bacchi mendaciloquentia de illorum vanitate sum edoctus. Itaque licet cum istis larvis luctari minime rectum putem, tamen nostra firmissima principia, quæ sunt in Idea Hipp. perspicue proposita istis nugis studiosorum causa opponerem, si typographum reperire possem. Futuræ fortasse essent pagellæ quatuor. Imperator dicebat folia tiliæ singulare esse remedium contra spasmum flatulentum in grdsivis, quem vulgò gramphum vocant. Radix lilij albi cocta cum butyro & adipe gallinæ, addita farina seminis lini, valde dolorem hæmorrhoidum non fluentium sedat. στεβάςῳ profuit unguentum ex oleo amygdalarum, chrysomal. nucleorum persicorum & momordicæ. Addam medicamentum ad sangvinem concretum in ventriculo, utiliter datur succus apii cum melle. Ubi autem is per vomitum rejectus est, mentha cum vino cocta stomacho

macho applicanda. De iis, quæ sunt in Amato, & pestilente febre, quæ morbus Ungaricus dicitur, & cephalalgia exitiosa, scribam Praga. Video sectionem venarum in pedibus inter initia plurimùm prodesse. & decoctum scordii. Raphanum etiam capiti & pedibus appositum. Ad tussim mirificè decoctum raparum cum saccharo candido & butyro, vel oleo amygdalarum dulcium recenti prodesse animadverto. Sed detrahendus est illis cortex, & primæ coctura aqua abjicienda. Nephriticis etiam prodest. Benè vale & rescribe. 24. Septembris anno Christi 1564.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S.D.

HIc dies renovat mihi memoriam tui amicissimi facti, cùm ante annum te comitem itineris in Pannoniã, *Vt tristes animi posses depellere curas*, mihi adjunxisti. Deo autem benignissimo gratias ago, qui propitius ἡγεμὼν nobis adfuit, & res nostras opinione mea melius gubernavit, huncque oro, ut porro clementer iis interesse & præesse velit. Sine illius enim gubernatione & custodia, nihil tutum, nihil rectum. Me quidem cogitatio de providentia divina, cui nos planè submittere debemus, magis in adversis, quam omnia sapientiæ consilia sublevat. Peto à te si quod legisti bonum scriptum

de peste, ut me moneas; quo inspicere possim. Nam ego tres meos libellos rursus in manus sumpsi. Quid autem dico de tribus libellis, cùm vix tot pagellas de informatione eorum reperiam. Multa cum multis egi per epistolas, ac Trincavellica quoque diligenter inspexi, verùm nihil reperio, in quo vel mihi vel sibi etiam magnus ille medicus satisfaciat. Cùm enim suas cogitationes de febre hectica pestilente explicare conatur, & Montani sententiam de putredine in substantia cordis refutare, valde & se & alios intricat. Cuperem videre privatas illius exercitationes de hoc argumento. Ad eas enim remittit auditores in hac doctrina, quam à te accepi. Verùm scire velim, si pestilentes privatæ, quæ absque peste homines corripiunt, eandem formam & ideam cum pestilentialibus exitiosis habent, cur non sunt ita contagiosæ? Dices, quia in his major putredo. A qua causa quæro? Nimirum quia istæ possunt vel à victu, vel ab aere in qualitatibus mutatis oriri, hæ verò nunquam nisi aer à tota substantia mutetur, vel semina pestilentiæ, id est, venenatam qualitatem ab expiratione contineant. Ad illam autem venenatam qualitatem pellendam, seu ad putredinem; quæ hausto veneno aereo in corporibus consequitur, non valent remedia, quibus utimur in putridis febribus, sed necesse est alexipharmaca adhibere, ut curationes indicant. Ac cũ seminarium ipsum in sub-

In substantiam cordis penetrat pestilentem illam exitiosam & immedicabilem,quam hecticam appellant,inducit. De his atque aliis tuas cogitationes legere cupio. Nam meas in magna festinatione explicare nunc non possum. De morbo totius substantiæ minus puto esse concertandum. Etsi temperamenta quoque suas habere formas,diversas à forma substantiæ sciamus. Ad calculum vesicæ posses experiri lacovium cum bolo. Inunctiones cum succo bursæ pastoris,& similium herbarum. Item inunctiones aquæ ex albumine ovorum destillatæ admodum commendant. Caro halicacabi condita cum sacchato commendatur. Ad catarrhum valdè bolus Tokiensis profuit. Longè eum antefero Armenæ, ut Imperatori ex Turcia etiam allata est. Instar butyri in ore dilabitur,& omnes notas veræ boli Armenæ habet. Stranguriæ medetur syrupus ex succo portulacæ & millefolii herba. Existimarem profuturum vel succos istos inspissatos cum glycyrrhizæ succo. Item frequentem usum avellanarum. Hydropicis magno successu exhibeo extractum è radice iridis. Nucem vomicam esse spongiam adnascentem frutici, & strangulantem res certa est. Tuas literas cupdissimè expecto,ut eas mittas,& me ames peto. Bene vale. Uratislau.die 5. Novemb.anno 1564.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S.D.

TUAS literas 25. Octob. scriptas accepi plenas festinationis, quibus quid respondeam propemodum non habeo. Otium tibi concedi opto, ut meis possis rescribere. Hoc verò tempore nihil velim libentius legere, quàm tuas observationes de peste. Et primùm cur non possit dici morbus totius substantiæ. Secundò, unde aër corrumpatur, cum à causis inferioribus non corrumpitur, & cur non loquendum nobis sit de causis cœlestibus, cum de aliis causis procatarcticis prolixè agant Medici, quas æque atque istas curare nequeunt. Tertiò an exspirationes morbidæ, quæ in aere continentur, item in vestibus &c. & inspiratione attrahuntur a primis qualitatibus, sint noxiæ, & putredinem exitialem inducant. Quartò, quomodo seminaria putredinis tam diu in rebus siccis & porosis contineantur. Ita ut à literis & chartis sibi Itali metuant. Si vulgaris est putredo, quomodo fovetur ibi, ubi nulla est humiditas. Si conditionem vulgaris putredinis excedit, cur damnantur ij, qui venenum appellant, qui discernunt pestilentes putridas, id est, ab intemperie aeris à primis qualitatibus mutati, vel ab humoribus pravis in corpore collectis dictas, ut sunt febres cum petechiis & papulis, à veris pesti-

peſtilentibus. Quintò, cupio ſcire, an aër ſecundum totam ſubſtantiam corruptus, ea corruptio putredo rectè dicatur. Sextò, an non ea ex quibus conſtat corpus humanum cohæreant per formam ſubſtantialem quam expellat putredo venenata, ita ut ſequatur diſſolutio, & morbus totius ſubſtantiæ. Materia certè omnis niſi à forma temperamenti vel ſubſtantiæ conſervatur ad nihilum tendit. Ea putredo quæ temperiem lædit, efficit morbum in temperie, quæ ſubſtantiam ipſam, morbum ſubſtantiæ. Septimò, an non calori naturali, qui ſuſtinet formam ſit contrarius calor præternaturalis. Non ſimplex, ſed is in quo putredo ad gradum veneni accedit. Ideoque ut cætera venena cor maximè petit. Octavò, cùm nulla materia ſit abſque forma, qualis forma ſit in putredine. Et, an nimia humiditas rectè dicatur forma, ut placuit D. Julio. Nono, An non rectè dicamus temperamentum atque qualitates in materia inſtrumenta per quam forma eſt efficax. Decimo. An non differant diſputationes Philoſophicæ & Medicæ de putredine, certè Ariſt. opponit putredinem primæ generationi. Medici cum de putredine humorum agunt de quadam ebullitione quam fuligo putrida petens cor conſequitur, ſeu corruptione ἐν τῷ γένεσθαι. Obſecro ad hæc reſpondeas. De infuſo pul. Antimonij in vino exhibendo hydropicis nunquam periculum feci, nec facturus ſum. Scio

quendam dedisse Viennæ:sed illi,quibus exhibuit paulò post extincti sunt. Elaterium nulli exhibere volui. Dedi acinorum sambuci infusum seu emulsionem magno successu. De extracto gratiolæ dixi tibi meam sententiam. Puto etiam de hyoscyomi foliis pedibus appositis me tibi dixisse Decoctum cotulæ etiam mirifice prodest, & calami aromatici ex vino, sed alius potus illis,quàm serum lactis non concedendus. Ad hydropem mirifice facit succus cochleariæ herbæ ad unciam unam quotidie sumtus.Præferunt quidam crudum eo, qui saccharo coquitur Materiam aqueam solitus sum purgare acinis baccarum sambuci in jusculo coctis,sed longe melius hoc præstant folia florum persicorum siccata,atque in jusculo cocta. Copiose enim aquas educunt,& minime molesta sunt. Est hic quædam vetula admodum annosa, ea cotidiano usu absinthii & foliorum persicorum se conservatam affirmat. Venit nunc mihi in mentem de floribus persici agenti,quod observatum est,folia violarum Martiarum sicca ventrem movere,cum humida, imò succus earum hoc parum præstet. In meo morbo paucissimis medicamentis sum usus. Initio cum catarrhus gravis esset saccharum cum ambra in ovo sorbili sumsi, sacculum etiam ex santalis, rosis atque ambra capiti imposui : Nonnunquam in magna debilitate, dilutum margaritarum cum aqua borraginiis & cinnamomi bibi.

bibi. Ventriculo imposui emplastrum ex ladano, cera atque ambra. Nunc solam ceram cum succo illo, quem Ambram humidam vocant, inspersis pulveribus ambræ adhibeo. Benè vale. Die Martini, Anno 1564.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S.D.

KAL. Maij ad me scripsisti, te brevi uberiores ad me daturum, cùm accinctus ad iter tunc plura scribere non posses. Tertius autem jam agitur mensis, ex quo tuas frustra expecto, & quid de te fiat ignoro. Quanto in luctu sim propter extinctum summum virum D. Seldium existimare potes, cùm singularis illius erga me benevolentiæ affectio tibi perspecta sit. Sed Reipublicæ damno præcipuè moveor. Legi quæ Andernacus de peste scripsit. Quomodo placeant quæris. Tàm gravem Medicum miror de re tanta ita puerili-ter nugari. Definit morbum peracutum, & quosdam pestilentes morbos sine febre esse asserit. Negat febrem pestilentem sub aliarum februm genere comprehendi. Galenus certè πεμφυγώδεις manifeste 6. Epid. sub pestilentium genere ponit, cùmque Hipp. ἰδεῖν δεινοὶ dicat, pestilentem febrem denotari air. Fuchsius hecticam esse arbitratur. Libenter autem velim de pe-

ſtilente hecticæ rationes explicatas legere, & quomodo ab inſpiratione venenata, cor incaleſcat ita hectica atque durabilis febris conſequatur. Nam de putredine ſubſtantiæ cordis plane non aſſentior Gal. vel Montano. Imo de putredine humorum in ipſo corde admodum dubito, atque rationes Trincavellicas, quas in privatis exercitationibus propoſuit videre cupio. In peſte plus valet extractum veronicæ, quam cardui. In morbo Gallico carduus inprimis utilis. Venio ad tuum ægrum, quem hydropicum futurum non dubito. Omnia igitur quæ ad præcautionem hydropis faciunt facienda ſunt. De rhabarbaro crudo edat quantum poteſt. In vinum ſummitates, vel folia roriſmarini imponat. In ferculis roriſmarinus coquatur. Lieni non minus, quam Epati in hoc ægro proſpiciendum videtur. Foris adhibeatur ventri Unguentum de ſuccis. In ictero nihil præſtantius cuſcuta reperi. Sed jam icteri cura negligenda videtur. Sal abſinthij plurimum poteſt, ſicut & ſuccus ex acinis ſambuci excoctus. Extenuatis corporibus ῥωϛικὸν illud de vini ſpiritu cum ſyrupo acetoſo ſimplici commiſtum exhibendum non cenſeo. Graviter enim offendit. παλμὸν τῆς καρδίας præcipue ſuam originem ducere ab hypochondriaca affectione pro certo ſtatuo, etiamſi quoſdam nimia copia ſangvinis gravatos, vel eos, quibus in pericardio aqua colligitur laborare minime negem. In
præ-

præcautione podagræ dum recens est morbus nihil hydropicis utilius, sive sudores, sive urinam moveant, cum soli ichores in corpore aucti & retenti atque corrupti fluxionis & inflammationis causa sint; δηλοῖ ἡ ἴκησις, cum suppressio urinæ & sudorum in iis, qui sudare consueverunt, malum præ foribus esse indicat. Itaque si lignum sassafras urinas & sudores movet, prodesse ad præcautionem necesse est. Sed morbo inveterato, & natura ita debilitata, ut continuò excrementa ad membra infima & calore exhausta deponat, nihil vel parum hoc lignum juvabit. Illud videndum cum sudorifera (id quod de ligno Guaiaci animadverti) crebro exhibita humidum radicale consumant, an non idem hoc lignum faciat. Cardui aquam bis infusis foliis in vitro destillatam obsurdescentibus auribus plurimum prodesse reipsa comperi, & meo nomine posteritati prodes. Verum tot meis scriptionibus nihil à te elicere me posse video. Tarde velle volentis esse arbitror. Bene vale. Uratisl. 10. Julij. Anno 1565.

D. Ioachimo Camerario Medico Iohan. Crato &c. S.D.

TUÆ Epistolæ, quam nuper cum iis, quas Threccius attulerat, misisti, persolui, & meas Clusio, qui attulerat dedi. Nunc cum

idem alias die meo natali, id est, 22. Novembr. scriptas adferat, hæc exaravi. De valetudine Uxoris D. Christophori video te esse solicitum. Ego superiori anno prius quàm hinc discederemus, Quæstoris nostri Aulici conjugem curabam, ea erat gravida, & omnia quæ tu in tua ægra esse scribis, αἱμοῤῥαγία verò summa. Convaluit tamen beneficio Dei, peperit, & jam nunc recte valet. Paucissimis medicamentis usus sum. Adhibui epithemata epati. Valide astringentibus nunquam usus. Nam cùm adhiberentur, maximum dolorem capitis patiebatur. De renum affectione nuper scripsi. Si est ἀναστόμωσις, poterit attrahere per nares aquam fragorum cum croco martis, ita ferrum vel chalybem ustione præparatum vocari non ignoras. Santali rubri epati prosunt: sed si de scirrho certus, humida admiscenda. Renes semper emolliendi. Medicamentis multis intra corpus gravidæ non essem molestus. In cibo & recta victus ratione plurimum spei. Si non aversaretur, Rhabarbarum darem cum conserva florum cichorij vel rosarum addito cinnamomo vel santalis. Emulsio margaritarum cum aqua fragorum & cinnamomo multum prodest, præsertim addita rasura Eboris. Succus centaurij majoris in gravida suspectus. Nec limaturam chalybis probo. Quicquid potero tua & D. Christophori causa, quem saluto, facturus sum. Unguentum viride fit ex scla-

ex sclarea in butyro cocta. Utor in hystericis inungendo ventrem inferiorem. Addidi interdum Tachan Mahacam, & animadverti esse efficacius, vel post usum unguenti adhibui emplastrum umbilico. Memini me usum Ambræ, quam vere chryseam veteribus dictam puto, in consilio contra pestem probasse, & felici successu in morbis pestilentialibus usum fuisse. Est ea dura admodum, nigricans & sulphureas maculas inspersas habens. Hanc primum accepi à nostra Augusta. Alia quoque majoris nigredinis habetur, verum longe mollior est. Eam vel in piscibus reperiri, vel fictitiam esse arbitror. Illa, quam chryseam dixi, ut sulphur nativum ardet. Non facit hoc ceneritia, quæ vulgo prostat, & optima esse existimatur. Ad ventriculum fovendum utor nunc inunctione ex medulla vitulina cum oleo nucis Muscatæ. Verum canicula adhibita magis dolorem sedat, & concoctionem, qualiscunque ea est, suo calore adiuvat. Bene vale. 5. Decembris 75.

D. Ioachimo Camerario Medico. Iohan. Crato, &c. S. D.

ABFUI domo tredecim dieb. apud Baronem N. N. qui male acceptus est à Paracelsistis. Si evaserit, est quod Deo gratias agat. Ad colicos dolores accessit Epilepsia, atq; ita vapores

ex inteſtinis & ſtomacho ſublati cerebrum vellicant, ſicut in paralyſi nervos lædunt. Sed dolorum vi frangi & debilitari ſpiritus quoque in paralyſi exiſtimo, atque ita locomotivam lædi, ſicut in furioſis videmus, qui maxima onera tollunt, deinde cum ad ſe redeunt manus attollere nequeunt. Verum de his ſcribere non vacat. Cogitationes meas de morbo conjugis D. Chriſtophori jam tibi expoſui. Cum hydrops in conſpectu ſit, jam de ſcirrho nullum dubium. Magnam igitur in debiliſſimo corpore curatio difficultatem habet libenter mitterem extractum Gratiolæ, ſed neque confulo, neque reperio nunc. De extractionibus quid ſcribam, nihil à me tibi denegabitur. Sed ſi ſiccam etiam gratiolam habes affuſo ſpiritu vini optime extrahes, deinde addita aqua, in qua Rhabarbarum ſit infuſum, ſpiritum atque aquam per balneum Mariæ detrahes, ſuccum ad modicam ſpiſſitudinem parum Maſtiches aſperſo coques. De ſambuco venit in mentem quoddam remedium, quod tibi reticere non debeo, præſertim cùm ſingulari modo aliud agens in ſcripto libro meo repererim, & certo experimento comprobatum legerim. Accipiendi ſunt flores ſambuci, & cum his contundenda eruca atque fimus columbinus, vel piper. Si ſambucus non ſit recens, aliquid aquæ ſambuci admiſcendum ac fingendum cataplaſma, idque buboni applicandum. Abjiciendum,

dum, posteaquam tribus horis jacuerit, in ignem, atque ter repetendum. Non ratione carere videtur remedium, & autor sanctè affirmat magno & manifesto successu se eo usum. Plura aliâs. Benè vale. 1. Januarij, Anno 1576.

D. Melchiori Fendio Medico Witebergensi, Hieronymus Schaller, Physicus Noribergensis, S.D.

QUOD nuper literis tuis, Vir ornatissime, non respondi, in causa fuit, quod tum multis negotiis, iisque molestissimis occupatus eram. Quare si inique tulisti meum silentium rogo ut ignoscas. Judicavi enim ea, de quibus inter nos conferendum est, sine rerum utriusque nostrum discrimine moram posse pati. Petisti à me prioribus tuis literis, ut te certiorem reddam, quid in universum de Theriaca, quam superiori anno composui sentiam. Sed ne videar tibi rem ignotam commendare, ecce subscribam obiter totam ejus Theriaces meæ descriptionem, ut tu quoq; inde certo constituere possis, quid boni ex ejus usu sperandum sit: tum etiam quam propè ad veterem illam Galeni accedat. Est autem descriptio hæc.

Trochisci Hedychroi.

℞ *Ligni aloës loco radicis Aspalathi* ℥ j ß.

Flor. schœnanthi ℥ j.

Calam. aromatic.

Consti amari, quem si non licuisset habuisse, accepissem Enulam campanam.

Phu Romani.

Asari an. ℈ ij. gr. v.

Canellæ el. ℥ vj.

Tantum pondus canellæ loco & cinnam. & cassiæ positum est.

Rad. acori aromatici loco amomi teste Avic. ℥ iij.

Amaraci, id est, majoranæ tenuifoliæ ℥ ij. ß.

Rad. spicæ nardi ℥ ij.

Macis loco Malobatri teste Avic. ℈ ij. gr. v.

Galenus loco folij ponit Nardum.

Myrrhæ elect. ℥ iij.

Mastich. ℈ j. gr. v.

Rhabarbari loco pontici,

Croci an. ℥ j ß.

Cum vino albo fiant trochisci.

Sic quoque trochisci scillini juxta Galeni mentem magna cum diligentia sunt præparati.

Trochisci viperini omissi sunt, in quorum locum non suaserim, ut accipiantur absurdi illi pastilli dicti trochisci loco trochiscorum de Tiro, à Venetianis Medicis olim substituti. Præterea mihi penitus persuasi, neque id sine ratione, imò cum autoritate Galeni, Antidotum hanc si ex rebus efficacibus debite præparetur,

fetur, etiam absque carne viperæ omnia posse, quæ ab antiquis ei attribuuntur, hoc solum dempto, quod in morsibus viperarum non tantum auxilij præbeat. Sequitur tota compositio, sicut à me est confecta.

℞ *Troch. scillinorum* ℥ xxiiij.
Hedichroi, quos Arabes Alindaracoron vocant.
Piperis nigri.
Lacrymæ papa. Thebaici an. ℥ xij.
Canellæ loco & cassiæ & cinna ℥ xv.
Rosar. siccar.
Scordij, non Cretici, sed quod hortus meus profert haud pœnitendæ qualitatis.
Sem. Napor.
Irid. Illyricæ.
Agaric. elect.
Succi liquiritæ.
Olei charyophyll. quod locum Balsami ad summum obtinet, in caliditatis tamen temperamento longe excedit balsamum. an. ℥ vj.
Myrrhæ.
Croci.
Zinziber.
Rhabarbari, loco pontici.
Rad. pentaphyll.
Nepetæ.
Prasij.

Sem. petroselini, non Macedonici, sed apud nos in locis sylvestribus provenit, semen est exiguum, sed insignibus præditum qualitatibus, sicut mihi ex dissolutione partium ejus patet.

Stœchad.

Costi amari.

Piper. albi, immaturi scilicet. longi Dictamni Cretici veri, folium habentis acre, lanugine prorsus obductum.

Schœnanthi.

Thuris.

Resinæ laricis, loco terebinthi. Nã in promptu fuerit: ita tamen vetustate exoluerat, quòd jam quodammodo sicca apparebat, resolutis scilicet aqueis & aereis partibus.

Nardi Indicæ an. ℥ iij.

Polij.

Seseleos.

Storac. calamit.

Sem. Nasturtij loco Thlaspios. Nam hactenus non vidi herbam quæ Thlaspi per omnia responderet.

Ammi.

Chamædr. flosculo purpureo.

Chamæpith. sive ajuga.

Succi hypocistid. In hoc succo ut verum fatear, satis & dubij & difficultatis est.

Macis, loco Malobathi.

Nardi Celticæ.

Rad

Rad.gentianæ.
Sem.anisi.
Fenicul.

Boli Armenæ, summo ingenio ablutæ & præparatæ, loco terræ illius sigillatæ & albæ, & subcitrinæ, quæ hodiè mera impostura sunt. Nam cùm bolus Armena à Galeno ita extollatur, & nos ejus vires insignes indies experiamur, cur ergò illam non sumerem potius, quàm incertum illud lutum?

Chalcanti torrefacti, juxta Gal. mentem, sicut colorare antidotum possit. Accepi autem chalcantum loco chalcitheos illius fossilis, cujus venæ, quod mihi constet, nullibi hodie extant, ipsis tamen viribus non differt chalcanthum à chalcitide, nisi majoris & minoris discrimine, tum etiam ratione puritatis, & impuritatis.

Phu Romani.
Hyperici.

Acaciæ. Hîc coactus sum sumere succum illum agrestium prunorum.

Gummi arabici.
Cardamom. an. ℥ ij.
Rad.acori aromatici ℥ iiij.

Obamomum, & semen balsami, quibus semper carere cogimur, adauxi pondus acori aromatici.

Sem. Dauci, non cretici, sed nostratis.

Galbani.
Sagapeni.
Succi panacis Herculei.
Asphalti.
Castorei.
*Centaur.*min.
*Aristoloch.longæ veræ.*a.℥j.
Mellis despumati opt.℔.iij.
Vini Cretici *q.f.scilicet circiter* ℔.xv. *f. secundum doctrinam Galeni commixtio.*

Veteres ratione carnis viperinæ & opii in theriaca ætates maximè observarunt. Nos solummodò opium observare convenit, quod ubi crudum, ut ita loquar, & gravem odorem remiserit, statim incipio uti hac mea theriaca. Accelerat enim fermentationem ipsum oleum garyophyllorum, ac stupefacientem opii qualitatem propè diem reprimit sua intensa caliditate, astrictione, & vi aromatica. Quare ab ejus usu non abstineas, hoc tamen inprimis observato, ne quis ipsam benè purgato corpore sumat. Potenter enim dissolvit humores. Sic enim cum laude indies illa apud meos utor, quòd jam cogar novam moliri compositionem, quæ in multos annos sufficiat. Porrò non abs re me fecisse æstimes, quòd oleum caryophyllorum loco balsami antidoto imposuerim. Video enim in theriacis Arabum basin obtinere garyophyllos, ut quibus proculdubiò prospecta fuit vehemens, insignis, &

nis,& nobilis ipsorum natura, quæ superare, excepto cinnamomo, omnia reliqua aromata facilè videntur. Hoc oleum etiam præstat vulneribus,ut illotum dolorem, si mox indatur,statim sedet,& absque inflammatione ad cicatricem perducat. Sordida mundat ulcera, fluxiones,& virus sistit adeo, quod nihil suprà. Soleo quoque eo uti feliciter in quartana febri, in chronica debilitate ventriculi,in Diarrhæa,& ejusmodi morbis,in quibus calefacere, astringere, & roborare convenit. Ultra guttulas duas aut tres raro exhibeo in vino. Non innatat, sicut reliqua olea solent, liquoribus modo concutiatur, sed fundum petit,in modum lacrymæ balsami, ac subsidit. Tu ejus specimen à me accipito benevolo animo, & utitor cùm discretione. De Mucchato rosarum,uter melius confecturus sit certabimus ad futurum semestre, Deo concedente. Interim felicissime cum conjuge honestissima vale, ac omnes amicos diligentissimè saluta. Norinbergæ. Martij die 24. Anno Christi 1538.

Iohanni Cratoni Med. Cæsareo, &c. Manlius Constantinopolitanus.S.D.

BRUDUM Lusitanum,medicorum hujus regionis facilè principem, & Sultanicis aromatibus præfectum, de lapide Bezoar, de ter-

ra Lemnia ac bolo Armena aliisque id genus, jam aliquoties sum allocutus. Itaque quæ ille copiose; sed tamen confusius, narrare solitus est, ea si meo more astrictius, &, ut arbitror, ordine paulò meliore tibi viro doctissimo referam, voluntatem meam & studium boni consules. Rem autem judicabis, ut voles. Ajebat lapidem hunc apud Indos in masculorum caprarum, non stomachis, aut cordibus, aut oculis, contra quàm alii volunt, sed vesiculis feliis nasci. Temperamento esse, juxta suum quidem judicium, frigidum primo gradu versus secundum, siccum in medio secundi, & ultra, ita enim ajebat. Revera autem de siccitate visus est mihi dubitare, quum nunc in principio, nunc in fine secundi gradus eum siccum faceret. Perstitit tamen in medio secundi, & ultra, ut jam dixi. Roborare virtutem vitalem, atque adeò adjuvando vim expultricem cordis, prolicere sudores, facultatem ejus alexipharmacam etiam contra ipsum Napellum ab aliis satis decantari. Se expertum præter hæc, initio febris pestilentialis magno cum ægrorum commodo exhiberi: in augmento verò datum, non tantùm non juvare, sed nocere etiam. Laudari quoque ab aliis in epilepsia, palpitatione cordis, deliquio animi, adde & calculum renum atterere. Accepisse se à nonnullis fide dignis, multum conferre pleuriticis & peripneumonicis. Quam tamen illi experientiam jacta-

jactarent, se nondum esse consecutum. Dosin esse à granis iiij. ad grana xij. Plura ex homine jam sexaginta quinque annos nato, & variarum profectionum jactato periculis, & admodum, ne suis verbis, tanquam per nasum, capiatur, ut vulgus loquitur, cūircspecto, elicere non potui. Mox sciscitanti plura, Nicolai Monardi, medici Hispalensis, de simplicibus indicis Hispanicè conscriptam farraginem, nimirum malum cibum in os famelicum objecit. Sed cur, inquam, tam parva quantitate medicamentum hoc corroborans ac alexipharmacum, & quasi trepidanter sumitur. omnibus suis facultatibus, ut putatur, innocuum? An verò Lusitano illi medico Abrahamo, qui in India aliquot annis egit, accedendum putas, qui à Regulis ipsis ibi lapidis hujus drachma una ad expurgandam infernè bilem atram sumi asserit. Idem ego, inquit ille, frequenter in Lusitania audivi. Quod vero ad reliquas facultates attinet, nimis sunt fabulosi, & verborum prodigi authores in eo exornando decantandoque. Hactenus Brudus. De quo, si Chainum audieris, mox tuo arbitratu statues eruditissime Crato, & litem hanc inter tot clarissimos medicos, clarissimus medicus dirimes. Quid ergo Chainus? Lapidem hunc in cordibus caprarum sylvestrium in India reperiri, temperatura non frigidum & sic. um, non maximè calidum, non maximè frigidum, quod multi arbitrantur, sed symme-

trum in calore & frigore, quum neutra harum qualitatum corpus afficiat, ac venenis resistat, cùm calidis, tum frigidis, spiritus cordis maxime reficere, substantiamque ipsius corroborare proprietate occulta, seu facultate bezoartica, ut loquebatur. Et adversus cordis palpitationem conducere, non tenuium partium ratione, sed certa proprietate ipsum cor respiciente, quum nimirum in cordibus illarum caprarum reperiatur, ac experientia comprobatum sit, quasdam brutorum partes similibus hominum partibus ratione similitudinis conferre. Nec exhibendum in febribus non malignis, nisi post universales evacuationes, ac exobstructiones, alioqui agitare humores peccantes, & fieri vehiculum ipsorum ad locum affectum. Tempore igitur opportuno propinandum esse tantum modo, ad ipsius cordis corroborationem. Cæterum in pestilētialibus febribus eandem cum Brudo distinctionem adhibebat. Quod si istis Abrahami illius Lusitani, mihi hîc familiaris, sententiam tribus verbis expressam adjicimus, nempe, hunc lapidem in stomachis caprarum sylvestrium, ex certa herba nostris regionibus insueta, in Persia tantum, & insula dellas vaccas, Indiam versus gigni, & ad pestem hoc ipso facere, quod cor, exacto inde humore melancholico, corroboret, nec expellere malum per sudorem, & Persas ac Indos

dos bis in anno exigua ejus quantitate assumpta purgari; hæc,inquam,si corollarij vice superioribus addimus, ac cum his rursus ea conferantur,quæ à nobis aliàs ad te perscripta sunt, apparebit liquido quam isti non universi tantum inter se, sed singuli etiam secum reipsa dissideant. Quid vero ego mecum,dum ista audivi? Discedo incertior, quàm prior,ut Terentianus ille ajebat. Hic tu vir doctissime nodum istum Gordianum ense acuminis doctrinæ tuæ solue si videtur. Nam mihi certe quod de avibus Bernacis narrant, miracula semper longius fugere,& quod peregrinis recens Hierosolymis,aut è novis insulis reversis, accidere solet,ut cupiditate novarum rerum audiendarum irruentis quasi populi concursu opprimantur,quos postea appetitu illo extincto, vix quisquam salutare dignetur,idem in hoc lapide usu venire apparet. Magna res est , clamant omnes,magna certe,sed certi nihil. Et tamen non est nihil,quod tum de hoc lapide, tum de terra Lemnia , aliisque nonnullis hic compertis,exiguo scripto , quod nunc est in manibus possim admonere, nisi tuam tuique similium, omni exceptione majorum virorum audire sententiam potius, quam meam proferre mallem.Bolum Armenam orientalem , ex Armenia,& non è Lemno huc afferri asserit Brudus, & cum illo idem asserunt omnes quotquot hactenus audire potui.Nec possũ non mirari illos

doctiſſimi Matthioli Mercatores. Fatetur Brudus non eſſe illum Galenicum; ſed tamen viribus illi non admodum diſſimilem facit. Terræ Lemniæ fruſtula pauciſſima habeo ſubrubentia, à Lemnio Epiſcopo huc allata, & ab amico ejus mihi data dono. Ejus ſpecies tres recenſet idem Brudus, quarum optimas, rubram & rubeſcentem, tanquam captivas ſepte Sultanico includit, tertiam albicantem ſervulorum & coquorum, præſertim furacibus manibus in libertatem vindicari dicit. Terra Caſſenſis in balneo pauxillo aquæ calidæ diſſoluta, locis piloſis, ante Philothrum, ne id nimium urat, inungitur. Mox ubi pili evelli incipiunt, calida totum abluitur, aut frigida, ſi nimium uſſit ipſum Philothrum. Hæc igitur ad te excellentiſſime Crato, ut juſſiſti, quæ ſi nimium ſunt tenuia, culpabis barbariſmum hunc, in quo degimus, locum, præ quo Tomi Ovidiani Athenæ videri poſſint. Vale, & me ama.

Iul. Cæſar Arantius, Med. Bononienſis, &c. Laurentio Scholzio Med. S.D.

CUM tabellarius Patavinus ad nos rediens, nullas mihi abs te literas tradiderit, id contigiſſe ſum arbitratus, quod in itinere diutius fueris, Pataviumque nondum perveniſſes. Eo igitur hinc diſcedente, nolui committere, quia

quin has ad te literas deferret, ut quid post tuum discessum hic actum sit, innotesceret. Doleo primùm maximè quod toto Martio mense apud nos non fueris. Nam cùm hinc, ut arbitror, decima nona Martij recessseris, ecce quòd vicesima quarta ejusdem gravida mulier expletis omnibus numeris in utero fœtum continens, ex syncope, qua vexari non rarò consueverat, jam imminente partu, inter prandendum periit, paucoque interposito spacio accersitus, ea spe ut viventem fœtum secto ventre extraherem. Cùm igitur eam omnino decessisse perspicuum esset, Deo adjuvante, fœtum marem, adhuc motu cordis aliquo præditum, extraxi, sacramentoque Baptismatis insignitus est, sed, ô bone Deus, quam cupiebam te meo lateri tunc adhærere, quemadmodum ex tuis condiscipulis aliqui interfuerunt. Facilè enim, quæ in commentario meo scripsi, undequaque veritati respondere conspexisses. Ad hæc vicesima octava ejusdem mensis, facinorosus quidam suspendio mulctatur, in quo præter cerebri, oculorum, & instrumenti auditus anatomen, pleraque alia obiter, quantum pro aeris tepore licuit, administrata in discipulorum gratiam sunt. Vide obsecro quanta acciderint. Quasdam etiam notatu dignas curationes prætermitto. Interim me certiorem reddes, cui capsulam, in qua imago musculorum recondita est, tuo nomine resignari velis.

D. Franciscus ad S. Victorem salutem plurimam tibi dicit. Ipse verò tibi omnia secunda cupio. Benè interim vale, & me, quod facis, ama. Bononiæ quarto Nonas Aprilis, anno 1579.

Andreas Dudith ab Horekowiza, Cons. Cæs. &c. Laurentio Scholzio Medico S. D.

PERGRATÆ mihi literæ tuæ acciderunt, ab optatissimo homine allatæ, cui propemodum plus debeo quàm tibi. Nam, ut tu ipse significas, nisi ille magnopere institisset, ne scripturus quidem ad me fueras. Sed ut ut est, gratiam tibi habeo. Probo consilium tuum, quod propius ad nos accesseris. Id, & tua causa, & mea, lætor te fecisse: tua ob easdem, quas attigisti causas; mea vero, quod te in hac vicinia longè mei magis fore memorem confido, quàm in illis locis fueris, ex quibus istuc commigrasti. Gratias tibi ago de communicatis duobus tuis experimentis. Etsi non totam mihi rem explicasti. De Aëtite lapide sic opinantur mulieres, & ego in primo prioris uxoris meæ partu, qui & difficilimus, & periculosissimus fuit, persuaderi mihi passus fui, ut utrique ejus femori alligandum curarem, alter etiam gravidus erat. hoc est inclusum in se alium lapillum habebat. Id quod ex strepitu, quem

quem manu tremula agitatus edebat, satis perspiciebatur. Atque hoc quidem genus altero illo longe efficacius esse prædicant. Quid quæris? partus feliciter processit, idque exigua mora interposita. Neque id tamen ego lapidi potius, quam aliis medicamentis, quæ multa ab obstetricibus & circumcursantibus fœminis adhibebantur, tribuendum censeo. adde quod tempus jam aderat, quo etiam nullo apposito remedio, natura infantem extrusisset. Equidem non magnam hujusmodi medicinis fidem adjungere soleo, multis de causis; tum experientia etiam ipsa adductus, etsi non nescio eos quoque, qui plenam hujus generis remediis fidem habent, eandem experientiam jactitare, quibus ego idem, quod astrologus, respondeo. Si ab experientia testimonium sit petendum, causa eos cadere. Uni enim alicui experimento, quod ex illorum sententia forte cessit, mille alia opponere possum, in quibus spe inani, nullo fructu consequente, superstitiosuli homines eluduntur. De corde leporis idem fere judico, quod de multis, quæ ab occulta proprietate mirabilia quædam in certis morbis efficere passim affirmantur: quæ ipsa quoque si quis diligenter observet, majore ex parte, commentitia esse experietur. Quod autem addis de numero ternario, si quid effectum est, id equidem nulli numero, sed potius

alijs illis, quibus præparasse te scribis, tribuendum censeo. Quid obsecro, in numeris virium inesse possit per se, quod efficacitatem habeat? ortum id est totum ex Pythagorica illa superstitione, & ad nostram usque ætatem propagatum. Sed de his malo tamen tuam sententiam audire, præsertim si bonis, & firmis sit rationibus munita, ex philosophiæ & medicinæ fontibus derivatis. Bassiani Landi lectiones in Aphorismos Hippocratis si accepisti à medico illo, cujus mihi literas ostendisti, rogo ut eas mecum communicare ne graveris. Quod si nondum accepisti, da operam rogo, ut quàm primum tibi mittantur. Crede mihi nihil illo homine fuit in Italia elegantius, sive methodum, sive doctrinam ipsam spectes, non te hujus laboris pœnitebit. Cupio videre tuum Arantium de vulneribus capitis, aut quicquid ejus habes, præter illum aureolum libellum, quem edidisti. Item pergratum mihi feceris, si mihi adhuc inspiciendi dabis Capovaccij de Veneris, & putredine scriptum. Vellem etiam scire, quomodo unguenta exterius illita, possint penetrare ad partes affectas intimas per tot ambages, & anfractus. Si quid habes vel scriptum, vel impressum in hac materia, rogo ut mittas, mihi magnum restat dubium. Si quam quoque nactus es ab amicis tuis, pulchra de re aliqua, vel ad Philosopiam, vel medicinam pertinente, disceptationem, rogo mecum ut eam com-

communicare ne gravere. Scio undique ad te multa mitti, quæ quum nobiscum esses, humaniter mihi ostendebas. Non dubito doctorem Monavium etiam ex aula sæpè ad te scribere solitum, & talia multa ad judicium tuum referre. Hoc nihil mihi facere gratius potes. Ego vicissim, si quid causa tua possum, amico & benevolo animo, atque impigrè faciam. Vale, meque ama, & domino Bucholzero plurimam salutem dicito. Ex tua nobilissima & elegantissima patria, 24. Julij, anno 1583.

Iohannes Crato Med. Cæs. &c. Laurentio Scholzio, Med. S. D.

SI possem esse ut volo, nihil facerem lubentius, quàm tibi tuisque similibus, quos, ut par est, amo & de illorum studiis præclarè sentio ad ζητήματα Medica responderem; verùm cùm me aula durius, quàm velim exerceat, & curarum onus gravius, quàm vires meæ patiantur premat, quæso σχεδίασμα hoc boni consule. Medicamentum illud non est Helidæi, sed Nicoli Florentini, qui si rectè memini ex continente Rhasis descripsit. Sangvinem ex illius usu crassiorem fieri constat. Sit ne autem hæc vera intentio in curatione sputi sangvinis, sive rupta, sive exesa vena sangvis rejiciatur, ipse existimare potes. Ego usum diuturnum chamædrios longè huic Electuario præfero, & ipsum

Helidæum timidius illud exhibere, etsi ut sua omnia ex Nicolo desumpta magnifaceret, & venditaret, animadverti. Non erat solide doctus Helidæus, sed usum artis magnum, propter hominum opinionem, sibi comparaverat. Fit enim maximus concursus ad illos Medicos, quorum opem ij, qui sapere videntur, licet interdum egregie desipiant, & stolidæ credulitatis pœnas dent, utuntur. Benè vale. Pragæ è Regia. xv. Decemb. Anno 1579.

Iohannes Crato, Med. Cæs. &c. Laurentio Scholzio. Med. S. D.

GRATIAM tibi habeo cùm mei memoriam retines. Nil ego amplius facere possum, quo vel mihi, vel aliis prosim. Ἀπορία tanta, ut ne excogitare quidam aliquid, quo paululum recreer, concedatur. Catarrhus acerrimè me urget, & singulis diebus, imo horis propemodum ad vitæ exitum vocat. De Erica puto me tibi dixisse. Reperitur in multis veterum libellis, & tutissimum remedium esse arbitror. Non feci periculum, neque scio qui ea sit usus. De Nobili fœmina quæ significas, non dubites eam laborare Melancholia hypochondriaca. Varius & difficilis est hic morbus, & sæpe indicationes curativæ miscentur. Rectius emplastris, quæ me scis adhibere ex ladano & cera, quæ calefaciant & hume-

humectent uteris. Ad balnea, fomentationes & unctiones istas varias nondum devenirem. Bene factum quod in meo libello vertendo operam non sumsisti. Litigant nunc de eo Typographi Norinbergenses & Francofurtenses. Hæc concivit D. Monavius, qui nimis magnam potestatem sibi in meum libellum sumsit. Latinum quoque scriptum est Francofurti editum. Eo me suis quæstionibus D. Monavius redegit, ut duas epistolas libello addere fuerim coactus. Pestis Pragæ præcipuas summorum luminum Aulæ familias invasit. Itaque magna trepidatio. Quid hîc fiat nescio. Inter chirurgos summas contentiones esse scio. Male igitur de ægris agitur. Meæ ædes in majori sunt periculo propter vicini malum. Deus nobiscum sit in tribulatione & eripiat nos. Nihil possum scribere amplius, parcendum est seni, & qui ea curat tantùm, quæ ad brevi morituros spectant. Bene vale. Uratislaviæ vij. Octob. Anno 1585.

D. Iohanni Hermanno, Principis Bregensis Medico, &c. Casparus Hoffmannus, Medicus Elect. Brandeburgensis &c. S. D.

QUOD ad humanissimas literas tuas non illico respondi, non id accidit imminutione benevolentiæ, aut remissione observantiæ

meæ erga te, ſed quia multis, iiſque moleſtiſſimis occupationibus diſtractus & impeditus fui, ut alia quoque neceſſaria officia deſerere coactus fuerim. Quæris autem quid ſentiam de medicamentis Paracelſicis? Quid ſanè aliud agunt iſti, qui ejuſmodi remediis utuntur, quàm quòd humidum radicale violentis ſuis remediis depopulentur, ac pro eo mordaces & rodentes humores corpori inferunt, caloremque alienum in corpus invehunt? Extollant alij quantum velint oleum vitrioli, & vitriolatas tincturas, quas pro margaritis, corallis, & lapidibus precioſis Principibus ad pauca reſpicientibus (placet enim color lucidus, & ſapor acidus) iſti cum magnificis præconiis exhibent. Ego tot documentis & exemplis edoctus, non facilè autor ero cuiquam, multo minus Principibus ſuaſor eſſe velim, ut uſurpatione temeraria & crebra iſtarũ rerũ rodentium, quiſquam ſe diſcrimini objiceret. Vidi qui à multo uſu vitriolatorum iſtorum corroſos pulmones calore vitrioli ejecerint. Alteri epar diſſolutum fruſtulatum excretum putabatur. Audivi quoſdam morti proximos lamentabiliter deplorare temeritatem ſuam, & magnis vociferationibus deteſtari ſeipſos præ dolorum immanitate, & interiora ſibi uri & rodi ſubinde clamaſſe. Pictor quidam egregius apud nos podagram ſe depulſurum ſperans, in uſurpando oleo vitrioli ſedulus erat. Verùm ante obitum in po-

in poris omnibus per totam superficiem corporis, veluti cuspides acuum pungentium sentire se miserabiliter conquerebatur. Porrò Antimonij,& vitrioli nomine jam propemodū senescente, alia emergunt magnalia, videlicet, primùm ens sulphuris, liquores margaritarum, corallorum, tinctura solis (quæ, nisi me lingua & nares decipiunt, ex camphora est) ac multa insuper alia sunt, quæ arrogans illa & ignara chymica turba, (sed ad imponendum eruditissima) magnis præconiis & gloriis ornat & vanissimis jactationibus celebrat. Talibus impostoribus ignotis, imò etiam adverso rumore laborantibus nonnulli Principes nunc sua committunt corpora, non adhibitis, atque etiam spretis reliquis Medicis. Sed faciunt id suo periculo,& brevi exitus acta probabit. Verùm de his nimis multa. Vale Datæ Francofurti 1. Jun. Anno 1575.

Dn. Andreæ Dudithio, Cons. Cæs. &c. Petrus Monavius, Med. Cæs. S. P.

TUis, quas primas accepi omnium, easque exoptatissimas, nuper adeo respondi: interea aliæ ad Fratrem meum allatæ sunt, in quibus, ut denuò ad te scriberem, mihi occasionem præbuisti. Rogas de stibio, sive antimonio, num illius usum ita perniciosum esse di-

cam, ut plerique censent? Hoc mihi videtur camarinam movere velle, quam immotam relinquere melius esse adagium pronunciat. Non enim te latet, quanta cum animorum contentione controversia hæc à summis ingeniis nostro tempore agitata & pertractata sit, aliis hoc, aliis aliud affirmantibus. Dicam tamen, quando ita vis, quantum ejus in præsentia in mentem venit. In stibio igitur duplices facultates non incommode statuimus, Manifestam unam, (liceat enim nunc ita appellare) occultam alteram. Quod ad priorem attinet, non dissentiunt à veteribus moderni. Omnes enim fatentur vim ei inesse, V.g. refrigerandi, siccandi, astringendi, reprimendi. Unde etiam recte ad ulcera à sordibus repurganda, eaque consolidanda, & ad cicatricem perducenda adhiberi potest περὶ καθαρτικῆς δυνάμεως, quam recentiorum quidam præterea illi tribuunt (cùm veterum nullus, quantum constat, illius meminerit) non item una est omnium sententia. Neque verò hic tam quærimus, an omnino purget, hoc est, humores è corpore vi expellat (illud enim experientia satis superque testatur) quàm qualinam facultate illud præstet, & an tutò assumi queat. Purgantium certe quæ proprie hoc nomine donantur, non una est differentia, & quanquam omnia irritando & stimulando naturam (de quo & ipso lis nondum est composita, obtrudentibus plerisque

tisque etiam ex recentioribus nescio quam electivam humorum attractionem) hoc suum officium exsequantur: diversi tamen nihilominus in illis gradus reperiuntur, quos inter sese distingui necessum est. Itaque stibium magis maligna & velut venenata qualitate, qua naturæ adversum est, purgatorium evadere censemus. Indicio est vehemens illa, atque violenta commotio, qua exigua etiam quantitate, & paucorum granorum numero assumptum, tum per superiora, tùm per inferiora vacuat, & præterea symptomata, quæ sequuntur atrocissima, puta ventriculi subversio, inappetentia, mali pulsus, virium dissolutio, syncope, & id genus alia. Unde jam de altero quoque paulò ante proposito capite constat, nimirum, minus tutò illud intra corpus deglutiri posse. Etsi autem Magistri scholæ Paracelsicæ pro sui defensione dicant modo enumerata incommoda à crudo tantùm non autem à legitime correcto Antimonio pervenire, quærendum tamen rursus videtur, num præparatio illa, qua ipsi uti consueverunt, hujus medicamenti malignitatem prorsus tollat, & an potius ignium vi illa acuatur, quàm imminuatur. De quo si placet alias plura conferre licebit. Nunc enim tempore excludor. Itaque abs te peto, ut rudiora hæc, nec, ita ut decet, elaborata pro solita humanitate tua excipias. Plane enim silere ad tua interrogata nequaquã decuit. Vale. Uratisl. 12. Julij. an. 1578.

Domino Andreæ Dudithio conf. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S. D.

DUBITARE te de quibusdam in positionibus meis affirmatis significas, ne ab experientiâ refellantur, ut pote, quòd a veolis eorum, & radicibus, atque etiam appendicibus inserui. Ego verò vel ad hanc ipsam provocare ab iis, qui diversum sentiunt, non erubesco: præsertim cum testes, ut puto, fide dignos habeam Vesalium & Columbum: quorum uterque idem mecum manifeste asserit. Planè autem pernego neruulos ab imis radicibus ad basin usque per medium dentem propagari. Hoc enim non tantum contra rationem est, & naturæ providentiam, quæ nusquam solet mollia corpora, (quales hi nervuli sunt, ex tertio pari nervorum cerebri derivati) durissimis copulare absque aliquo medico: verum etiam ipsa experientia contradicit. Nemo enim est, qui hujus rei periculum facere non possit, videlicet, partem dentium superiorem, quæ nuda est & exerta, nequaquam sentire, sed illam duntaxat, quæ intra gingivas latet, potissimum tamen circa radicem, ubi nervus in membrana desinit. Quæ Mercurialis de compositione Medicamentorum in medium protulit: nuper quoque penes me esse negavi. Credo tamen nos, si opus sit, habere posse. Sententiam meam de

stibio,

stibio, quam puto multis, iisque firmis rationibus munitam, & subnixam, tibi non plane improbari lætor. De experientia mea nihil hac in parte magnifice prædicare queo: assentior tamen facile iis, quæ temet observasse scribis, & quorum testis es αὐτόπτης. Interea tamen hoc mihi in mentem venit; Talia medicamenta, quæ tam magna vi agunt, sæpe symptomatis magis mederi, quam morbis, & plerumque aliquid malignitatis corpori imprimere, quæ paulò post sese demum prodit. Nostra, fateor, remedia, sæpe minus citò opem ferunt, & pluculum molestiæ in assumendo adjunctum habent; hoc tamen vere affirmare ausim, magis tuto semper administrari posse, quàm Paracelsicorum illa in igne & fornacibus exusta pharmaca. Ac, nisi fallor, quæ de militia laudatus Imperator crebro in ore habuit, etiam ad medicinam nostram accommodari possunt: σπεῦδε βραδέως. Ἀσφαλὴς γὰρ ἐσ' ἀμείνων ἢ θρασὺς ἰατρός. Naturam certe, ut dominam & magistram, in omnibus imitari studiose oportet, cujus actiones, ut vulgo dici solet, omnes fiunt paulatim. τὸ δὲ πολὺ παντὶ φύσει πολέμιον. Non semel hoc etiam audivi, dum Basileæ fui, à fide dignis hominibus, qui publice idem profiteri non erubescunt; Quotquot Paracelsus ille magnis morbis, remediis suis vulcaneis, aut, ut ipse vocat, spagiricis, liberaverit, eos ferme omnes intra annum, aut saltem paulo post, inte-

riisse: ut ut sese egregie sanitati restitutos existimaverunt. Sed de his quidem in præsentia satis. Non destituuntur officinæ nostræ radice Mechoacam, tantopere celebrata, ut tu putas, imo etiam extractum ejus habent, cujus usus minime rarus est. Est ita quemadmodum dicis: parum molestiæ sumentibus exhibet; sæpe tamen propter tantam locorum intercapedinem minus integris viribus ad nos defertur. Vale. primo cal. Octob. Anno 1578.

Domino Andreæ Dudithio, cons. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S. D.

DESTITUTUS hactenus scribendi materia, nolui te inanibus meis legendis frustrà occupatum reddere. At nunc suppeditato in proximis tuis ad fratrem argumento silentium rumpere placuit, præsertim cùm tu id à me fieri pro jure tuo postules. Quæris verò ex me, Quidnam de potu illo sentiam aquæ coctæ, quem vini loco, à quo, nisi fallor, natura abhorres, substituis? Ad quod problema summa meæ responsionis hæc esto: Non videri mihi ab ea consuetudine temere recedendum, cui tot jam annos continuo inhæres, & quam tibi insalubrem non fuisse reipsa huc usque expertus es. Etsi verò rationes quædam in contrarium adductæ, te nonnihil perturbant, nisi tamen plane fallor, eæ tanti momenti non sunt, ut pro-

propter illas tam longi temporis consuetudo subito immutari debeat. Ignem, ais, subtilioribus partibus resolutis, & in vaporem atque halitum conversis, aquam crassiorem, impuriorem, & magis crudam reddere, ita ut ad penetrandum illa ineptior multo fiat. Ego paulo aliter, nec fortasse sine ratione statuo. Dubium enim mihi non est, per coctionem ea incommoda maxima ex parte tolli, quæ aquæ simplici antea haud pauca & parva inerant. Primum enim frigiditas nativa διὰ τὸ ἐμπύρευμα elixationis ope impressum, multum retunditur, & corrigitur. Deinde partes fæculentæ & terrestres, si quæ sunt, vi ignis separatæ in fundum subsidunt, ut puriorem ac leviorem, quàm ab initio erat evadere prorsus sit necesse. Quin etiam per spumam in superficie post ebullitionem collectum aliquid impuritatis aereæ secernitur. Quod autem metuis ne subtiliores, & nobiliores partes penitus exhalent, ei incommodo duplici remedio facile occurri potest, si nimirum, primo loco fictilis olla, in qua aqua coquitur, operculo, ut fieri plerumque assolet, superne muniatur, ac ipsa aqua lente ita decoqui permittatur, deinde si, ut te facere significas, mellis aliquid admisceas, quod propter suã viscíditatẽ & tenacitatem, ut de detergendi facultate sileam, aquam minus evaporare sinit, & substantiam illius vehementius resolui prohibet. Jam si præterea etiam cinnamomi non-

nihil injicias, planè tibi affirmo talem potum multum facultatis & roboris ad tuenda viscera, quæ aqua bibita per se quodammodo debilitaret, acquirere, ac in alimentum medicamentorum transire, quo de genere Hippocrateum illud in scholis frequenter jactatur: ἐν τροφῇ φαρμακεία ἄριστον. Possunt autem pro diversis scopis, & alia quædam interdum non inutiliter admisceri, utpote caryophylli, corroborationis gratia, ita succus absinthij, buglossæ, lactucæ, violarum, si ventriculum respiciamus, aut cor, vel somnum accersere, sitimque potenter sedare velimus. Sin tussis molesta sit, aut pectoris alia vitia, glycyrrhiza incocta proderit, & ratione jecinoris passulæ & similia alia. Quorum omnium vires per decoctionem in aquam migrare, & non evanescere penitus, ipse sapor, si quicquam aliud, abunde sanè declarat, & commonstrat. Cùm enim ipsa ex sua natura omnis peregrinæ qualitatis expers sit, & substantiæ tenuis atq; liquidæ, non difficulter rerũ in ea aliquandiu maceratarũ incoctarũve facultates in se recepit, & imbibitas per corporis molem deducit. In deligenda verò aqua, quod alterum quæstionis bipartitæ caput erat, fontana potissimum probatur, quæ limpidissima sit, pura & pellucida, nullumque saporem, aut odorem extraneum referat, atque quo ad substantiam, tenuissima & levissima. Post hanc fluviatilis proxi-

proximè palmam meretur, eaque inprimis, quæ versus ortum, aut meridiem dimanat, & longè à civitatibus hauritur. Quidam pluvialem collaudant, eam nimirum, quæ cum tonitru è nubibus descendit, utpote satis percolatam, & purificatam. Sed hujus copia hyberno tempore minime suppetit. Quæ porro ad præparationem coctionis, & quantitatem illius, miscendorumve proportionem spectant, non dubito, quin antea ex tam longo usu, & exercitatione noris optime. De his itaque verbum in præsentia nullum dedita opera facio. Vale. Uratisl. Elysiorum. 24. Maij. Anno 1579.

Domino Andreæ Dudithio, cons. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S.D.

GAUDEO tibi sententiam meam de aquæ coctione non displicuisse, quam ego si non veram, at verisimilem saltem esse puto. Quod autem fontanam attinet, omnes pene unanimi calculo medici eam probant, quæ ad orientem decurrit, & ex alto dilabitur per petras, per arenas, aut etiam terram liberam, hoc est, nulla labe, quam peregrinus sapor aut odor facile arguit, infectam. Talis enim si sit, humiditate, tenuitate, ac levitate cæteris præstabit, cito tum calefiet, tum frigefiet, ac præcordia etiam celerrime pertransibit, & ventriculum qàm minima molestia afficiet, quæ omnia

aquæ salubris, & ad potum expetendæ signa sunt optima. At quia nostratium etiam fluviorum, qui hanc scilicet urbem aut alluunt, aut perlabuntur, mentionem facis, dubium equidem non est, quin semper fluviatiles pluvialibus, atque fontanis per se deteriores sint, sed tamen etiam huic rei sua non desunt remedia, nimirum, si in magnis fictilibus asserventur, ut demum hoc modo clarescant, & perpurgentur, quemadmodum de Tyberis aqua memoriæ produnt, eam claram factam ad centum quoque annos incorruptam perdurare. Quid de Nilo dicemus, limoso illo quidem & turbido amni, quique meridiem spectat, nihilo tamen minus aquæ illius in potu mirificè commendantur, non salubritatis tantùm ratione; sed etiam ob saporis dulcedinem & suavitatem? Unde nescio quis Imperator milites suos increpasse legitur, quod vinum expeterent, cùm Nilum haberent. Verùm ne hoc quoque cura animum tuum nimiopere angat, affirmo tibi, posse in hac urbe facile impetrari aquam è vivis fontibus scaturientem optimam & potui aptissimam, etiamsi in paucis ædibus illa alioquin reperiatur, non tamen plane illa destituimur. Vale. Uratislaviæ. pridie τῆς πεντηκοστῆς Anno 1579.

Domino

Dn. Andreæ Dudithio, Conſ. Cæſ. &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

EDIDIT nuperrimè Italus quidam Vicentinus, qui ſe com item Montanum nuncupat, librum quendam, in quinque alios diviſum, de morbis ex Galeni ſententia, in quo libro D. Julium acerbiſſimè perſtringit, neque vero hunc tantùm, ſed etiam Fernelium, Fuchſium, Valeriolam, Argenterium, & Eraſtum, quos omnes veluti ineptos Novatores in arte medica, à Galeni uſitate doctrina recedentes, aut ſaltem dum eum tueri conantur, turpius aberrantes acriter reprehendit, eorumque dogmata refutat, miſſus eſt liber ille, quamprimum in lucem prodiit, huc ad D. Julium, qui eo lecto continuo paucas pagellas pro ſui defenſione exaravit, quæ fortaſſe cum aliis paulo poſt edentur. Non videtur deeſſe comiti illi Montano ingenii, & judicij acrimonia, ſed tamen optarim multis in locis modeſtius agere, & non ſevera cenſura in viros ſenes, & alioquin pene emeritos, ac rude donandos, animadvertere. Magis haud dubie & ſibi conſuluiſſet, & apud alios autoritatis plus obtinuiſſet. Sed malo te hoc ipſum legere, & ad exquiſiti judicii tui trutinam expendere. Epiſtolam tuam, quæ libello D. Jordani, de nova lue, ad cal-

cem adnexa est, vidi. Satis apparet te illam valdè probare, cum tantis laudibus, idque publicè exornare non dubitaris. Sed nec mihi displicet expositio illa accurata, & erudita; haud tamen scio, an in causæ investigatione à scopo non aberraverit, D. Crato quidem in longè diversa est sententia, quam etiam ipsi autori per epistolam breviter nuper communicavit. Jussit etiam me de re proposita amplius aliquid meditari: sed facilè rationum momentis perfecit, ut in suam sententiam pedibus irem. Principio namque novum morbum dici non vult, cùm nihil peculiare habeat, quod in aliis contagionibus venenatis non accidat, etsi fortè in paucis symptomatibus (quæ novam speciem ob id non gignet) evariet. Quod ad causam propinquam attinet, non tam in circumfuso aere, omnibus in balneo illo lavantibus communi, μίασμα illud quærendam censet, nisi fortè per accidens, quam in ferro illo, sive scalpello, quod immediatè cutem vulnerando infecit, & in massam sangvineam inquinamentum propagavit, ita ut veneni (etsi minus proprie, quod cor non statim petat, ita appellet) labes corpori per contactum communicata primario hæreat in ipsis sangvinis ichoribus, qui postea illud facile per ambitum ejus dispargunt, aliaque symptomata ex ordine producunt. Rationes, quibus hanc opinionem probat, & confirmat, nimis longum foret universas ad-

ſas adducere, cum ex hac etiam brevi enumeratione ſumma earum facilè intelligi queat. Domini Eraſti epiſtolam, quam nuper cum ordinario Baſilienſi accepi, ſimul deſcriptam mitto. Perleges eam ſi placuerit, num tibi etiam ſatisfaciat, ſignificabis. De rhabarbaro non ero ei moleſtus amplius etſi quidem mihi nondum plene perſuadet: Formam & finem rei idem eſſe. In artificialibus rebus fortaſſe conceſſero, in naturalibus non item. Certe enim forma altera pars eſt compoſiti, & ideo de eſſentia rei, imò hanc ipſam conſtituens. Finis autem hauddubie extra rem eſt, & accidens quoddám. Quomodo igitur forma, verbi gratia, rhabarbari, & ejuſdem finis idem erunt? Num finis rem exædificat, & eſſentiam ejus complet? Non arbitror. Placet tamen diſtinctio de duplici fine, qua aliquomodo priori dubitationi ſuccurrit. Metallis, ipſo inuito, vitam & animam non attribuero, multò minus cordata eſſe dicam, ne ipſe væcors ex eo poſtea pronunciet. Ideoque ſponte hîc Paracelſicis, qui tanquam pro aris & focis pro hac aſſertione pugnant, loco cedam. Humanitatem autem & leonitatem, & plantitatem, ſicut & hæcceitatem, ad Scotiſtas & Thomiſtas ablegabo. Nolo mihi cum his nauſeitatibus rem eſſe amplius, quarum & tædet & piget in præſentia. τὸ θεῖον nimis arcte mihi explicare videtur, dum ad communes tantùm, ſeu epidemicos morbos,

qui ex aëre ortum habent, vocem illam restringit. Hippocrates quidem, nisi fallor, in latiori significatione verbo illo usus est, etiamsi exẽpla (quemadmodum Copernicus noster dicere solet) nunc non succurrant. In contrariorum contrarietate non ero illi in posterum contrarius, cùm pene, quæ de his in prioribus dixerim, memoria nunc exciderint. Mathematicos, miror, cur mihi objiciat. Quasi vero nesciat, quomodo hoc nomen in Jureconsultorum scholis, atque adeo vulgo etiam usurpetur. Astrologus enim dicere volui, qui ex syderum aspectibus, & inclinationibus ad se mutuis futura se prædicturos profitentur. Horum scientia (si tamen ita appellari meretur) Ptolemæo etiam alicubi, quantum recordari possum, φυσικωτέρα est, respectu nimirum astronomiæ, in specie sic dictæ, quæ cœlestia corpora, vel potius magnitudines & motus eorum ἐξ ἀφαιρέσεως considerat, quamvis ne istud quidem posterius ὡς ἀκριβέστατον dici posse puto, cùm motus sine corporum, quæ moventur, comprehensione animo concipi & considerari non queat. Itaque sola quantitas tum continua, tum discreta, mente à corporibus, quibus inhæret, abstrahi poterit. Atque sic nimirum sola Arithmetica & Geometria, (excepta semper prima Philosophia) vere in scientiarum erunt numero. Reliquæ, quæ ex his oriuntur, utpote Logistica, Geodæsia, Astrologia, medii generis

esunt;

erunt; ita tamen ut pene propius ad Physicen accedant, quam ad Mathematicen. Sed de his quæso te ut mihi quædam in mentem revoces, quo in promptu sint, cum D. Erasto respondendum erit. Nullos hic habeo libros, in quibus talia inquiram, quamobrem ad te, velut ad bibliothecam meam confugio. Nunc oblita mihi tot carmina. Habes quinetiam ad manum Copernicum nostrum, qui tanquam artifex & judex de his pronunciare poterit. Cur tamen dixerim cometam diversimode tum à theologo, tum etiam à mathematico, seu astrologo, tum denique à physico considerari, non prorsus nullas habui causas, quas ille mihi hac refutatione, vel cavillatione potius nondum extorsit. Addidi de his aliquid in scripto meo commentario, de quo adhuc quid sentias anxie expecto. Quod vero Theses de nutritioné humorum attinet, quæso te, num eæ tibi post hanc, quam inserit epistolæ tuæ explicationem, clariores videntur? Ego quidem nulla ratione assequor, quomodo non magis in vocibus & appellationibus quam in reipsa sit dissensio, Facilè hoc do & libenter; solum sangvinem proprie nutrire, non autem pituitam, aut bilem alterutram, vel etiam utramque. Credo idem alios etiam sentire & dicere. Deinde quoque concedo: sangvinem eundem specie (hoc est, massam sangvineam) in aliis atque aliis corporib. sanis tamen, mirificè ratione ma-

joris, aut minoris impuritatis variare. Item sangvinem esse ἐπιρομερῆ, id est, habere portiones diversas, sicut & lac, crassiores alias, alias tenuiores, &c. Quid ergo restat, quo minus manus jungamus & concordes nos esse profiteamur? Hoc solùm arbitror, quòd de eadem re loquendo diversis appellationibus utimur. Ille sangvinem solum vocat, quam nos massam sangvineam: sed tamen etiam interdum unà cum ipso sangvinem, cum hoc nominis sit ὁμώνυμον. Deinde ille bilem pituitam & melancholiam excrementa dumtaxat esse affirmat. Nos illud universaliter & simpliciter pronunciatum non largimur, sed differentiam facimus inter bilem, exempli gratia, alimentarem, quam partem esse dicimus massæ sangvineæ tenuiorem; atque ita calidiorem & sicciorem, quamvis improprie sic vocetur. Et aliam supervacaneã & excrementitiã, quæ dũ corpora sana sunt à cysti, seu vesicula attrahitur, & fel cognominatur. Hujus generis, supervacanea nẽpe, est & altra simpliciter & absolute præter naturã, quæ nõ nisi in ægris corporib. generari potest, aut si quando generatur, in ægritudinẽ perducit, utpote, vitellina dicta, porracea, æruginosa, &c. Idem fere etiam de reliquis duobus humoribus, quos ille inter excrementa sine exceptione numerat, dici & affirmari potest. Quamvis ille in hoc ab hypothesi sua discedit, dum lienem à bile nigra seu atra nutriri

trivi permittit. Cur igitur idem etiam in aliis non concedit: aut saltem diversitatis caussam affert? Cùm quidem pituita multo mitior & blandior sit humor, quàm melancholia, adeoque, ut Galenus sæpe inquit, sangvis semicoctus. Sola itaque bilis, flava nempe, (si quidem pituitam, quod speramus, admittet) secundum hæc a nutritione excludit, id quod nos etiam utraque, quod ajunt, manu amplectimur. Oro te, ut me, si in his alicubi erro, ut facilè fieri potest, benignè eradias. De pinguedinis in corpore humano tum ortu, tum concretione Theses alteras & ipsas perlegi; sed nihil in illis reperio adhuc quidem, quod non cum veritate congruere putem. Si quid tamen sese offeret, dum accuratius expendam, libenter ab illo explicationem petam. Præparatio chalybis, quam describit, parum differt à vulgo usitata præparatione limaturæ ferri, quæ in dispensatoriis hinc inde extat. Fit inde electuarium de chalybe, quod multi vehementer in obstructionibus internorum viscerum, aut epatis, aut lienis schirrho commendant. Lapidem sabulosum se mittere dicit, sed nihil hujus tabellio mihi tradidit. Puto in ista festinatione oblitum esse. Dabo tamen operam ut adhuc accipiam. De Rubiæ viribus magis propè mihi ad rei veritatem Angli accedere videntur, qui tanquam arbitri de lite inter veteres & Dodonæum nostro tempore mota pronunciant. Ita enim utraque

pars probabilitate nititur, quam ipsa experientia confirmat, ut difficile sit in alteram tantum, rejecta altera, inclinare. De Formicario balneo planè illi assentior, & memini me etiam hujus fructū aliquando persensisse, cùm ex levi quadam resolutione ante annos plus minus decem laborarem. Habes igitur, patrone observantissime, ὑποτύπωσιν eorum, quę domino Erasto, ubi occasio dabitur, responsurus sum. Quæ sane non ideò ad te mitto, quasi lectione magnopere digna esse putem: non enim satis elaborata sunt, sed tantum, ut in quibusdam abs te, ubi mihi aqua hæret, uberius & luculentius instruar. Quod ut facere non recuses abs te etiam atque etiam peto. Vale. Pragæ 23. Martij, anno 1580.

Dn. Andreæ Dudithio, Cons. Cæs. &c. Petrus Monavius, Med. S.P.

RESPONDEO posterioribus tuis quæstionibus primo loco ὁμηρικῶς, quod de prioribus, quæ aliquanto plus obscuritatis difficultatisque in se continent, cogitationes meas nondum satis in ordinem redigere licuerit. Faciam tamen hoc, ut spero, cum Ribischio nostro, vel potius, me id, volente DEO, facturum planè recipio. Etsi sanè ut de his, quæ ipse melius longè intelligis, meam sententiam exquireres, minimè opus fuerat. Quoniam tamen ex amoris quadam

quadam abundantia etiam nugas meas aliquo loco habere digneris, non patiar, ut ullo modo operam & studium meum frustra requisiisse videare. Ad illud igitur problema de vitreis specillis seu conspicilis quod attinet, respondeo, omninò existimare me illorum usum convenientem oculis plurimùm commodare, tantum abest ut detrimenti, aut noxæ quid iisdem adferat. Et quidem hoc duplici de causa: Quoniam nimirum, primò similitudine quadam substantiæ oculos reficiunt, & in statu suo conservant: & præterea quia radios, quibus visio perficitur, dispergi non ita subito sinunt. Oculus certè, quoad primarium visionis organum humorem crystallinum, aqueæ naturæ est, (etiam si alia ratione ob radiorum nempe visilium tenuitatem atque fulgorem, igneus etiam censeri possit) atque ideo rebus aqueis & diaphanis, veluti aqua clara & lucida, vitro, crystallo, speculis, & per consequens etiam conspiciliis gaudet. Unde non immeritò in decantatissimis scholæ Salernitanæ versiculis hic etiã legitur: *Fons, speculum, gramen, hæc dant oculis relevamen.* Et Aristoteles, testante Mesueo, primariæ inter Mauritanos notæ medico, magno illi Alexandro consuluit, ut sæpè speculum tersum directum, ac diu intueretur. Hac enim ratione visum sese corroboraturum, & oculi defatigationem remoturum esse. Quinimò tanta inter humorem crystallinum, & vitrea con-

ſpicilia ſimilitudo & cognatio intercedit, ut nonnulli illum quidem conſpicilium naturale, hæc verò humorem cryſtallinum artificialem vocitare non ſint veriti. Deinde, ut paulò antè innuebam, vitrea conſpicilia eam quoque ob cauſam viſioni conferunt, quod oculis admota ne radii viſorii tam late citò, ut abſque his fieri ſolet, diſſipentur, prohibet, ſed potius efficiunt, ut illi in ſuperficiem levem & terſam impellentes, retroacti, ſeu, ut cum opticis loquar, refracti multiplicentur & ſimul rectiori ductu deinceps ad objectum, quod videndi ſenſum movere aptum eſt, dirigantur. Eſt tamen in ocularis iſtis ſpecillis non parva cum materiæ ipſius, tum illius præparandi modi diverſitas. Quædam enim vitrum craſſius ac denſius habent, alia tenuius & rarius. Illa res, quam revera ſunt, minores quidem; tamen intenſius coloratas referunt, & ob id à longiori ſpacio aſpiciendis rebus accommodata ſunt: per hæc omnia majora, verum quodammodò obſcuriora apparent. Unde in propinqua tantum diſtantia his uti conſuevimus. Illa denique juvenibus: hæc ſenibus & provectioris ætatis fere competunt. Cujus quidem varietatis, ſeu diverſitatis cauſas ex dictis colligere non ita eſt difficile. Tibi autem (ut ad id, quod in ſpecie quæris, deſcendam) ea quæ inter utrumque hoc genus media ſunt conſpicilia apprimè profutura conſiderem, tum præſertim, cum, ut ſcribis,

ſcribis, oculi ob lectionis aſſiduitatem continuationemque fatiſcere & caligare incipiunt. In quem ſane uſum peculiaria etiam conſpicilia ex vitro viridi translucente parata magno cum commodo. Quòd vero metuis, ne adjumentis hiſce aſſuetus poſtea ſine illis, aut nihil aut imbecillius videas: timor, niſi fallor, prorſus manis eſt. Non.n. ſemper & ubique te, alioquin per Dei gratiam ſatis lynceum, illis uti jubeo; ſed tum duntaxat ubi ultra tempus & modum lectioni minorum characterum indulgere propoſitum eſt. Aut ubi jam fatigatis oculis recreatio aliqua debetur. Simile quid enim experientia magiſtra ductos artifices atque gemmarios ſculptores, qui ſubtiliſſimis rebus contemplandis exercentur, factitare quotidie cernimus, quando nimirum vel conſpiciliis utuntur, aut vitrum pellucidiſſimum aqua lympidiſſima plenum inter viſum & candelam ardentem interponunt, quo oculorum laſſitudini & obſcuritati egregio certe invento tempeſtive occurrant. Et ut maximè frequentius, quàm antea dictis conſpiciliis deinceps uti pergas. Quid tamen eſt obſecro, quod hac in re tibi, utpote jam provectioris ætatis, vitio dari meritò debeat? Puero fortaſſe, aut juveni illud magis formidandum erat. Et tamen in laudatiſſima Venetiarum urbe non ſenes dumtaxat, & conſtantis ætatis viros; ſed etiam adoleſcentes ita illis aſſueſcere ſæpenumero videas,

ut penè nunquam, etiam in publicum prodeuntes, ab oculis illa deponant; quod ut non omninò probaverim: ita te hoc subsidium quandoque assumere prorsus suaserim.

DE VISIONIS MODO.

Quæstionem famosissimam pluribus agitare nunc non vacat: neque etiam valdè ad præsens negotium hujusmodi indagatio pertinet, in quo non tam ut philosophus, quàm ut medicus progredi in animum induxi. Etsi enim concedamus visionem visilium rerum imaginibus, seu, ut vocant, speciebus in oculum immissis fieri; negari tamen minimè omnium potest, oculum ipsum ad res oblatas comprehendendum de se quoque afferre aliquid, nempe, ex oculo spiritus animales, tanquam radij quidam, ad extimam pupillæ superficiem emittuntur: qui deinceps cum extremo lumine coëuntes, & oblatas imagines amplexantes, actum videndi complent. De quo, si placet, multa apud Vallesium nostrum suo tempore legere poteris. Verum omissa, aut saltem tantisper seposita scrupulosiori disputationis illius latè patentis tractatione, quæque ad Philosophi inquisitionem magis spectat, in id, quod medicam operationem propriè concernit, nunc potissimùm intentum me esse fateor; quatenus nimirum à spiritus animalis, qui ubi ad

ad oculum transmittitur, visorius appellari incipit, copia, vel defectu, crassitie item vel subtilitate, aut denique aliis similibus differentiis visio ipsa (quod nemo unquam in dubium vocare ausus est) adjuvetur, impediatur, aut etiam destruatur, quibus item mediis & præsidiis hæc in naturali suo statu conservari, aut labefacta denuò instaurari possint & debeant. Nimis tamen longum foret ea omnia in præsentia sigillatim persequi, de quorum aliquibus, si ita res feret, in posterum uberius conferendi dabitur occasio. Superest modo alterum ζήτημα: Qui fiat ut post casei, mellis, aquæ, & similium liquorum deglutitionem multum salivæ in ore colligatur, & per sputationem ejiciatur? De quo breviter respondeo, salivæ sanè sive sputi, (quod tenuioris pituitæ genus est) ordinaria, ut ita loquar, sedes in tonsillis seu glandulis ad radicem linguæ sitis statuitur, atque illis à vulgo medicorum hic usus assignatur, ut inferiores faucium partes, quæ voci & respirationi serviunt, humore suo perpetuo irrigent, simul deglutionem, quam siccitas difficiliorem redderet, adjuvent. Quod si copiosior, quàm secundum naturam solet, affluat, id vitium seu symptoma Græcis σιελισμός, quasi salivationem dicas, appellari consuevit. Causa vero illius non una est. sputum namque sive salivam illa omnia prolectare apta sunt, quæ vel copiosiori humiditate fauces & gulam

imbuunt, aut quæ tenaci, & viscosa substantia prædita diutius ore tenentur, manducanturve, aut denique quæ caloris & acrimoniæ ratione è cerebro, interdum etiam è stomacho tenuiorem pituitam attrahunt. In primo genere aqua est, & aquosa omnia. In altero mel, caseus, masticheitem, & gummi tragacanthe. In tertio ea, quæ propriè ἀποφλεγματικά, masticatoria vulgo appellantur, utpote, radix pyrethri, cardamomum, cubebæ, zinziber & similia. Ex quibus jam responsionem ad geminam quæstionem, abs te propositam, parere arbitror. Eam ut benigne accipere & judicium mihi de illa tuum vicissim communicare non dedigneris etiam atque etiam peto. vale. Pragæ 14. Octob. Anno 1581.

Dn. Andreæ Dudithio, Consf. Cæs. &c. Petrus Monavius, S.D.P.

QUID in meis literis te delectare queat plane non video. Ipse enim quàm tenues, & magnarum rerum inopes sint agnosco. Quia tamen toties tibi eas non ingratas, vel potius suaves & jucundas accidere profiteris, ego voluntati tuæ obsequens illas frequentius in posterum ad te mittere constitui, saltem ut non sit aliquid in quo meum studium & diligentiã requiras, præsertim cum te ad ignoscendum lapsibus meis tàm prompto & benigne offeras. Quòd igitur ad interruptas de peste quæstiones

(qua

(qua de ultro citroque disputare, quàm ejus vim experiri tutius est) attinet, certum aliquod genus morborum, cui illam assignemus, requiris. Etsi verò in tanta rei obscuritate hoc præstare difficile sit: si tamen ad unum ex tribus illis, quæ in Medicorum scholis traduntur, generibus referri omninò debet, haud dubiè sub intemperie rectius, quàm sub compositione, aut soluta unitate (carbunculos enim & bubones pro principali morbo non habeo) collocabitur. Verùm non tam de intemperie ex primis illis & manifestis qualitatibus intelligi oportet: sed de ea, quæ ex occultis proprietatibus oritur, quæque veneni naturam quodammodo subit. Non sane quod de tritis illis qualitatibus nihil participet (tale enim quid animis hominum exceptis in sublunari hoc cœlo ne imaginari quidem possumus, siquidem ab his agendi principium est) sed quia ὁ τῆς μίξεως λόγος, sive certus gradus nobis ἄῤῥητ☉ est. Itaque & Galenus, & alii *Medici* talia à totius substantiæ proprietate agere & pati dicunt, videlicet, ut non tantum nudam qualitatum temperiem, velut in abstracto considerent, sed etiam ipsius mistionis (quæ elementorum corporibus propriè tribuitur) proportionem, quæ tot & talibus particulis ita inter se invicem mistis & unitis constat, expendunt. Sic multas reperire licet plantas, quæ V. g. in primo gradu calefaciant, aut frigefaci-

post partem alterando, ut in scholis loquuntur) calefiat, is etiam facilè assequetur, quomodo aere in uno loco vitiato, & ad malignitatem mutato semper latius contagium illud serpat, donec aut ventorum flatibus discutiatur, aut per se (neque enim in infinitum vis illius sese extendit) absorbeatur, aut etiam arte quadam, veluti suffitibus factis corrigatur. Non inquam oportet nos imaginari quasi in certo tantum aeris loco seminarium illud contagionis immotum hæreat, & quasi in arce quadam resideat, sed potius perpendere malignitatis hujus vim & efficaciam maximam, ita quidem, ut aptum sit brevi tẽpore sese per longissimum spacium extendere, ac sese hac ratione per aërem propagare, ac multiplicare, sicuti Galenus de scorpionis veneno disputat, quomodo illud non sine summa admiratione paucissimis horis totum corpus celerrimè peragret, suæque labis vestigium post se relinquat, etiamsi mole sua vix, ac ne vix quidem, in sensus currat. Quomodo quæso odores, seu grati, seu ingrati sese propagant, & subito maximum spacium occupent, cum quale nam illorum sit vehiculum, (esse tamen certum est, quia accidentia sine subjecto non reperiuntur) vix cognoscatur. Finge etiam unam guttulam fellis totum aliquem cadum magnæ capacitatis brevissimo tempore suo & colore & sapore inficere. Quod verò non omnes homines

in suspectis locis simul versantes pariter corripiuntur, ipsa corporum non eodem modo sese habentium dispositio causa est, & quia uni sese magis, quàm alteri muniunt, omnes noxam aliquam communem ex aere illo pravo percipere certum est: sed quo minus impressio æqualis fiat, jam dictum est. Non tantum causæ agentis efficacia, sed corporis etiam patientis repugnantia simul consideranda est. Hi enim plus, alij minus resistunt, idque tùm ob interna, tùm etiam externa impedimenta. An vero tum etiam pestis censenda sit, cum pauci quidam corripiuntur, jam ante respondi? Conditionem istam essentiam rei non immutare. Et pestem epidemium seu vulgarem morbum haberi, quod ex sua natura multos inficere aptus sit, etiamsi actu adhuc pauci eo laborent, quid vis amplius? species, inquiunt Philosophi, etiam in uno individuo conservari integras potest, ut videre licet in sole, luna, item mundo ipso, quæ actu unum sunt. Sic Adam ille πρωτόπλαστος ver efuit, & mansisset homo, etiamsi nullos unquam ex se propagasset posteros. Fiunt igitur plures homines individuo, non specie. Febrem ideo excludo à pestis definitione, quod etiamsi inseparabile illius accidens esse concedamus, (de quo suo loco amplius quæritur) non tamen ad ipsius essentiæ constitutionem pertinent: sed tantum ab illa dependent. Si descriptionem minus accuratam, non ἄλογον τῆς ὀυσίας

con-

constituere placet, per me illam ut inferas licet. Medicus porrò ita artifex sensatus est, ut non huic solo, & semper inhæreat, ratione vero nunquam utatur, sed quia illius beneficio in abstrusarum, & latentium rerum cognitionem sæpe perveniat. Profectò enim cum ut artifex circa particularia versetur, sensu illa solum deprehendi certum est. Interim nihilominus ratiocinatione & discursu multa ex iis, quæ sensu jam apprehenduntur colligit, neque usum suum perite & solerter universalibus theorematis innixus accommodat. Subordinatur autem Theoria praxi, quod hæc ultimus finis sit, propter quam universalia præcepta, & axiomata ipsa discuntur. Bubones seu testium inflammationem pestis esse signum lubenter concedo: sed nec solum, nec perpetuum. Multis enim erumpentibus extingui videas, & latentes illos adhuc in corpore, quibus indiciis quis ea cognoscat animadvertat. vale. Viennæ 7. Julij. Anno 1583.

Domino Andreæ Dudithio, cons. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S.D.

UT quoquo modo negligentiam in scribendo hactenus usurpatam (quod enim de fastu nescio quo suspicaris inane omnino est) compensem, quod disputationem de peste attinet, scio illam nondum inter nos composi-

tam eſſe, in eo autem tibi nequaquam aſſentiri poſſum, quòd primum peſtis ortum in contagio ponis. Neque enim contagium ullius certi & determinati morbi genus, aut nomen eſt; ſed πρός τι ſolùm dicitur; & tùm ita appellari incipit, cùm qui in alio corpore, prius fuit morbus, ex eo poſtea in aliud migrat. Neceſſario itaque ut contagio fiat, morbum aliquem præſupponi oportet, qui per contactum ſeſe ulterius propaget, non, ut tu ſtatuis, contagium prius exiſtere; & tum demum peſtilentem inde morbum gigni. Summa rei totius in hoc conſiſtit, Contagium, hoc eſt, tranſitus morbi de corpore in corpus fit per contactum, vel immediatè, vel mediatè. Immediate cum duo corpora ſeſe abſque ullo medio contangunt, & labem mali invicem communicant: ſicut fit in ſcabie, morbo gallico, per affrictionem. Mediate autem intercedente alio corpore, nempe, vel aëre, vel fomite. Per aerem contagium communicatur inſpirando & exſpirando, ita ut aer vehiculi rationem habeat. Fomes autem appellatur illud corpus, quod ſeminarium defert, etiamſi eodem morbo laborare aptum non ſit. Veluti per infectos pannos, aut veſtes aliquis peſte, aut etiam ſcabie corripiatur. Sed ut peſtis primam & veram originem indagemus, dicendum eſt, illam pendere à cauſis, vel ſupernis, vel infernis, vel etiam utriſque ſimul. Supernas cauſas appello,

præter

præter Deum & angelos (quæ Theologicæ considerationis proprie sunt) stellarum fixarum & errantium vires tum aeris dispositiones varias , itemque meteora , in eo apparentia, & alia huiusmodi. Excludi enim stellarum vires non posse inde satis constat , quod omnes Philosophi unanimi consensu fatentur : Inferiora hæc & sublunaria corpora à superioribus regi & immutari. Præterea ex Medicorum coryphæo Hipp. discimus , Morbos epidemios, qui in totas regiones quandoque grassantur, ab aeris insignioribus mutationibus proficisci. Has autem ab astrorum diverso positu causari. Denique si stellarum mutuos aspectus nihil operantur ; nullam reddere possemus causam, cur æstas, v. g. & hyems singulis annis non exquisite unam & eandem temperiem servarent, quando certum est solem, cui soli omnia accepta feruntur, non aliter moveri uno atque altero, atque ita etiam illius respectu nihil variaretur : nisi aliarum stellarum seu conjunctiones, seu oppositiones, aut denique alii positus accederent. Dum tamen , hæc affero , nequaquam Astrologicis vanitatibus patrocinor. Quia planetas & stellas cæteras in inferiora hęc universali quaquam , & indefinita ratione agere dico , non autem particulari & determinata ; ut scilicet in unum quempiam hominem aliam impressionem faciant , quàm in

alterum, quod Astrologi sibi imaginantur,& alij etiam persuadere conantur. Sic enim omnibus causis contra naturæ ordinem particulares per se effectus tribuuntur, de quibus alio inter nos tempore differemus pluribus. Et, nisi fallor, disputationem meam cum Dn. D. Rungio ad te antè misi. Inferiores causas, quæ interdum pesti occasionem præbent, voco fœdas exhalationes ex lacubus, stagnis, paludibus, & cadaveribus, item hominum & bestiarum, ex antris terræ mephitide scatentibus, & similibus prodeuntes, quib. aër nos circumstans, à natura sua longius abductus, inquinatur & corrumpitur, & in uno atque altero homine magis cæteris prædispositis primum labem mali excitat, quæ postea per contagium pluribus aliis communicari potest, non secus atque grex totus in agris unius scabie cadit, & porrigine porci. Cibum & potum ideo omitto, quod horum ratione, etsi in corporibus corrumpantur, pestem causari vix posse videtur. Est tamen inde origo majori ex parte morbis aliis populariter grassantibus, utpote febribus malignis, diarrhœis, dysenteriis, pleuritidibus, anginis & aliis, quæ pestiferum quid obtinent, nondum tamen verè pestis sunt. In hac enim aërem, tanquam communissimi morbi communissimam causam, concurrere semper necesse est, sive in sua substantia corruptum, sive ut vehiculum seminariorum duntaxat. An vero in pestis præcautione,

tione, imo etiam curatione ipsius, remedia sæpe permutanda sint, putas ex Gal. lib. 5. de tuenda sanitate, cap. 9. probari non posse, eò quod locus ille de purgantibus loquatur, non de alexipharmacorum exhibitione. Sed haud dubiè communis utrobique ratio est ea, quam Physici & Medici afferunt, dum in universum dicunt: Ab assuetis passionem non fieri, id quod etiam expresse Aristoteles 1 probl. 46. attestatur: Consuetudo siquidem altera natura est, quæ ut a similibus conservatur, ita in contrariis tùm alteratur, tùm destruitur. At quibus diu assuevimus, ea cùm facile toleremus, similia ferè nobis evadunt. Unde fit ut parum, aut nihil inde alteremur, aut immutemur. Colicis doloribus te interdum vexari, anteà nescieram. Mittam Cratonis nostri & methodum curandi, & remediorum formulas. Interim lege Erastum quarta parte Antiparacelsist, à pagina 256. usque ad 258. Sed quia non una species colici affectus est, significabis, num, quæ te affligit colica passio, flatuosa sit, an vero à frigido & crasso humore intestinis impacto orta. Illa magis mobilis & vagabunda esse solet; hæc repræsentat seu pali penitus visceribus infixi doloris speciem. In utraque autem alvus fere dura est & conclusa. Est & tertium quoddam genus à tenui, seroso, & bilioso humore, cui te affinem esse vix equidem arbitror. Sed symptomata indicata rem totam patefacient. Narravit mihi

D. Carolus Oslevius ex literis tuis casum plane mirabilem, de duabus puellis in vicinia vestra, quæ continuis saltationibus penè exanimentur. Credo id mali esse, quod vulgò choreas S. Viti appellant. Huc pertinet, quod Ioh. Thomas Freygius in quæstionibus Physicis lib. 24. de natura populorum inter cætera scribit; In inferiori, inquit, Germania nulli fere ab atra bile furiosi, sed à sangvine, quod genus furoris, vulgus morbum S. Viti appellat. Si ad ullum morbi genus referendum est, non video, ubi alibi locum reperiat, quam inter melancholicorum deliria, quæ mirificam varietatem obtinent. Verùm mentem hîc oblæsam esse omnino oportet. At vestræ, ut audio, puellæ etiam inter tristes illas saltationes orant, & sobrias preces ad Deum fundunt: ut inde necessario colligam, causam hujus insoliti symptomatis esse non tam præternaturalem seu morbosam, quàm, ut ita appellem, supernaturalem, & aut divinam immediatè, aut diabolicam, atque illud est fortasse, quod τὸ θεῖον in morbis appellat Hipp. etsi in intimam hujus rei cognitionem non pervenerit. Averrhoës quoque, acutissimus Philosophus, ipse affirmat: In morbis, ut in aliis naturæ partibus sæpè monstrositates (ita enim loquitur) accidere, sed exactius quid de his pronunciare potero, ubi historiam facti integram cum omnibus circum-

circumstantiis cognovero. Neque enim adhuc scio: An per certa & definita intervalla hoc affectu corripiantur. Item an morbus aliquis corporis manifestus simul conjunctus sit? An diu malum istud duraverit: an ipse etiam infelices saltationes causam aliquam, aut saltem occasionem referre norint? Fieri enim potest, ut ex parentum forte impressionibus huic infortunio subjectæ sint. δειναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐρινύες εἰσὶ τοκήων, ut verissime in celebratissimi Orphei versiculo dicitur. Aut etiam propria aliqua, & peculiari lascivia atque petulantia pœnam hanc delicto conformem attraxerunt. Ubi igitur de morbi qualitate & conditione constiterit, de remediis deinceps iniri poterit ratio tantò melius. Naturalibus enim morbis naturalia debentur remedia: & præternaturalibus præternaturalia, divinis divina. In præsentia plura non licet, imò hæc etiam, nisi humanitas tua mihi perspecta esset, ad te mittere vererer. Pragæ Kal. Martij, anno 1584.

D. Iohanni Cratoni Med. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S. D.

QUOD duplex temperamentum asseruerim, sicut & calorem duplicem, nempe, innatum seu congenitum unum, & influentem alterum, hanc præcipue causam habui, quòd

viderem corpus aliquod vivens, & actiones seu operationes suas edens bifariam considerari posse, cùm ut animal seu vivum quid; tum ut mistum. Quatenus ut mistum perpenditur, temperamentum ei certum ex primis elementorum qualitatibus resultans attribui necesse esse nemo non videt. Ut vero actiones etiam edat, sive vitales, sive animales, aut etiam naturales, altera accedat praeterea temperies oportet, quae illam veluti in profundo latentem & ignavam excitet, inque actum ex potentia producat. Illa temperies, quae praecipuè in solidis partibus consistit, etiam extincto animali atque vita privato supereſt. Haec à spirituum & humorum certa harmonia tantum in viventibus reperitur, & hujus ablatio illa est, quae mors animalis, ut animal est dicitur. De putredine controversia est haud illa quidem expeditissima. Galenum ab Aristotele in natura putredinis assignanda non dissentire illud ostendit, quod philosophum de hac recte locutum esse aliquoties affirmat. In illo plerique aberrare videntur, quòd ea confundunt, quae distincte Aristoteles docuit. Duplicis enim putredinis expresse meminit, quarum altera simplici generationi mistorum, ut contrarium maxime commune oppositam, & corruptionem secundum totum, alteram corruptionem tantum secundum partem, & recessum à propria natura atque temperamento esse ait, illam naturalem vocat,

vocat, seu naturalis interitus finem, quod mixto, ut mixtum est, competat, & secundum habilitatem ipsius fiat. Hanc violentam innuit & morbidam propter inclinationem passionum. Illa ab ambientis, hoc est, aeris, & aquæ solum calore fit: hæc etiam à calidis vaporibus, & fuliginibus in corpore retentis, impeditaque transpiratione, in illa mista in pulverem & terram, ut quæ ex universo corrupta sint, redigantur: in hac humores putrefacti, aut putrescentes potius sæpe ad benignam qualitatem, & naturalem statum reduci possunt, nempe, κατὰ μέρος μόνον, ut Aristoteles loquitur, φθειρόμενοι. Ideo & elementis igne excepto hanc tribuit, quorum putredo secundum eundem nihil aliud, quàm alienæ caliditatis, aut malorum vaporum commixtio, quibus secretis suæ naturæ vicissim quodlibet restituitur. Illa denique proprie ad philosophorum scholas spectat, atque idcirco prolixius est ab Aristotele pertractata. Hæc medicæ considerationis magis est, unde & à Galeno pluribus in locis fusius explicatur. Ex particula ἰδίως, quæ in 4. illo Meteororum ponitur, male intellecta, quidam contra mentem Aristotelis colligunt, putredinem illam priorem, quæ ipsi καθόλου est, improprie sic dici: magis autem proprie hanc, quæ secundum partem est, cum tamen diversum potius statuendum sit ex mente philosophi. Illam, nempe, proprie putredinem appellari,

quia vera & propria putredo mixtorum perfectorum passio est, & contrarium causæ generationi mixtorum. Hanc autem peculiari quodam modo duntaxat ita vocari. Quia scilicet nec generationi opponitur, neque est passio misti, ut mistum. Atque sic τὸ ἰδίως rectius per voculam, peculiariter, exponitur, quàm per proprie, ut doctissime in suis dilucidationibus Archangelus etiam noster admonuit. His in hunc modum distinctis puto facile responderi posse ad illam quæstionem, in qua explicanda multi varie se torquent, nempe, quomodo humores in febribus, qui calidiores evadunt, putrescere dicãtur, cũ tamen putrida omnia frigidiora fieri, ipso calore evocato, vel extincto necesse videatur, ut habet definitio putredinis Aristotelica, Illud quinetiam indicat curatio, hac ratione incussum manet, cùm longè inter sese differant simplex aliqua intemperies, in qua humores à sua nativa qualitate nonnihil discesserunt, & putredo, qualis est in pestilentibus, ut mirum non sit, si curatio etiam eadem non adhibeatur utrobique, sed fortasse his recensendis tibi molestiam exhibeo. Ego tamen aliam ob causam à me allata esse velim cogites, quàm ut tuam de his sententiam & judicium eliciam. Vale Patavij 14. Januar. Anno 1576.

D. Iohan-

D. Iohanni Cratoni, Med. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S. D.

QUONIAM te tot & occupationibus & molestiis districtum, adeò frequenter ad me scribere non piget: turpe omninò mihi esse puto illam diligentiam non imitari, si minus superare queam, cum & plusculum otij mihi concedatur, & tu meas qualescunque tibi non ingratas esse significas. Anatomiæ itaque nostræ in vigesimum usque diem productæ heri tandem finis feliciter impositus est. Sanè diffiteri non possum in ea administranda curam, & industriam accuratam adhibitam esse, etsi sectionis magistri, ut in longo itinere; ita etiam in isto opere perficiendo, quò longius progrediantur, eò magis defatigentur, & remissiores fiant. Ad me quidem quod attinet, plurimum ex hac inspectione me profecisse animadverto, ita ut nunc expeditius, & majori cum fructu commentarios hac de re scriptos evoluere possim. In ipsa epatis historia explicanda, nobis ad oculum, ut loquuntur, demonstrare conabatur ex jecore venarum ortum petendum esse, seu generationis principium spectes, sive distributionis, atque idipsum plantarum exemplo perspicue illustrabat, in quibus & radices, & rami, & caudex ipse, seu radicatio consideranda veniunt, quæ omnia ad venarum ductum eleganter & dextre accommodari possunt. Minus

tamen interea argumentis quibusdam Aristotelicis satisfactum, quæ insignis in hac re artifex Vesalius contra Galenum vehementer urget. Cùm cordis structuram sub manibus haberet, simpliciter affirmabat, ac si id controversum non fuisset, è dextro vētriculo in sinistrum sangvinem per septum interpositum transsudare, ac foraminula quædam adhibito specillo ostendebat, quæ interstitio illo medio apparent. De quo tamen à multis dubitatum video. Ac memini cum ante biennium Pigafetta Italus, & ipse olim Fallopii discipulus, Heydelbergæ dissectioni incumberet, manifeste negasse illum, fieri posse, ut per tam densum diaphragma aliquid sangvinis deferri ex uno thalamo in alterum posset, Imò in eam sententiam tandem deveniebat, ut diceret à se jam pluries venulas quasdam animadversas esse mucronem cordis non aliter ambientes, atque vena illa coronalis è cava propagata basin complectitur, quarum beneficio sangvis ex dextro sinu in sinistrum transferatur. Cum vero hoc etiam in proposito cadavere sese monstraturum pollicitus esset, frustra id quod nusquam erat requisivit. Quare postridie in theatrum reversus palinodiam canere coactus est, illo adjecto epigrammate: Ita accidere solere, ubi à veterum traditis temere recedentes semper novi aliquid in medium adferre molimur. Se tamen nihilominus interea dū certius aliquid ipse experiatur, Hispa-

Hiſpano cuidam ſectionis perito, cujus nunc nomen non occurrit, aſſentiri malle, à quo illud proditum ſit, per longiſſimas ambages & circuitus ſangvinem in dextro cordis ventriculo præparatum in ſiniſtrum per pulmones duci, ut quidem ego conjicio, venæ arterialis ramorum ope & miniſterio. Noſter anatomicus Hier. ab Aquapendente, poſt cætera omnia, aut ſaltem præcipua demonſtrata, corollarij vice ad extremum, ovem gravidam vivam ſecuit, in qua multa non ſine ſtupore intuitus ſum, quàm nunquam antea ex multis magiſtris aſſequi potui. Arabum doctrinam ex veteri inſtituto in ſcholis Italicis proponi facile aſſentior. Mihi in Græcorum libris aliquandiu deſudandũ propoſui. In his ſi quid aſſecutus fuero, fortè ad alteros illos divertere non fuerit ſupervacaneum, quorum quidem univerſa dogmata, ut Fuchſius ſæpiſſimè inculcat, uno quaſi impetu rejicere minime conſultum arbitror. Ut enim maximè in quibuſdam aberrent, & minus feliciter in alienam linguam translati ſint, quia tamen multa utilia, à Græcis prætermiſſa, ipſi in mediũ adferant, nemo negare poteſt. Et audivi judicium cujuſdam, qui affirmabat propter purgantium nomenclaturam, & exotericorum quorundam pharmacorum deſcriptionem, quorum nunc frequens admodum uſus plurimi à nobis Arabes meritò faciendos eſſe. Vale.

Patavij, postridie conversionis Pauli, Anno 1576.

D. Iohanni Cratoni, Med. Cæs. &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

GAUDEO literas meas; quas sane multas brevi intervallo exaravi, tibi recte traditas. Majori autem mihi voluptati fuit cognoscere, quod eas tibi non ingratas esse passus es, id quod ex tuis superioribus diebus ad me allatis suavissimis & doctissimis, addo etiam longas, abs te accepi. Unde nimirum animus mihi additur, quo in posterum etiam tanto audacius & liberius discendi studio mea ad te cogitata exponam. De duplici itaque temperamento fieri potest, quemadmodum conjicis, ut in præceptorum sententia explicanda alicubi hallucinatus fuerim, minusque recte ea mente & verbis conceperim, quæ illi absque errore docuerunt. Illud tamen dixisse volui, calore duplici dato ex necessitate duplex etiam temperamentum statui, cum calor ille sive implantatus, sive influens non absolute, & ut ita dicam abstractive consideretur, tanquam nuda qualitas calida, sed veluti calor quidam nuda qualitas calida, sed veluti calor quidam ex certa mistione consurgens, certoque & determinato subjecto competens, in qua mistione & contemperatione tamen qualitatis calidæ, utpote, maxime

maxime activæ, primæ & potiores partes sint, à quo denominationem etiam illa accipiat, quæ ipsa fortasse opinio etiam à Galeni mente non prorsus aliena est, ut ex dictis quibusdam ab ipso colligere licet. Verum ut maxime hoc statuam, quod modo protuli, minimè tamen illud sequi videtur, quod addis, duplicia hoc pacto principia & actiones quoque inter se diversas exorituras. Quoniam non opposito modo se isti calores gemini aut temperamenta etiam duplicia habent. Sed quam maximè inter se conspirant, inque unum finem ambo concorditer tendunt, ut non tam contrarij, aut oppositi, sed subordinati & simul concinnētes ad actionem eandem producendam nuncupandi sint, nempe, ut ab implantato seu congenito, tanquam magis principali operationis principium pendeat quidem quoniam tamen ex se idem ille lãguidior est, velutique semisepulti ut ab influente, cujus vehiculum spiritus est vitalis, è potentia in actum deducatur necesse est. Putredinis porrò apud philosophos & medicos, an eadem causa efficiens assignanda sit, ex eo dubium videtur, quod Aristoteles illa, quæ ad naturalem putrediñē (de qua philosopi loquũtur) tendũt, tantum ab externo seu ambiente aere, eoq; calidiore, atq; interdũ etiam ab aqua (de interna enim frigiditate, quæ altera est causa efficiens, minimè cõtrovertitur) corrũpi affirmat: Medicorũ autem putredo frequẽtissime ab obstru-

ctione originem ducit, cùm videlicet calorinatus existens propter fuliginum vapores conclusus,& difflatione carens,corruptionis illius humorum, qualis in putridis febribus cernitur,causa fit. Unde etiam hæc putredo adalterius differentiam violenta appellatur,non solùm,quia præter inclinationem & habilitatem misti fit, quod ad ejusmodi corruptionem à natura non propendet,& dispolita est. Verumetiam quia justum & determinatum tempus curriculo suo quasi completo antecedit & præoccupat,in quo secundum communem naturæ ordinem res quæque corruptibilis tandem ad interitum tendit, quemadmodum etiam Aristoteles ait, putredinem illam simplici generationi mistorum oppositam finem esse universorum à natura compositorum. Omnia enim mista per unionem atque mistionem humidi cum sicco durante calore producta, apta sunt vicissim corrumpi per dissolutionem humidi à sicco,calore,qui illa fovebat. deficiente. Sed de hisad te nimis multa. Quod ultimum πρόβλημα mei exercendi causa propositum attinet: Cur videlicet sæpè in uno brachio pulsus videatur interceptus cum in altero optimè & integerrimè percipiatur: cogitanti mihi ea de re accuratè,illud vere accommodatè dici posse videtùr,non ab una causa pulsus intermissionem fieri, sed vel propter debilitatem virtutis ipsius, atque sic dubium non est,in utroque

troque brachio æquè appaṙitura: vel propter malam instrumentorum conformationem, quam causam ipse nunc removes: vel ob angustiam, verbi gratia, tumorem aliquem in vicinis partibus, à quo arteria veluti comprimatur, & pulsum infirmiorem reddat: vel denique propter obstructionem, quæ si detur, quæris quo in loco consistere queat. Respondeo materiam aliquam viscidam, aut crassam tunicis arteriæ impactã esse posse, nõ quidem ut ex toto eam obstruat, alioqui enim plane pulsus omnis aboleretur; sed ex parte tantum, ut minus evidens, atque ceu interpolatus percipiatur. Vale. 16. Martij, an. 1576.

D. Iohanni Cratoni Med. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S.D.

AD disputationes meas, in superioribus quibusdam inchoatas, quod spectat, brevissime omnino me exoluam, imo plane verbum nullum facerem, si te hæc cum fastidio legere arbitrarer. Nondum assequor quomodo calor insitus, & influens pro eodem reipsa haberi possint. Venit nunc in mentem mihi eos sic distingui posse, quòd calor insitus misto insit, quo ad mistum est. (quomodo enim alias ex 4. elementis, seu ut Hippocrates appellare consuevit, ex calido & frigido, & humido & sicco, constare dici posset?) Calor autem influens mi-

ſto inſit,(loquor de iis,quæ vita animali vivunt) quo ad miſtum illud vivens eſt. Accedit quòd calor inſitus à principiis generationis inhæret, atque ex ſemine ipſo, & ſangvine menſtruo ortum ducit. Calor autem influẽs poſtea primum ex ſangvine alimentari in corde generatur,ejuſque vehiculum eſt ipſe vitalis Spiritus. Denique inſitus ille,ſeu implantatus calor, partibus quibus ineſt, appropriatus eſt,nec alibi reperiri valet. Habet enim ſe (quemadmodum Ariſtot. loqui ſolet) ὡς τόδε ἐν τῷ δε.Influens autem in corde quidem primario ineſt, ut qui inde originem ſuam trahat, ex illo verò tanquam perenni fonte arteriarum,ceu canalium ope in omnes corporis particulas derivatur, quibus quidem vitam & calorem,ut ſic dicam,activum impertit. Unde etiam fit ut via iſta præclauſa partes ſtatim emoriantur, cùm nihilôminus miſtionem & temperamentum ſuum nativum obtineant. Quod putredinis utriuſque cauſa efficiens eadem ſit, fortaſſe de efficiente propinquo concedi poſſet Quæritur tamen,unde ſit ille calor præternaturalis? Dixi in putredine univerſali ſeu naturali eſſe tantum ab ambiente,hoc eſt,aëre vel aqua. In particulari autem ſeu violenta & morboſa ſæpiſſimè ab obſtructione,hoc eſt,cauſa interna, non externa. Fines tamen magis principales diſcrimen inter has duas putredines faciunt. In illa enim in cineres, atque fimum miſta ipſa omnia rediguntur.

guntur. In hac nondum prorſus corrumpuntur, aut in ipſa prima elementa redeunt, ſed ſolū modò κατὰ μέρος φθείρονται, ſecundum partem ſcilicet, non tam ſubſtantialem, aut quantitativam, quàm, ut ſic dicam, qualitativam. Frigiditas interna, de qua dixi, unde ſit quæris? Reſpondeo eſſe eam, quæ natura miſto cuilibet ineſt. Cùm enim antea à calore in generatione dominante vinceretur, atque cohiberetur, nunc poſtquam calor ille internus patitur, & diminuitur, ipſa quoque paulatim vires ſuas prodere, & activa fieri incipit, atque ſic una cum calore præternaturali foris agente corruptionis, ſeu τῆς κατὰ φύσιν σήψεως cauſa adæquata exiſtit. De cauſa intermiſſionis pulſus in uno brachio illud ſolùm adjiciam, quod, ut puto, alienum ab re non fuerit. Depravatæ actionis in corpore humano, inter quas hæc rectè connumeratur, certum eſt plures tribus cauſas aſſignari non poſſe. Aut enim facultas ipſa læſa eſt, aut inſtrumentum, à quo editur, aut deniq; externus aliquis error accidet. Virtus lædi, niſi ab intemperie (quam removes) vix poteſt. Organum verò tum vitiatum dicetur, ubi mala conformatio præter naturam partiinerit, quæ ſimiliter à te excluditur. Relinquitur igitur externum aliquod impedimentum acceſſiſſe, quominus inculpabilis actio ſubſequatur, quod quidem erit, aut tumor aliquis arterias foris coangu-

ſtans, aut obſtructio intus cavitates ex parte opplens, aut unitatis ſolutio, aut aliquid ejuſmodi, quod ſub his generibus ex neceſſitate comprehendatur. Peto abs te etiam atque etiam ne iniquiori animo haſce meas συζητήσεις feras. Etſi enim ſcio me de rebus maximi momenti, vel propter ætatem nondum γνώρισμον πιστὸν habere poſſe: tanto tamen lubentius eas in dubium revoco, ut plenius de his erudiar, cum etiam Philoſophus affirmet, de qualibet re dubitare non eſſe inutile. Minime verò meum eſt propoſitum rebus neceſſariis omiſſis nugis quibuſdam occupari. Ideoque regulam abs te præſcriptam diligenter menti meæ infigo: Philoſophandum eſſe paucis, meditandum & cogitandum diu. Vale. 11 Maij. Anno 1576.

D. Iohanni Cratoni, Med. Cæſ. &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

LÆTOR ex animo te priſtinas vires nonnihil recepiſſe, & nunc valetudine paulò confirmatiore uti, quæ quidem ut diuturna & ſtabilis ſit filium Dei precor. περὶ ζητήματος, quod nuper diſcendi cauſa propoſui nolo odioſe diſputando tibi moleſtiam exhibere. Fateor nec locum, nec gradum eſſentiam caloris conſtituere, ſed illud volebam, ut in reliquis partibus, ita etiam in ipſo corde duplicem calorem reperiri, implantatum quidem, qui in princi-
piis

piis generationis insit, ac semper postea immaneat, sitque aut ipsum temperamentum cordis nativum, aut certè temperamenti ejus potissima qualitas. Influentem verò (ita enim ratione aliarum partium, ad quas ex hoc fonte derivatur, dici consuevit) qui non ex semine aut sangvine menstruo oriatur, ut alter ille, sed pôtius ex sangvine illo alimentari, ab epate eo delato; qui etiam postea cum spiritu vitali, tanquam vehiculo illius in omnia membra corporis propagatus, eis vitam impertiat. Violentæ verò putredinis Aristoteles, & quarto illo sublimium, ἐκ τῆς ἐναντίης, & in libro de respiratione expressè meminisse videtur. Appellat enim τὴν βίαιον μάρανσιν, quasi opponens τῇ κατὰ φύσιν. Frigiditatem autem illam internam, quæ natura inest misto, certum est per se solam putredinis causam minimè esse posse, cùm à calore misti superetur & reprimatur. Quando tamen evocato & debilitato calore illo, qui mistum continebat, mistum dissolui incipit, mirandum non est ipsam quoque frigiditatem, licet antea vernacula fuerit & passiva, nunc extraneam & activam evadere, ac cum calore ambientis simul calorem proprium misti oppugnare, & ita hæc duo causam adæquatam putredinis existere. Venetiis contagium, quod prorsus sopitum videbatur, paulatim nunc vires suas rursus exerit, adeo ut Illustriss. Dominium, quinque præcipui nominis medicos ex

hac urbe ad se vocaverit, habendæ deliberationis causa, quomodo his malis idoneis præsidiis occurri possit, qui quidem crastina die hinc discessuri sunt. Deum precor ne cursus studiorum nostrorum tali aliquo impedimento interrumpatur. Erastum suas de contagione conclusiones, auctiores tamen & emendatiores denuo prælo subjicere in animo habere nuper admodum cognovi. Fundamenta ejus nostri non improbat, etsi quædam adhuc explicatius dici desiderent. Illud de substãtia & qualitate, per quorum utrumque contagionem definit, ita intelligendum censeo, ut seminarium seu vapor: ille exiens à corpore infecto, & eundem specie morbum in alio subjecto procreans interdum à sua substantia vel forma, occulta quadam vi agat, interdum verò nota saltẽ qualitate; sicut manifestè hoc discrimen in morbis contagiosis animadverti potest. Exempli causa sit pestis, lues venerea, scabies, & alia hujusmodi. Vale. Patavij. 8. Junij, Anno 1576.

D. Iohanni Cratoni Med. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S.D.

Causa cur vomitus & nausea consequi soleant, ubi calculus est in motu, referenda videtur, aut in συμπάθειαν oris ventriculi, quod sensu exquisitissimo præditum esse constat, ob partem nerveam, in substantia sibi

sibi similem, (canales nimirum urinarios) affectam, aut si propius causa indaganda est, ob coli ipsius læsionem, aut irritationem à lapidis motione per contactum conciliata, præsertim cum ventriculus colo (sicut & ipsis renibus, quamvis obscurius) facilimè consentiat, quemadmodum evidenter Galenus 2. de locis aff. 5. & 6. de locis aff. 1. demonstravit. Contagii per DEI gratiam is nunc status est, ut nos magis magisque securos esse jubeat, quamvis tantum incendium minimè ita subito extingui potest, ut non aliquæ saltem favillæ remaneant, sensim tandem & ipsæ evanescentes, id quod in huius etiam pestis reliquiis Venetiis fieri videmus. Deus nobis clementer porro adsit. Ad putredinis essentiam quod attinet, Aristotelem & Galenum inter se maximè concordes, apud me nullum est dubium, quantumvis verbis nonnihil inter se diffidere videantur, ob id inprimis, quoniam non unum scopum tractationis uterque sibi propositum habet. Hîc namque ut Medicus actioni sive curationi intentus, non minus ea quæ fit, quàm quæ jam facta est, complecti voluit; illi vero ut Philosopho sat fuit formam ipsam & perfectionem putredinis commonstrasse, cùm eam, quæ nondum finem & terminum suum assecuta est, ceu contemplationi inutilem pro nulla ducat. Neque hæc, ut Galenum toties Aristotelis finitionem com-

mendantem præteriam, Erasti solius est sententia, verumetiam, quos nunc præceptores habeo, tùm Capovaccii, tum Mercurialis nostri qui in publicis prælectionibus unanimi calculo huic opinioni ambo astipulati sunt. Quod si quis inde inferre velit, quemadmodum fortasse & Auerrhoes, & non pauci alii haud indocti senserunt, hoc pacto Hecticam quoque necessariò putridam vocandam, eò quòd calor præternaturalis etiam in hac febre in solida agit, is videtur non firmissima ratione niti. Quandoquidem non animadvertit calorem extraneum duplici modo in mistum aliquod agere posse, ut videlicet illud aut alteret, aut corrumpat. Iam in Hectica solidarum partium calor, ut proprius duntaxat patitur, dum igneus, ac præter naturam evadit, quam mutationem intra alterationis limites ad huc consistere liquet. At vero in putridis non alterationem tantùm, verùm etiam corruptionem calor ille extraneus in humiditatibus corporis molitur ut uno ore & Aristoteles, & Galenus pronunciarunt: hæcque ipsa corruptio rursus bipartita rectè statuitur, Naturalis nimirum una, violenta altera, de quibus omnibus breviter dici minime potest, quin potius abs te peto, ut quæ modo in medium protuli (discendi certè studio adductus) ea sine fastidio legere non dedigneris. Vale. Patavij. Anno 77. 14. Martij.

D. Iohanni Cratoni, Med. Caes. &c. Petrus Monavius, Med. S. P.

LOCUM Galeni, quem de vomitu in dolore renum nuper in tuis allegasti, nondum attente perlegere vacavit. Visus est tamen & mihi primo intuitu à scopo non aberrasse, sed experiar de eo Hermetis quoque nostri judicium. Nunc filum literarum tuarum sequendo ad ea me converto, quæ de Putredine controversa esse ponis, teque auctore liberè (hanc discendi occasionem minimè negligendam ratus) cogitata mea qualiacunque profero, tuoque judicio discutienda relinquo. Principio cum res ipsæ differant, inquis, definitiones earum nequaquam congruent. Atque ita neque mutatio, sive motus ad corruptionem, & rerum naturalium interitus pro eodem accipi poterunt. Dico ego duas istas definitiones Aristotelis nempè, atque Galeni, ut maximè verbis, atque etiam rebus ipsis quadamtenus (ut nuper posui, & nunc amplius declaraturus sum) discrepat: minimè tamen sibi invicem oppositas aut adversas, sed potiùs velut subordinatas, mutuoque respondentes esse: idque ob eam rationem, quod prior illa generalior, omni putredini, in quantum putredo, conveniens: hæc magis determinata est atque restricta. Illam, utpote à Philosopho traditam, putredini tùm u-

niverſali (quam ita vocant) tùm ei quæ ſecundum partem eſt itemque tum naturali, tum violentæ (ita enim diſtinguit Ariſtoteles) accommodare licet. Hæc à Medico allata, ut propoſito ejus inſerviat, ad putredinem in corporibus noſtris fientem, factamve, pæne ſolam directa eſt. Unde non immeritò cùm hanc Galeno hunc in modum conſtituere placeret, alteram tamen, ceu hujus parentem mirificè pluribus in locis commendat. Apparet hinc etiam, cur in cauſis effectricibus aſſignandis uterque ab altero nonnihil variet. Etenim Ariſtoteles putredini in univerſum intentus ſatis habet dicere, eam ab externa caliditate ortum ducere, non ſolicitus utrum ea caliditas aeris ſit, an aquæ, utrum vaporum aut fuliginum ambientium, utrum ab impedita perſpiratione, aut quavis tandem alia occaſione exſtiterit. Galenus contra ex artis ſuæ præſcripto, unicam in humanis corporibus putredinem ſibi ob oculus ponens, ejus cauſas definitas, atque circumſcriptas inveſtigare tenetur, unde quod Philoſophus in genere dixerat: illud in ſuas quaſdam ſpecies diducit, & limitat. Quo in loco ut firmior inter graviſſimos hoſce autores concordia coaleſcat, & plurimarum objectionum anſa ſimul præcidatur, illud adjicere libet: Non videri mihi abſonum, aut à mente Ariſtotelis alienum, ſi vocem τοῦ περιέχοντος, quam ambientem alij, alij conti-

continentem verterunt, ita accipiamus, ut non solùm aerem, vel aerem & aquam simul complectatur, sed omne omninò id, quod corpus putrefactioni obnoxium proximè ambit, aut continet. Id quod Galenum quoque animadvertisse inde liquet, quod nulla aeris, aut aquæ exprèssa mentione facta externum calorem, qui nimirum foris subjecto putrescibili occurrat, duntaxat uominat, suoque scopo exinde accommodat. De calore autem innato, quænam inter eosdem tanta sit discordia nondum intelligo. Ais Galenum hunc statuere sangvineam simulque aeream substantiam una cum spiritu. Ego ex Aristotelis loco, quem tu met citas, 2. videlicet de ortu animal. non multo diversum colligo. Inquit, enim, hic autor calorem, qui facit, ut fæcunda sint semina, non ignea esse, non talem facultatem aliquam, sed spiritum, qui in semine, spumosoque corpore cōtinetur, naturamq;, quę in eo spiritu est, proportione respondere elemento stellarum. Certè caloris hujus congeniti essentiam spirituosam esse pronunciat, & quodammodo igneam, ut alibi sæpe appellat, non tamen adurentem sed blande foventem & mitem, omnesque operationes vitæ gubernantem, atque dirigentem. Quare etiam ob eandem causam calori cœlesti, sive æthereo, qualis est solis, rectè illum comparat, cum tamen alioqui revera sit elementaris. Si quid in-

ter utriusque sententiam interest, illud fortasse solum fuerit, quod Aristoteles, ceu Philosophus (ad hoc enim subinde respiciendum) calorem hunc magis (ut scholæ loquuntur) in abstracto considerat, ejus essentiam absolutè & per se innuendo. At Galenus, tanquam artifex sensitivus, materiam sive subjectum propriè ei copulat, in quo residet. Quod quidem aliud esse non potest, quam humidum illud primogenitum, ita medicis vulgo nuncupatum, hoc est, substantia quædam viscida, pinguis, & veluti oleosa, ex primis ortus nostri principiis, semine nimirum & sangvine menstruo conflata. Si itaque porro quæras, quonam modo Erastus probaturus sit calorem innatum, de quo agit Aristoteles, & totam substantiam, de qua Galenus, idem esse: ipsius verbis (quæ in positionibus nuperrimè editis habentur) respondebo, eum non solum calorem nativum, seorsim complectendo, à Galeno totam substantiam appellatam, sed (secundum ipsummet Aristotelem) calorem nativum cum suo humido conjunctim, hoc est, sua materia. Et quid mirum? Cum enim ad compositum aliquod constituendum, præter materiam & formam nihil concurrat aliud, cur non hæc duo simul sumta totam substantiam complere affirmabimus: Atqui calor nativus, ut per se apparet, formæ vicem sustinet, humidum ipsum materiæ. Jure itaque (calorem nativum cum suo humido) totam

totā substantiā nuncupare licebit. Verū restat & alius scrupulus, quē ex iisdē fundamētis aliquoties jā repetitis, dissolui posse cēseo. Aristoteles enim in sua illa definitione, cū putredinē corruptionē esse ait, proprij & nativi caloris in unoquoque humido, exquisitius loquitur, quam Galenus, qui eandem vocat mutationem ad interitū seu corruptionē totius substantiæ putrescentis: Ille enim exacta ratione omnia pensitans, tanquam Philosophus, ea quæ καθόλε, ἐκαθ' αὑτὸ sunt contemplans, proximam immediatamque, sive, ut in scholis nominare consueverunt, causam adæquatam tangere voluit, quæ semper cum suo effectu recurrit, (quemadmodum namque omnis putredo primo naturalis caloris corruptionem spectat, ita etiam hoc incolumi permanente, ut putredo aliqua accidat, fieri nullo modo potest. Galenus autem cui, ut Medico circa singularia magis occupato, hæc ἀκρίβεια φυσικὴ curæ non est, ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον rem explicare maluit. Unde & popularius totam substantiam appellat, & præterea non tantum perfectionem, quam Philosophus intuetur, sed etiam viam ad perfectionem, seu ad terminum sua definitione complectitur. De forma & modo putredinis similiter non levem esse dissensionem inter utrumque subjungis. Illo asserente putrescentia primum humidiora fieri, evocato scilicet humore ad superficiem, deinde absumpto sic-

ciora, donec in fimum redigantur; hoc nihil horum proponente, & quæ sequuntur: dico, rebus distinctis facilè hanc quoque inter eos litem dirimi posse. Partitur enim Aristoteles statim ab initio putredinem, de qua verba facturus est, εἰς τὴν καθόλου, καὶ τὴν κατὰ μέρος, quarum alteram simplici generationi, ut maximè commune opponit; alteri vero tribuit his propemodum contrarium. Erunt igitur aliqua, in quibus hæ duæ putredines inter se convenient; (cur enim alioquin uno nomine participarent?) nec pauciora, in quibus ut plurimum diffidebunt. Forma generica eadem videtur esse utrobique, nempe, caloris nativi in suo humido corruptio, tum perfecta, tum imperfecta, inchoataque, tametsi illic secundum naturæ cursum ex internis principiis (ambiente interim aëre nequaquam excluso) ea misto adveniat, hic vero à principio aliquo violento & externo. Causæ efficientes remotæ & ipsæ coincidunt, quoniam corruptio isthæc in ambabus aliunde non provenit, quàm à caliditate extranea, quæ mixto occurrit; propinquæ tamen nonnihil variant. In universali enim putredine calor aëris ambientis, aut aquæ etiam solus reperitur. At in particulari seu violenta, tum idem ille adest calor, tùm vero etiam is, qui excitatus in penetralibus corporis ab obstructione, à crassis fuliginibus emanantibus à succis excrementiciis,

menticiis, & similibus aliis. Si itaque conclusertmus Philosophum in 4. illo sublimium potissimum de putrefactione naturali, ad quam mistum est propensum, & quidem universim loqui (quamvis nec alteram prorsus releget) Nostrum autem Galenum magis determinatè de putredine violenta morbidave in nostris corporibus orta agere: tum vero existimo hac ratione multis difficultatibus obviam iri posse, & pleraque deinde dilucidiora, & minus intricata evasura. Ad fœtorem, quod attinet, unico verbo subjungo. Non convenire eum omni putredini, quoad putredinem, multo minus partem essentiæ ejus constituere, sed saltem accidere certæ putrefactioni, ob dispositionem aliquam singularem, quæ in passo reperitur, utpote in quo magis humiditas, ita etiam minus olere ipsa testatur experientia, ut taceam Theophrastum clarissimum autorem, in 3. de causis plantarum, asserentem; Omnem generationem illarum per putrefactionem fieri, in qua tamen insignem aliquem fœtorem imminere vix unquam à quoquam animadversum fuit. Quibus omnibus hunc in modum constitutis postremo tuo quæsito satisfacere studens affirmo: Putredinem omnem, qualiscunq; ea tandē sit, aliud nihil esse posse ex propria sua natura, quam intemperiem quandā calidā, calori nativo corporis nostri (loquimur enim nunc ut Medici) penitus adversantem,

Quòd verò una quam alia sævior est & efficacior, ideò accidere arbitrandum est quoniam non eundem perfectionis gradum utraque obtinet. Quæ enim vix dum inchoata in possessionem missa, nisi prorsus è corpore tollatur, nulla ratione alia compesci potest. Et quidem (ne longè exempla petantur) hoc discrimen in febribus putridis pestiferis, ac non pestiferis manifestissimè apparet. In his enim vapores à materia putrescente ad cor elati, (agens enim magis fervefactum, quàm putrefactum: patiens cum humidissimum sit comburi non potest, sed per violentiam putrescere) illud non tam putrefaciunt, quam calefaciunt, pro sua videlicet naturæ & subjecti conditione, cùm fervefacti & adusti magis sint verè putridi redditi. Certe enim, si quis hæc fortè negare præsumat, putredinē ita altè particulis suis infixā non habent, ut mordicus illam retinere diutius valeant. Diversa est ratio pestiferarum, quas corruptionis hujus terminum omnibus numeris absolutum attigisse constat. Accedit quod ob gradum illum perfectionis, eam malignitatem febres hæ pestilentes conjunctam habeant, ut venenis putrefactivis non injuria ob agendi vim præsentissimam assimilentur, proindeque à vulgaribus putridis longo intervallo separentur. Quamobrem etiam rectè tota substantia nobis adversari dicuntur, hoc est, non solùm

simplici

simplici & nuda intemperie primarum qualitatum (est enim contagium à putredine derivatum non prima, sed secunda qualitas, certam subjecti dispositionem requirens) verum quoque tota sua forma & essentia. Neque tamen inde sequitur, in sensu putridarum, & quidem continuarum amplius non habendam, cùm forma ipsa sine instrumento (hoc dico, ne putetur esse potius morbus formæ, quam temperamenti. Cùm forma non agat sine instrumento, & morbus sit affectio ejus, quod primò adjuvat, vel impedit actionem) apte vel inepte tẽperato nullã actionẽ edat: & ipse Galenus expresse affirmet pluribus in locis: Verum characterem febrium pestiferarum esse largam putredinem. Quæ omnia si pluribus verbis, quàm fieri decuit, apud te exposui, dabis opinor veniam loquacitati meæ, cum ut in hanc arenam descenderem pene abs te provocatus sim. Tu si adversum non est, quid tibi de his videatur respondere nõ gravaberis. Vale. Patavij. Kalend. Augusti, Anno 1577.

D. Iohanni Cratoni, Med. Cæs. &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

IN doctissima tua disputatione de melancholia hypochondriaca illud mihi adhuc dubium videtur. Quomodo ea à frigiditate epatis oriri possit, cum non tantum alij recentiores,

ſed etiam ipſe Galenus in pleriſque locis affirmet hunc humorem gigni ὡς ὑπὸ θερμασίας πολλῆς ἐγχωρίου κατοπτώσης ἢ τὴν ξανθὴν χολὴν, ἢ τὸ παχύτερον τ' καὶ μελάντερον αἷμα, Et paulò pòſt, (tertio nimirum libro de locis laborantibus cap. 7. ubi verba Dioclis recenſuit) univerſaliter pronunciat, ut talia accidentia contingant oportere in ventriculo inflammationem eſſe, à qua ſangvis craſſeſcat, & melancholicus evadat. Ut maxime enim demus à frigiditate epatis (ſi ſimul ſiccitas accedat, alioqui enim magis hydropem ſeu leucophlegmatiam cauſabit) ſagvinem craſſum, fæculentum, tenebroſum & pene immobilem reddit; quia tamen hæc διάθεσις totius corporis eſt, in quod maſſa ſangvinea diſtribuitur, minus rectè videtur ad hypochondriacum hunc affectum reduci. Expecto tamen de hoc tuum judicium. Quod autem in fine addis: Pueros nonnunquam ob pituitam craſſeſcentem atque putreſcentem quartana laborare, non minorem dubitationem habet. Cur enim non potius in ipſam melancholiam, quam vel naſcentes ſecum afferunt, hæc transferamus, ne typos febrium abſque ulla neceſſitate tranſmutemus? Cætera omnia vehementer perplacent, & expectationi meæ egregiè reſpondent, ac res ipſa fatetur hæc dudum ante tibi præmeditata eſſe. Ignoſce igitur quòd diſcendi ſtudio diutius hæc ceu invalida tela adverſum te vibro, quæ tibi non excipere

tantum

tantum, sed etiam isti torquentem regerere facile erit. Vale. Uratisl. 4. Idus Januar. anno 1579.

D. Iohanni Cratoni Med. Cæs. &c. Petrus Monavius Med. S.D.

ITERUM consilium tuum sapientissimum ad Do. Wolzogium directum, quod consolationem medicam appellas, diligenter relegi & expendi, inque eo nonnulla observavi, de quibus ne me brevibus tecum agere moleste feras oro. Quod serosi in corpore humoris proventum præcipuam fluxionis in arthriticis affectionibus causam statuis, ad Fernelij nostri opinionem, contra quam multi disputarunt, quàm proxime accedis. Verum in duobus te ab illo dissentire arbitror, nempe, quod non solùm crudum & serosum humorem mali hujus progenitorem facis: deinde quòd non à capite duntaxat, verum etiam ab aliis partibus materiam ad articulos confluere posse concedis, quorum utrunque rationi & experientiæ magis consentaneum esse, quàm illius παράδοξον, nec veteribus unquam approbatum, ipse quoque plane sentio. Lubenter tamen una tecum assero: serosos humores semper cum crassioribus conjunctos esse, quod hi sine illis ad fluxionem inepti sint; imo hi illis vehiculi vicem præstent. Unde serosio-

rib. humorib. tẽpestive sublatis, sive per urinã, sive per sudores, qui remanẽt crassi, alio averti & expurgari, per alvum nimirũ, minori cum noxa possunt facile. In victus ratione præscribendo paulo rigidior mihi esse videris, in eo præsertim homine, qui in occupato vitæ genere degit, & ne potest quidem, si velit maxime, tam accuratam diætam, non in cibo solum & potu, sed in aliis etiam rebus non naturalibus dictis observare. Dum enim valetudini suæ impensius operam daret, ut officium sibi commissum interim in multis negligentius curaret, omnino necesse est. Itaque in mentem venit, quod de laudatissimo Aragonum Rege Alfonso recitatur. Is enim cum à quodam audisset, qua ratione ad xc. annorum ætatem, viribus sic satis constantibus pervenisset, subjecit: Mori se malle intra decem annos (nondum autem quinquaginta excesserat) quàm ad centum tali vitæ genere pervenire. Habet certe hic etiam illud locum: Non nobis solum nos natos esse, & quæ sequuntur. Quot porro sunt, qui in exquisitissima victus ratione sæpius tamen in articulares dolores incurrunt, & molestius iis fatigantur, quàm qui nonnihil liberius vivunt? nempe, Hippocratis illud oraculum verissimum esse, res ipsa indicat: In tenuis diætæ observatione plures errores committi solere, qui ægros deinceps gravius affligunt. Quodvis siquidem peccatum hic noxium magis, quam in paulo pleniore

pleniore victu esse consuevit, atque eadem de causa sanis valdè tenuem, & statam, exquisitamque victus rationem parum tutam esse, idem autor prudentissimè affirmat. quoniam si quid vel exiguum deliquerint, gravissimè perferunt. Ego quidem, ne quid diffitear, in ea sum hæresi: In victus ratione præscribenda magis ad quantum, quam ad quale respiciendum esse, atque cibum, etiam ex sua natura minus salubrem, morboque idcircò accommodatam, si tamen cum aviditate sumatur, minus noxæ corpori afferre, quam alium, qui salubertimus quidem judicetur, sed appetitui nostro plane repugnat. Quod enim sapit, ut vulgo dicitur, id nutrit. Et quæ ventriculus invitus assumit, nunquam arcte complectetur, (in quo plurimum situm ipse affirmas) inque bonum & laudabilem succum convertet. Aurea igitur regula illa valeat, quam tute diligenter inculcas: Ut ne quid nimis. Unde apparet me nequaquam cupiditatibus frænum in infinitum laxare; sed tantum hoc velle, ut ne jugum importabile miseris ægris imponatur, appetitusque eorum prorsus prosternatur. Ideoque, quæ illis morbi ratione prosunt, aut obsunt, diligenter quidem indicanda censeo, ut sciant, à quibus potissimum cavere debeant: nihilominus ubi à propositis rebus naturaliter abhorrere senserimus, aliquid indulgendum, ut illos in officio conservemus, & paulatim ab insalubri-

oribus ad salubriora, hoc veluti obsequio, perducamus. Nam & ipsi spontè hac prudentia utetur, ut de veritis parcius degustent, inque reliquis medico se magis obedientes exhibebunt. In potu autem hoc præceptum vim suam vel maximè obtinet. Laudo itaque quod vinum bonum & clarum, cujus usu alii etiam extra paroxysmum severe interdicunt moderatè sumtum permittis, quia scilicet non tantùm bono sangvini efficiendo, idoneum est: sed etiam cruditatibus concoquendis absumendisve, quibus hoc corpus plurimum scatet, egregiè confert. Sed nec cerevisiam hujalem, ceu potum naturæ familiarem, & tenuitate sua citò hypochondria permeantem, improbaverim, ut tamen nodulum ex calamo aromatico inciso, galanga, seminibus anisi, feniculi, vel baccis lauri, & similibus, ad corrigendam frigiditatem & cruditatem immitteret sæpè suasi, neque te, cùm sapor haud insuavis sit, inde abhorrere existimo. In quarta parte seu capite consulationis tuæ circa medium σφομμα γραφικὸν commissum esse puto. Neque enim, quid sibi verba ista velint, quove referenda sint, satis assequor. Cùm spiritus puriores in ipso morbo, &c. Ex tuis igitur adversariis, nisi molestum est, errorem nobis demonstrabis, & corriges. Rectissime reprehendis plerosque medicos, qui cùm in morbo articulari duo potissimum consideranda sint: causa fluxionis, & pars fluxionis

xionis recipiens : ad alterutrum duntaxat curationem totam convertant, nempe, qui purgantibus pharmacis corpus frequenter nimis exagitant; ad caufam feu materiam fluxionis. Et qui thermas, luta, & alia hujufmodi confulunt; ad partem affectam. At vera & rationalis methodus ita uni fcopo attendendum fatis faciendumque monent, ut alter interim non negligatur. Ut purgantibus per certa intervalla plurimum tribuo merito: ita nequaquam illis affentire queo, qui omnem topicorum ufum veluti religione quadam ducti in folidum prohibent. Quorfum enim quæfo dolorem, qui fluxiones auget, & vires corporis dejicit, impunè adeo graffari permittamus? Ita tamen falfa perfuafione inducti fermè omnes funt, & medici & ægri: ut piaculum exiftente loco patienti, quamdiu durat dolor, aliquid applicare. Cautione magna, in materia præfertim mifta, qualis plerumque eft, utendum cenfeo: interim tamen non prorfus abftinendum, donec fenfum pars penè omnem amittat, & ἀναίσθητ-τ☉ atque ftupida fiat. Si Galenum confulimus, quã ille liberalis eft ex Archigenis & aliorum fententia, in iis admovendis, quæ opium, fuccũ, hiofcyami, cortices mandragoræ, & alia narcotica recipiunt? Ego tamen tã audacter, & tali magiftro prævio, ad extrema hujufmodi cõfcendere nolim. Illa potius admiferim, quæ tẽperiei fuavitate, & vi anodyna dolorem, qui in

excessu positus est, blande demulcent, simulque levi astrictione partem à fluxione debilitatum roborant. In hoc censu liquores idoneos seu destillatos, seu decoctos, quibus lineamina imbuuntur, & calide partibus sæpius permutando circumponuntur, magis laudaverim: quàm oleosa illa & pinguia, quibus pori cutis fere obstruuntur, & materia tenuior difflari prohibetur. Cauteriis, si dextre & artificiose fiant, multos egregie adiutos esse constat: & recitat exempla nonnulla dominus Erastus, piæ memoriæ, in Antiparacelsicis. Convincit idem ratio, quæ ex tua hypothesi deducitur: quando nihil æquè serosos humores absumere aptum natum est, atque cauteria ista. Sumitur autem indicatio, quæ tamen 5. Methodi medicæ ex eo, quòd continuo in corpore præter naturam gignuntur, ea etiam tale præsidium expostulabant, quod illa continuo educat. Hoc nempe fonticuli illi, ut vulgo loquuntur, præstant: & exitum iis humoribus è corpore innoxie patefaciunt, qui alioquin intus detenti multum molestiæ naturæ afferre solent. De lotione capitis frequente ipse quoque ἐπέχω: propter actualem illam humiditatem, quæ non potest non incommodi aliquid adjunctum habere. Cerotum quod substituis, magis placet. Velim tamen scire: An illud raso vertici applicandum sit, an vero sindone obductum noctu duntaxat admovere conveniat: obtemperabo

lubens,

lubẽs (id enim poteſtatis à patiente noſtro, pro ipſo ſæpe fidejubendi, accepi) quicquid hac in parte, & aliis fieri juſſeris. Quantum ad vaporarium ſeu ſtufam ſiccam attinet: dum mentem tuam penitius introſpicio, nequaquam nos diſſentire arbitror. Nam nec ego hîc quicquam cum impetu agi, aut ab uno extremo ad alterum ſine medio tranſire velim. Blandiſſimus ille vapor, qui è herbarum idonearum decocto feruente emanat, quid violenti habet? Caput quidem ne juſto plus repleatur exſertum manet. Reliquum corpus ſudat tanto temporis ſpacio, quantum abſque ullo incommodo perferre poteſt, modò per ſemihoram, modò per tres quadrantes, ad integram uſque horam idque ſingulis ſex aut octo diebus ſemel. Sudores matutini in lecto ægre in hoc corpore procedunt, & hominem occupatum juſto diutius detinent: at illic una vice faciliori cum tolerantia compenſatur, quod hîc vix multis obtinere fas eſt. A Calendis Januarij huc uſque ſingulis diebus mane uſus eſt pulvere, ea fere forma, qua pro D. Quæſtoris conjuge non ita pridem præſcripſiſti, incorporato ſcilicet cum rob de baccis ſambuci. Nunc autem te autore eundem pulverem cum melle acido in electuarii mollioris formam redactum ſumere conſtituit. Alter ille Italicus Mediolanenſis nimis amarus eſt, ut propter caloris exceſſum utilem quoque ſuccum in corpore

depaſcere, & contiariam quandoque intemperiem inducere credibile ſit. An inter oleum & ſpiritum vitrioli (quæ vulgò confunduntur) differentiam facias, incertus ſum. Arbitror tamen te id intelligere, quòd medio inter deſtillandum tempore exit. Spiritus enim ſubtiliſſimus ante omnia exhalat, id olei nomine aliqui non dignantur, quòd flammam, ceu cætera olea omnia, nō concipiat: ſed liquorem duntaxat generis voce nuncupant. Si de re ipſa edoctus fuero, de nomine cum nullo litigare volo. Atque hactenus quidem, quæ conſolationem tuam attentius legenti & ponderanti in mentem venere, referre libuit: non tam mei exercendi cauſa, (quod tamen ipſum non pernego) quàm ut D. Wolzogij, id à me poſtulantis deſiderio ſatisfacerem. Te etiam nobis optime velle minime omnium dubitamus, ita tamen reſpondere nolumus, ut quicquam in noſtri gratiam tuæ obſis infirmæ valetudini, quam firmam eſſe, atque conſtantem ſeriò optamus præcamurque. Vale. Pragæ. 17. Jan. Anno 1585.

D. Hieronymo Capouaccio, Profeſſori Patavino, &c. Petrus Monavius Medicus. S. D.

SCRIPSERAM ſuperioribus menſibus ad te aliquid, verum quando illud ad manus tuas per-

perveniſſe,ob tã diuturnũ ſilentiũ tuũ non immeritò dubitẽ,laborẽ hũc denuò ſubire, & epiſtolam certiorib. hominib. cõmittere placuit, idq; tanto majori cũ audacia, quanto ad me inſtuendũ,& benigne quæſitis reſpõdebo in proximis tempore offers. De cauſa continente, adeoque de morbi eſſentia,quam variæ ſint, eæque haud ſatis explicatæ diſputationes, ad affectuum tamen curationem parum admodum conducentes haud equidem me fugit: verùm ego pleriſque illorum præteritis in præſentia pauca tantùm,quæ ex tuis verbis excerpſi, dubia,diſcendi gratia proponere conſtitui. Principio igitur quæro : An cauſa continens ſeu contentiva in morbis verè detur, & ſi datur in omnibus ne, an tantum in aliquibus? Prorſus non dari, illud primo demonſtrare videtur, quod morbi ſunt conſtitutiones quædam, & res jam factæ, non adhuc fientes, quo nomine etiam à diſpoſitionibus,affectionibus,ſeu paſſionibus præcipui medici illos differre recte cenſuerunt. Cauſæ vero continentes illis duntaxat rebus attribui ſolent, quæ (Gal. de pulſ. cap. 10.) tantiſperdum fiunt, eſſentiam ſuam obtinent; pulſibus, verbi gratia, & aliis motitionibus, actionibuſque tranſitoriis. Deinde Galen. ipſe, ubi ex profeſſo de cauſis morbificis agit, nuſquam, quod ſcio, continentium, ſeu contentivarum meminit, quarum tamen cognitionem ſi ullo

modo necessariam medico existimasset, eam silétio involvere voluisse haud credibile est. Avicenna item, fidelis Galeni interpres, continente & ipse omissa (nisi fortasse, quod aliquibus placere video, non vicariam paulò pòst eandem nominasse dicamus) conjunctam causam loco illius substituit, & in morbis agnoscit, quæ tamen à priore illa omninò, ut mox explicabitur, diversa est. Subit igitur haud immeritò mirari ex cujusnam autoritate illa causa continens seu contentiua in medicinam à recentioribus invecta sit, & cur tanta animorum contentione hodie adhuc de eadem disceptetur. Ut enim maxime in censum causarum morbosarum admitti debere concedamus, quæri tamen secundo loco potest: Num omni morbo, an vero aliquibus tantùm, & quibusnã inter hos conveniat? Sunt qui certis rationibus ducti concludant; Nullum morbum temperiei continentem causam (qua scilicet ablata statim affectus perit) habere posse. Inter reliquos vero illos solummodo, qui in additione rei alicujus constituit, causam eandem possidere, cæteros non item. Nullam enim qualitatem, quæ per motum generatur, ex remissione contrarij, & factum quid habet, ex continente causa pendere posse. Ita igitur angustis admodum limitibus causæ hujus vis circumscribetur: ut scilicet ad similares morbos nullos: ad instru-

men-

mentarios autem aliquot duntaxat, qui in additione nempe consistunt, extendatur. Te tamen cùm h's non facere, ex eo colligere in promptu est, quod aperte inquis: Causam contentivam à conjunctâ seu proxima diversum nihil aliud esse, quàm morbi ipsi causam formalem, quod, nisi valde fallor, à Galeni mente multum dissidet. Hic enim 1. de sympt. causis cap. 5. Causam contiuentem & proximam sine ullo prorsus discrimine usurpat. Sicuti & 2. Meth. 4. & fortasse etiam aphorismo vigesimo septimæ particulæ, ubi item de pulsib. agit, tres illorum causas continentes enumerat; facultatē, instrumenta, & usū. Quod si jā causæ continētes à formalib. nihil differūt, ut ipse asseris, sequetur omninò: Unicam rem qualis pulsus est, tres simul causas formales habere, quod mihi non potest non absurdum videri. Conjunctam sane causam (quam à continente modò distinctām, proximam, immediatam, & adæquatam etiam appellare libet) in morbis cum materia non inuitus una cum ipso Avicenna admiserim, imo sub antecedentis nomine illam à Galeno simul comprehensam existimo. Neque enim si rem verè æstimare volumus, aliud est, quam antecedens, quatenus actu morbum efficit, eique conjungitur & copulatur, ita quidem ut nulla inter eam & affectum sive morbum causa alia intercedat media. Undę

nimirum Celsus etiam absque ullo rigore continentis causæ nomine, de quavis abdita & interna, in quantum ab externa & procatarctica dirimitur, usus est, sicut & Medici ferme omnes hodie, quando de tertio causarũ genere à Galeno, ut putant, prætermisso, disputant. Post caussarum porro contemplationem mox ipsi occurrunt morbi, quorum tu quidem essentiam in facultate læsa, aut impotentia quadam ad operandum collocas. Mihi ne quid dissimulem de utroque horum dubitationes in mentẽ veniunt. Dũ enim morbũ facultatẽ læsã appellas, nimis angustũ genus illi attribuere & certam tantum speciem, intemperiem scilicet, complecti videris. Ab hac enim propriè actio lædi atque labefactari dicitur: eò quod facultatis essentia secundum Galenum in ipsa partis temperie consistat. Quonam igitur instrumentarij morbi, & unitatis solutio, reliquæ duæ morbi primariæ species pertinebunt? Cur etiam Galenus in morbi definitione læsæ facultatis non meminit? cùm tamen hanc necesse sit operationis ipsius læsionem, utpote, à qua immediate dependet, præcedere? Appellas deinde morbum impotentiam quandam ad operandum. Quòd si impotentia erit, ergo privatio, ergo nihil. ergo in nulla categoria, nisi per accidens tantum, collocabitur. Et sic frustra an qualitas, vel relativum sit inquiretur. Nullũ enim

enim privationis certum genus est, neque species ejus, nisi per contrarios actus distinguuntur, minime autem per se. Et tamen Galenus in definiendo morbo positivis vocabulis (non privatiuis) constitutionis scilicet, dispositionis, affectus, & aliis similibus uti non veretur? Ista quomodo inter se concilianda sint cognoscere cupio. Denique morbum dupliciter accipi & considerari affirmas, & cum, & sine causa sua contentiva, hoc quid quæso aliud est, quam dicere? Morbum aliquando sumi cum sua forma aliquando sine causa, siquidem & Autore, ut supra dictum est, causa contentiva à formali revera nihil differt. Atqui morbus non curari tantum: sed ne intelligi quidem, aut mente concipi sine forma sua ullo modo potest, quandoquidem hæc sola est, quæ & essentiam, & nomen rebus quibusvis impertit. Et quid tandem forma remota in morbo supererit, quod considerare atque contemplari, curare denique possimus? Accidentia certè & qualitates (quib. morbũ ipsũ juvare, ut opinor, adnumeramus) nudæ per se formæ tantũ sunt, & materiã nullã, ceu essentiæ suæ partẽ alteram substratam habent. Quã igitur distinctionis hujus modò allatæ utilitatẽ esse censebimus? Possem etiã de tribus summis morborũ generibus, quæ ab omnibus prope medicis magno consensu traduntur, quærere, an non cõmodius ad duo duntaxat reducerentur, ita ut continui solutio sub in-

ſtrumentariis morbis, tanquam compoſitionis, aut conformationis (ad quam continuitas etiam haud dubiè ſpectat) partium læſio, ſeu vitium per ſe comprehenderetur. Atque ita etiam Avicenna ipſe cùm ægritudinem definit, complexionem & compoſitionem; quatenus utraque non naturalis eſt, ſub illa ſolum collocat, & pro veris atque ſummis duobus morbi generibus agnoſcit, unitatis aut continui ſolutione fortaſſe non ex oſcitantia prorſus prætereita, ſecunda primi, doctrina prima, cap 1. ſed verendum eſt ne jam tùm nimis longe à ſcopo evagatus fuerim. Itaque ad reliqua capita, quæ in tua epiſtola reſtant, tempeſtive convertor. De dolore capitis facilè aſſentior: aliam ab eo indicationem deſumi, quatenus ſimpliciter, ut dolor, hoc eſt, triſtis quædam ſenſatio conſideratur, aliam rurſus quatenus à cauſa ſua proxima, nempe morbo, vel hunc ipſam antecedente cauſa dependet & fovetur. Quod tamen univerſaliter, & ſine exceptione affirmas, nunquam à dolore indicationem curativam deſumi, in eo ab Avic. diſſentire videris, quando loco paulo ante citato expreſſe inquit: Dolorem capitis, qui ex febre fit, dum diu manet & figitur, tranſire in ægritudinem. Si igitur in ægritudinem, ſive morbum tranſit, quomodo non ab illo indicatio curativa haurietur? cum ſymtoma neceſſario morbum (non autem materiam, vel aliud ſymptoma) conſequi aſſerui,
nequa-

nequaquam ad symptomata in generalissima sua significatione, qua res omnes præter naturam simul complectitur, acceptum respexi; sed potius ad alterum illud genus, quod in specie & privatim sic appellatur, quodque Gal. ἐπιγέννημα etiam, id est, succedens vocat, & morbos solos necessario sequi, ac tanquam umbra corpus comitari ipse testatur. Ex intemperie humida nullum omnino dolorem oriri posse cum Avic. & ipso Gal. ex 2. de comp. medic. secundum locos simpliciter affirmas. Et tamen idem Gal. in lib. de inæquali intemperie, cap. 3. inter causas doloris effectrices humectationem quoque (etsi minus quam calor, & frigus sunt, efficacem qualitatem) enumerat, & exempli gratia esuriem seu famem producere videtur, in qua ob siccæ substantiæ defectum (& ita per consequens ob humidæ abundantiam) dolor & molestia non sane levis in corpore nostro suscitatur. Nisi igitur aperte ipsum sibi contradicere velimus: loca hæc inter se concilianda veniunt. Illud quin etiam dubitationem complectitur, quando scribis, mixtum similare in sese hæc tria habere, Formam, proprietatem, & complexionem seu temperamentum. Quid enim aliud est proprietas, quam proprium cujusque rei temperamentum, per quam forma sive anima ipsa agit, seu efficax est? Aliud imaginari vix datur. Cur igitur hæc duo tanquam diversa dirimuntur? Imo ut maxime exquisita

ratione ducti hæc invicem differre concedamus. Parum tamen admodum medico usui, de quo in præsentia sermo est, & quem sensu potissimum niti scimus conduceret, atque ob id etiam nullam utilem indicationem inde haurire nobis liceret. Proprietates porro materiæ, quas vocant, utpote crassitiem, tenuitatem, mollitiem, duritiem, laxitatem, astrictionem, & similes, quonam refers? Num similaribus, quoad similares sunt, convenire non existimas? Aliorum sane alia est sententia: eorum inprimis, qui totius substantiæ morbos, veteribus (ut putatur) ignotos introducunt, à quibus te non prorsus abhorrere, mentio morborum à proprietate coarguit, quos quidem ex disproportione corporum elementorum ortos similaribus duntaxat partibus tribuis, & à temperie morbis differre aperte significas. Materiæ putrefactio, si vitium est in forma, adeoque corruptio, hoc est mutatio ab esse simpliciter, ad non esse simpliciter, quonam modo gradus certus recipere, aut intendi, ac remitti poterit? Forma certe secundum Philosophos tanquam in puncto consistit, latitudine omni prorsus destituta, tu tamen materiam morbificam interdum putrescere, interdum duntaxat semiputrescere, ac priori quidem consideratione auxilium eradicans, posteriori vero suppurans indicare in methodo curandi universali doces. Quod si putrefactio secundum te est integra rei cor-

corruptio, & ita totius formæ, quæ antea composito inerat, abolitio est, semiputrefactio igitur ex necessitate quoque semicorruptio quædam statuetur, hoc est, formæ media ex parte, non autem ex toto ablatio seu remotio: quod quidem an peripateticæ Philosophorum scholæ admissuræ sunt, ipsæ viderint. Poteram pro assertione in superioribus literis à me posita, illud etiam non absque ratione, ut arbitror, urgere. Putredinem, cum secunda quædam qualitas sit, a primis (calore scilicet atque humiditate orta) temperiem primò destruere, non autem formam à temperamento multùm diversam. Venenum contra proprietate quadam occulta ita toti, aut illud conservanti & foventi formæ esse adversam, ut nisi alexipharmacis & antidotis ex abdita proprietate itidem formam respicientibus opportunè succurratur, continuo illam misto excedere cogat. Verùm nolo hæc nũc pluribus persequi. Quantum ad permittẽtium prohibentium ve ex arte inventionem attinet, nondum omnino in sententia tua, quam protulisti, acquiescere possum. Etiamsi enim in methodo resolutiva, & parte simiotica, signum occurrere & ipse intelligam, nequaquam tamen sub hac notione, qua permittens, aut prohibens est, illud occurrit, sed tantum quatenus incertæ affectionis dignotionem nos adducere valet, quemadmodum, verbi gratia, pulsus debilis virtutis imbecil-

litatem denotat, quam quidem prohibentis vim in venæ sectione possidere, jam ante præsupponebatur. Postquam enim in virium debilitate à venæ sectione abstinendum esse scio, tum demum ex pulsu, aut aliis signis, quomodo ea sese habeant diligenter inquiro. Ego vero methodum postulaveram, cujus ope in permittentis aut prohibentis cognitionem directè penetrare possemus, ita ut ex indicantis natura, eo quod agendum est invento, statim etiam scire liceret, num quid esset, cujus ratione auxilium illud ad inventum permitteretur, prohiberetur ve. Contrariorum quidem seu oppositorum eandem esse disciplinam vulgo etiam fertur. Quamobrem hîc quoque fortasse contrarias, seu oppositas causas inter se conferre, & effectus similes, aut oppositos inde elicere oportebat: sed ego de his ex te, quem Præceptorem lubens agnosco, audire malim. Atque hactenus quidem ad ea, quæ in literis tuis continentur respondi, nunc corollarij gratia hoc unum insuper abs te quæsierim, Quid morbo illo, qui superioribus per totam fere Europam grassatus est, sentias? Quo nempe genere illum concludas, & num vere contagiosum fuisse existimes? Catarrhum cum febre adjuncta fuisse negari non potest, sed tamen in eo non omnes conveniunt, an febris illa synochus putris, vel imputris exstiterit: Si putrida & ichorosa statuatur (quemadmodum curatio per

dia-

diaphoretica potissimum absoluta indicare videtur) quomodo malignitate carere potuit? cùm etiam te ipso teste; Ichores omnes sint non tantùm excrementitium quiddam, sed etiam prorsus præter naturam, idque quando putrescunt multò magis. Quas etiam caulas tùm externas seu communes, tùm internas, sive privatas, ad mali hujus adeò longe lateque diffusi generationem concurrisse dicemus? Quæ item curationis lex erit atque methodus? De his igitur ex te solidi quid, cujusmodi omnia tua esse præclare novi, audire unice desidero. Ego vicissim omnia mea studia, omnem observantiæ cultum, ita ut debeo, promptissimo animo tibi offero, atq; dedico. vale. Pragæ, 9. Cal. Febr. Anno 1581.

D. Hieronymo Capouaccio &c. Petrus Monavius Med. S.D.

AD reliqua disputationis capita quod attinet: in iis longius persequendis nequaquam tibi molestiam afferre volo. Etenim pleraque illorum logica sunt, hoc est, talia, ut nec usum in artis exercitio magnum habeant, & de illis in utramque partem disserere sit facilimum. Quamobrem omissis de caussa contentiva, de doloris essentia & causis, de symptomatum divisione; de prohibentium inventione, & similibus aliis usum artis majori ex parte tran-

scendentibus disceptationibus, illud duntaxat attingam, cujus in calce epistolæ tuæ memini-sti, quando scilicet morbum ante biennium circa hoc ipsum tempus per universam fermè Europam grassantem contagiosum fuisse negas, eò quòd perniciosus non exstiterit, & breyi, ac penè nullo adhibito auxilio depulsus fuerit. Ego quidē quomodo, aut cur contagij notionē illi demere debeamus, nō satis me assequi ingenuè fateor. siquidem illi morbi contagiosi rectè perhibentur, qui de uno subjecto in aliud transmigrant, & per contactum mediatum, aut immediatum acquiruntur, Atqui negari nullo modo potest, dum epidemicus ille catarrhus, ut plerisque appellare placet, vagaretur, vel uno in una domo aliqua, aut familia, correpto, continuò etiam ad reliquos malum transisse, & paucissimos, imò penè nullos prorsùs intactos reliquisse. Hæc invadendi ratio si contagium dici non meretur, quidnam contagium sit, haud equidem scio. Neque mihi satis firma videtur ratio: cùm contagiosum ob id fuisse negas, quod perniciosus non fuerit. Nam & alij plures morbi sunt, quos extra controversiam omnes contagiosos esse fatentur, & tamen perniciosi & maligni non æquè existimantur, utpote, scabies, lippitudines, phthisis, coryzæ, similes alij, quorum & Aristoteles, & Galenus, cùm de contagio loquuntur, meminère. Sicut autem de ratione epidemij seu vulga-

vulgaris morbi non est, ut sit pestilens, vel perniciosus (sunt enim aliqui ex his etiam salutares) ita multo minus ad contagiosum eadem hæc conditio necessario requiritur: sed satis est de uno subjecto in aliud transeundi, & per contactum cujuscunque generis sese vicinis corporibus insinuandi facultatem habere. Quo tamen tanto uberiorem fructum ex tua responsione percipere queam, illud libenter ex te cognoverim; paralysis seu resolutio post colicam, quæ in his terris usitatissima est, quasnam indicationes habeat, & cui parti potissimum prospiciendũ? per quas item vias materia peccans ex intestinis in extremos artus deponitur: Et num apud veteres etiam aliquid de illa traditum exstet? Incidit & aliud de usu hydrargyri intra corpus exhibendi dubium, cui occasionem dedit tractatus quidam de morbo Gallico tuus, quem superiori anno ab amico acceptum diligenter, & cum magna utilitate evolvi. Nullus certè quotquot de eo scripserunt, qui tamen numero non pauci sunt, Viri clarissimi & Doctissimi, ita essentiam ejus pervestigavit, ex rei natura indicationes eruit, artificioseque deduxit, ut abs te in brevi illo libello factum est, qui propterea ut à multis cognosceretur dignissimus esset. Mentionem autem ibi facis inter alia etiam Mercurij, & de eo assumendo, & admovendo præcepta & regulas quasdam tradis. Hic qui-

dem cognoſcere cupiam, an turpethum quoque minerale (quod nihil aliud eſt, quam Mercurius certa ratione præparatus, nimirum cum oleo vitrioli, non rubeo illo, ſed albo ſive phlegmatico) in uſu habere ſoleas. Quòd ſi enim crudum ſeu uſitato modo præcipitatum intra corpus exhibere non vereris; præmiſſis tamen præmittendis, puto te multo minus abhorriturum ab eo, qui magis artificioſa ratione præparatus eſt, & cui ita compedes injecti ſunt, ut congenitam ſibi ferociam impune uſurpare non queat. Multi ſanè ſunt, qui in deploratis Gallicis poſt lignum ſanctum ad hunc tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, & omnem malignitatem, quæ in corpore ab inunctionibus crebro repetitis relicta eſt, ſeſe hujus præſidio funditus exſtirpare poſſe ſperant, neque planè infelici ſucceſſu, ut in multis caſibus ipſe vidi, etiamſi nonnunquam, ſi non cautè adhibeatur, deterrima & horrenda ſymptomata inducere ſoleat. Omnem noxam illius inhiberi quidam mihi retulit; ſi mox altero die poſt illius exhibitionem leniens aliquod pharmacum, puta, manna, dilutum ſenæ, caſſia, aut ſimilia, propinentur: ita enim impetus ejus, qui per ſe ad ſuperiora vergit, & ſalivationem nuncupatam excitat, qua fauces læduntur, & inferiores & ignobiliores partes quaſi manu ducitur. Poſtremum eſt, num tibi ſatis tutum & rationabile videatur in febribus, poſt univerſalia præmiſſa

missa & digesta nonnihil materia, in ipso die paroxysmi, medicamentum purgans exhibere: ita tamen ut illius operatio absoluatur priusquam paroxysmus invadat. Tali enim curandi methodo plures & longissimis febribus laborantes, multo citius, quàm aliàs liberatos animadverti. Nec videtur repugnare ratio, quando medicus, ut minister & imitator naturæ, tùm movere debet, cum natura movet, & illius conatum adjuvare. Movet enim natura, ut Hipp. ipse inquit, 4. de morbis, in diebus imparibus, per quos intelligit non tam eos, qui numero impari definiuntur, quàm criticos, aut eos quibus paroxysmi invadunt; ut Galenus ipse in Aphorismis explicare videtur. Sed vereor ne tibi tam longa commemoratione molestiam cteem. Quamobrem scribendi finem facio, & ut respondere non digneris etiam atque etiam abs te peto. Vale Pragæ.

D. Hieronymo Mercuriali, Professori Patavino, &c. Petrus Monavius Med. S. D.

QUæ de morbo epidemio, non ita pridem longè lateque per universam penè Europam grassatur, ad D. D. Cratonem semel atque iterum perscripsisti, ipse quoque legi, & rationibus suis subnixa esse animadverto. Ut tamen probabiliorem esse Cratonis nostri sententiam (liceat id mihi pace tua dicere) judi-

cem, una contagij facit ratio, quod sane quomodo sine aliquo saltem putredinis gradu defendi possit, nequaquam video, idque vel te ipso autore, qui in lectionibus de contagio publice habitis hæc verba diserte ponis: necessarium esse semper si contagium fieri debet, ut adsit putrefactio aliqua in corpore, præterquam, cum a calore præternaturali fiat, vapores attolluntur. Cur igitur febrem quoque illam synochum catarrho adjunctam, de qua sermo est, putridi quid habuisse negabimus? Certe prima etiam hujus mali rudimenta, nisi plane fallor, idem omnino attestantur. Siquidem enim communis morbi causam communem assignari necessario oportet, nulla haud dubiè aere ipso nos ambiente erit accommodatior. Atqui hic cum multis dierum hebdomadibus ob pluvias pene continuas (adiuvantibus forte etiam, ut nonnullis placet, peculiaribus syderum aspectibus) permaduisset, mox sub æstatis finem subitis ingruentib. caloribus egregie fervefactis, ex humida & calida intemperiebus sese invicem subsequentibus, non potuit non putredinis seminaria concipere, quæ corporibus convenienter prædispositis similem exinde qualitatis labem impressere. Quoniam tamen magis attenuata, & minus lenta atque glutinosa inquinamenta illa forent, factum hinc est, ut malignitate & pestilenti contagio morbus careret, eo quod causa illum

gene-

generans, & fovens, nec per se lenta esset, & viscida, & præterea spiritus & ichores corporis nostri potissimum occuparet, ob eamque partium essentiæ tenuitatem per cutis poros dissiparetur promptissime. Non tamen negaverim catarrhos, qui cum in plerisque diutius remanserint, symptomata varia excitarunt, à crassiori materia pependisse. Sed hoc ex accidenti morbo ipsi epidemio acceptum ferendum est, quatenus scilicet, materiæ illi ante in corporibus existenti non generationem quidem: sed motum duntaxat, sive impetum tenuitatis suę, ut modò dixi, ratione sive impertivit. Sed pene prævaricatorẽ ago, qui alienam litem quodammodo meam facio, & sententiam non rogatus dico, quod nisi discendi cupiditate, qua incredibiliter ardeo, fieret, ne tu mihi imprudentiæ & tenacitatis dicam impingere jure posses. Unum illud, quod in præsentia in mentem venit, si adhuc rogavero, scriptioni meæ finem statim imponam. Velim igitur scire causam, quamobrem plumbum ita grave sit & ponderosum, cum tamen, teste Galeno, plurimum habeat aqueæ & aereæ substantiæ, terrestris vero perparum. Atqui ex physicorum principiis gravitas & pondus in rebus mixtis omnibus terræ primum accepta feruntur, deinde aquæ, quæ vero aëre, aut igni multo participant levia potius, & quàm minimũ ponderosa evadere solent. Sic lapides & ferrum

ob terreæ materiæ copiam gravia eſſe exiſtimant; pluma contra, oleum, & alia hujuſmodi, ob cauſam contrariam levia. Neque hîc quod de partium denſitate nonnulli afferunt, ſatis probabilitatis habet. Vix enim fieri poſſe credam, ut corpora, quæ multo aere abundant, ſimul compacta ſint, & denſa. Eo quod aer neceſſario ſpacium aliquod, ac velut cavitatem requirat, in quo libere ventiletur: ſicut in ſpongiis, pumicibus, & aliis raris corporibus, multiſque poris aeri perviis abundantibus apparet. Eadem dubitandi ratio etiam in hydrargyro, ſeu argento vivo locum obtinet, quod quidem & ipſum aquea & aerea ſubſtantia conſtare pleriquе aſſerunt, cum tamen ita ponderoſum ſit, & grave, ut omnia metalla ſolo excepto auro (ſpectaculo ſane admirabili) in eo ſupernatent. De his igitur neminem alium, præter te differentem libentius audire velim, utpote quem ad intimos & occultos naturæ receſſus penetraſſe minimè dubitem, vel potius mihi certo perſuaſum habeam. Vale. Pragæ. 9, Cal. Januar. anno 1581.

D. Hieronymo Mercuriali, &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

QUOD diſcrimen inter contagium & συμπάθειαν attinet, & num is morbus, qui ante biennium totam pervolitavit Europam, & fortè

forte ulterius etiam progressus est, hoc vel illo nomine rectius appellandus, actum agere nolo. Si tamen, qui de corpore in corpus migrat, & sese hac ratione pene in immensum propagat, affectus contagiosus dici meretur: non video cur epidemium illum morbum his conditionibus exactè præditum, ea nuncupatione privare debeamus. Mihi quidem verum omninò contagium resipuisse videtur: etsi illud inferiori gradu constitutum putredinis minus malignæ, vel potius innoxiæ fuerit soboles, seminarium tamen haud dubiè contagionis aliquod in ipso hæsit aere, quod pluribus per inspirationem communicatum simili eos labe postea infecit, cùm è diverso in affectionibus illis, quæ per συμπάθειαν propriè accidere dicuntur, nihil reipsa de corpore in corpus, tanquam inquinamentum quoddam transmittatur; sed duntaxat à forti imaginatione per sensum, & memoriam impressa ad idem patiendum cieamur, ut præoscitante aliquo, aut (ut sic loquar) præmingente, nobis diligenter attendentibus, contingere solet. Itemque secundum poetam: *Cum vident oculi lasos, læduntur & ipsi.* Quamvis fortasse horum lippientium, videlicet, sicut & tabidorum paulò diversa est ratio. Verùm missis his, ad alterum problema, de quo prolixius & accuratè in tuis dilleris, accedo. In plumbi igitur natura excutienda, cum de ejus pondere & gravitate quærere tur, id unum, ut Gale-

num & Aristotelem inter se committas, tibi propositum esse animadverto: ita quidem ut pro hoc contra illum omnes tuas rationes & argumenta, ceu spicula quædam dirigas. Liceat autem mihi quæso mei exercendi, & abs te discendi gratia, aliquid vicissim in medium afferre, quo Galenum respondendo ad rationes abs te allatas pro viribus defendam, ipsique interim Aristoteli nullam prorsus injuriam inferam. Si quid igitur judicare queo, Galenum vere & probabiliter sensisse existimo, cum plumbum in 9. simpl. medic. multum habere substantiæ, tum humidæ à frigore congelatæ, tum etiam aereæ, paucum verò terreæ diceret. idque non solum rationibus & experientia, sed etiam autoritate ipsius Aristotelis hunc in modum me verisimile facere posse confido. Principio quidem, ut à notione incipiam, argentum vivum (ex quo plumbum potissimum constare sensus ipse patefacit, quoque potiorem essentiæ ejus partem absoluit, ut ita de utroque & dubitandi, & decidendi par sit ratio) argentum inquam vivum hanc apud Græcos appellationem reperit, ut ὑδράργυρος quasi dicas, argentum quoddam aqueum, seu in quo aqueum elementum prædominium obtinet, obiter nuncupetur. Deinde ut ne in nominibus immorer, illud magnum est & indubitatum argumentum abundantis in plumbo aqueæ & aereæ substantiæ, quod ita facilè vix igni

igni admodum liquatur, imò etsi ignium vi in pulveres redactum, rursus tamen ab iisdem fluidum & liquidum reddatur, quemadmodum & Mercurius. Cùm contra quæ terrestris materiæ copiam habent, non nisi vehementissimis subjectis ignibus colliquari & fundi videamus, ut in ferro, ære, & aliis quibusdam metallis apparet. Affirmat autem Aristoteles: Ea colliquari facilius, quæ communia quidem sint aquæ & terræ, sed tamen plus aquæ habeant, & à frigido coagulata sint, atque concreta. Tertio mollities, & quæ hanc sequitur tractabilitas, reliquorum scilicet metallorum respectu idem planè convincit. Neque enim fieri potest, ut quorum compositionem multum siccissimæ terrenæ substantiæ ingreditur, ea mollia evadant, & ad tractandum apta. Accedit & quarto loco tenuitas substantiæ illius, cùm liquatum per subtiliores pannos transmitti queat. Sicut & argentum vivum, (quod cum hoc magnam habere cognationem suprà diximus) per densissimum corium cervinum facillime transsudat. Quæ certè tenuitas non in terrea mole, sed ab aeris potius, & aquæ subtilitate raritateque proficiscitur. Denique rubiginem, ut ferrum, æs, aut cuprum nequaquam bene situm; sed seu squalorem & sorditiē quandā contrahit. Ex quo iterū colligitur humore multo, eoq; frigido abundare,

terreſtris autem ſiccitatis perparum habere, quandoquidem rubiginis cauſa philoſophis non aſſignatur alia, quàm corruptio ſicci illius terrei in ſuperficie corporis ab humore calido & extraneo, veluti adurente orta, Liceret & plures alias rationes in medium afferre, ſed has ex rei natura ductas in præſentia ſufficere arbitror. Quòd verò in uſu medico (hoc jam ad experientiam facit) præter refrigeratoriam humectandi etiam vim obtineat, multis exemplis per ſe comprobatis, Galenus loco præallegato declarat, quæ fortaſſe non ita ſimpliciter ſine ulteriori inquiſitione rejici merentur. Quin ipſum quoque Ariſtotelem haud diſſimiliter ſenſiſſe, non obſcure quis ex eo dicto, quod in 4. Meteor. affert collegerit, Quandoquidem ibi concretilium, & inconcretilium corporum naturam explicans, diſertè argentum vivum (de cujus ponderoſitatis cauſa ſimiliter in ſuperioribus dubitabatur) ideò inconcretile exiſtere, quòd aquoſam quidem humiditatem: ſed tamen aeris plus obtineat. Id quod de plumbo eodem modo affirmari rectè poſſe exiſtimo. Quamvis hoc eam ob cauſam facilius concreſcat & coaguletur quod terreæ ſubſtantiæ, ſive, ut chymicorum voce utar, impuri ſulphuris plus adiunctum habeat, quàm argentum vivum, multo verò minus quàm ferrum, aurum quoque, & ſimilia alia metalla, quæ ſua ſe gravitate, & liquandi difficultate ſta-

tim produnt. Quantum porro ad ejusdem Aristotelis & Peripateticorum de ortu & generatione metallorũ dogma spectat, quamvis illud nequaquam, tanquam falsum repudio, libentius tamen, ne quid dissimulem, Avicennæ, Alberti & aliquot recentiorum opinioni inhæreo, qui non tantum mentis aciem ad hujusmodi perscrutationem intenderunt, verum & manuum mirificam adhibuerunt industriam, ut omnia sub terram latentia penitius rimarentur, exactioremque & veriorem nobis de iis doctrinam ab Aristotele, & sequentibus solummodo inchoatam adumbratamque relinquerent. Neque tamen, si summam rei consideres hos cum illis inter se ullo dicto discordare reperies. Sicuti enim Philosophis cum medicis bellè convenit, quantumvis illi corpus humanum ex quatuor elementis, igne, aere, aqua & terra. Hi vero ex quatuor humoribus, sangvine, phlegmate, & bile utraque constare decernant: ita etiam non pugnant inter se Peripatetici, & quos chymicos, veluti in fundendorum metallorum arte ac peritia eximiè versatos, recentiori vocabulo appellant, etiamsi illi una cum Aristotele, quem unicum ducem sequuntur, metalla & fossilia à duplici exhalatione vaporosa ortum trahere dicunt. Hi autem geminum illis principium, quæ sulfur & mercurium indigitant, assignant. Illi enim in remotioribus tantummodo causis, quas sola

mentis acies apprehendit, demonstrandis occupantur. Hi propinquiora principia, & sensui magis obvia (relictis illis nihilominus præsuppositis) ostendunt. Per sulphur quidem intelligendo exhalationem illam spirituosam, ut ipse Aristoteles, seu unctuosam & pinguem, ut alij loqui malunt, quæ semini parentis in formando fœtu in utero respondet. Per mercurium autem, seu argentum vivum, aquam viscosam & lentam in terræ visceribus contentam, quam vaporis nomine effert Aristoteles, quæque materni sangvinis cum semine in utero commisti, proportionem gerit. Utraque tamen voce rem significatam potentia potius, quàm actu talem sese exprimere monent. In eo verò admodum falsè Galeni simplicitatem irrides, quòd crediderit plumbi quantitatem augeri, si in locis subterraneis, vel etiam humectis reponatur, quemadmodum statuarum vincula satis declararent. Præterquàm verò, quod huic rei experientia attestatur, & mercatores etiam præclare norunt, dum tempore pluvioso plumbum sub Dio, ut majus incrementum acquirat, obque id carius vendant, collocare solent. Etiam ratio ipsa nobiscum aperte facit. Neque enim absurdum adeò est, & puerile cogitare, plumbi substantiam & molem augeri, & incrementum sumere posse accessione, & adunitione materiæ planè similis,

milis,& ὁμογενοῦς,aëreæ,nempe, & aqueæ, ex qua per se constat,& in natali solo, ipsis scilicet, terræ latentibus venis efformatur, dum præsertim circumstans frigus, & obscurus tepor illis aëris qualitatibus proportione respondet, qui in subterraneis cavernis conclusus effectricis,seu formatricis causæ vicem subit. quando etiam in vegetabilibus tale quid fieri quotidiè animadvertere liceat. Quis enim non vidit aloen,sempervivum, portulacam, & similes plantas,succi plenas,à matre, ut cùm poeta loquar,jam recisas, & de laquearibus hyeme suspensas, nihilominus crescere & augeri; tantùm ideo,quia succo ad sui incrementum idoneo non destituuntur,& blando insuper vaporarii calore non secus atque antea solari circumfunduntur & foventur. Sed quia de plantis dico, cùm animalcula etiam quædam jam mortua,vipore,bombyces, ranæ, muscæ, hirundines, & alia hujusmodi caloris ope, qui vivifico solis calori quodammodo ἀνάλογος est,in vita revocentur? Taceo de unguibus & pilis, qui demortuorum hominum cadaveribus manifestè augeri videntur: cùm hoc etiam argumentũ pro defensione materiæ hypotheseos adduci non incõmode queat. Quid igitur mirũ obsecro,aut supra fidẽ communẽ est, si tã ignobile & imperfectũ metallũ,quod vitã nunquã habuit, nec habere aptũ, est quodque minime exquisita aut operosa transumptione,

vel præparatione materiæ indiget, credamus aliquod argumentum extrinſecus accipere poſſe, ſi & idonea materia, aër videlicet craſſus & turbidus, qualis in concluſis locis eſt, ſubminiſtretur, agentique præterea cauſa verè proportionata non deſtituatur. Affers tu contrarium exemplum de iis tegulis, quibus culmina templorum cooperiuntur, quas forraſſe non augeri, ſed potius diuturnitate temporis abſumi, & imminui inferre vis. Non ſane pernego, ſed ratio diſſimilitudinis manifeſta eſt. Eo quod ventorum flatibus, aërique liberiori tam ſicco, quàm humido expoſitæ ſemper ſint, quibus quidem ex cauſis incrementum fieri prohibetur. Itaque Galenus non caute admodum de quovis plumbo ubivis locorum ſine diſcrimine repoſito id affirmat: ſed tantum de eo, quod in ædibus ſubterraneis aërem habentibus turbidum craſſiuſculum & ſubtepidum, atque ſitum contrahendum aptum, collocatum eſt, haud ſecus atque ſupra nominatæ plantæ, ut extra terram recreſcunt, certo & idoneo loco reponi deſiderant. Verum tu eventus illius, quem poſtea ex hypotheſi concedis, aliam rationem aſſignas, nimirum, ideo plumbi ſubſtantiam auctam videri, non quia aeris acceſſio facta ſit, ſed quia ſuperficiei ipſius plumbi corrupta, terraque & aqua diſſolutis, utrorumque pondus magis atque magis ſeſe exerat. Quid audio? num ponderoſitas & gravitas plumbi ideo

crescit; quòd aliquid materiæ illius decedat, non autem quod ad illam nova fiat accessio, & agglutinatio? Ego sanè quod his verbis tibi velis me assequi non posse fateor. Si superficies corrupta est, si terra & aqua dissoluta, hoc est, (ut ego interpretor) rarefacta & dissipata, quomodo se obsecro pondus magis exerere potest, quàm antea, cùm nondum corrupta esset superficies, cumque terra & aqua adhuc compacta invicem hæreret? Explicationem igitur verborum, mihi quidem planè obscurorum, desidero. Quod ad extremum vitio aëris & temporis plumbi superficiem corrumpi tibi dari postulas, in eo non repugno. Est enim hoc plumbo cum omnibus aliis corporibus, quæ sub luna sunt commune; quorum nullis prorsus parcit tempus edax & invidiosa vetustas. Largior tibi quinetiam illud haud invitus, quod mox addis: si vetustum & usu consumptum plumbum eliquetur, multò majorem recrementorum, quàm solidæ plumbi substantiæ copiam exstare. quid tamen inde contrà me inferre velis, non satis assequor. Loquor enim de plumbo, quale in sua perfectione & vigore est, non quale tum visitur, cum ab externis atque violentis causis destructum à pristina sua natura degenerat. Neque ego unquam, aut quisquam alius, incorruptibile esse plumbum, aut in infinitum augeri, asserui. Atque hactenus quidem Galeni opinio de plumbi essen-

tia & compoſitione adhuc immota perſtare videtur, pro cujus defenſione epiſtolæ tuæ ante biennium ferè (ô tardam nimis feſtinationem) acceptæ reſpondens hæc proferre libuit. Te autem etiam atque etiam oro, ut hanc meam Philoſophicam libertatem in optimam partem interpretari, & doctrinæ tuæ luce ingenij mei obſcuritatem illuſtrare tenebraſque diſcutere digneris. Hoc quod ſi impetravero, & tibi gratias magnas agam, & me non inutiliter erraſſe profitebor. Coronidis vice ἀντιλογίαν illam (à propoſito non prorſus alienam) mihi diſſolui cupio. Inquit Ariſtoteles ſect. 4. problem. 15. Rem nullam in aqua (ſcilicet fervida) liqueſcere poſſe, quæ ab igne liquefieri apta eſt, ceu plumbum & ceram, (quod tamen poſterius haud ſcio an veritati ſit conſentaneum.) In commentariolo autem de admirandis condition. num. 48. idem ait; ſtannum Celticum plumbo multò ocyus liqueſcere, quia ſcilicet in aqua etiam liquefieri ſoleat. Atqui ſi prior regula valeret, cùm ſtannum ignibus liqueſcat, in aqua nullo modo liquefiet. Quibus iſtud quoque ζήτημα ſubjungi poteſt, cur magna illa caldaria plumbea in quibus ſal in multis Germaniæ fodinis (utpote Lunæ burgi in Saxonia) excoquitur, non colliqueſcant, etiam ignes, quam vehementiſſimi ſubtus incendantur? ſed manum tandem de tabula, ne quem antea ſcriptionis raritate

ritate & infrequentia offendi, cum nunc solicitationis importunitate amplius irritem. Quod si tamen, quemadmodum mihi firmiter persuadeo, hisce meis nugis aliquid respondere placuerit, ut in excellentiss. Dn. Scutellarij manus deveniat, curabis. Abeo enim quovis tempore rectè accepero vale. Viennæ Austriorum, ipso die Pentecostes secundum veteres Fastos. Anno 1583.

D. Hieronymo Mercuriali, &c. Petrus Monavius Med. S. D.

EVOCATUS fui ante aliquot hebdomadas ad curam Generosi cujusdam Baronis in vicinia, ubi cùm opinione diutiùs mihi hęrendum esset, geminæ interim tuæ huc allatæ sunt. Quoniam vero excellentissimus Scutellarius significabat desiderari adhuc alium fasciculum, in quem libellos nonnullos nuper abs te isthic editos coniecisses, differendum putavi responsum, quo ad te ille quoque appellaret. Factum autem hoc est ante dies plus minus octo; ut nunc nihil amplius, quod scriptionem remoretur meam superfit.. Pro tua igitur tam benefica erga me voluntate, quam non tantum literarum adeo frequenti missione: sed etiam eruditissimarum tuarum lucubrationum communicatione satis abundè testatam facis, magnas tibi habeo & ago

gratias, relaturus etiam si qua sese in posterum ejus rei offerat occasio. Non possum autem quin impetrata, præsertim jam dudum abs te licentia, de more ex te rogem, sicubi forte inter legendum dubij mihi aliquid occurrit. In tractatu igitur de morbis puerorum tactam abs te peculiariter velim quæstionem illam, non tam logicam quam medicam: An s. ctum sit in infantium ægritudinibus purgatoria medicamenta nutricibus exhibere? Hæc siquidem aut valida erunt, aut debilia. Illa sanis, sive sanas carnes habentibus propinare vetat ipse Hippocrates, 2. Aph. 36. & 37. Hæc nihil protsus auxilij infirmis infantibus, cùm vires suas haud latè extendant, præstabunt ut taceā superioribus illis menstruas purgationes nutricibus intempestivè sane aliquando provocari; in quo manifestum periculum non abesse satis constat. Quamobrem tutius erat opinor, & rationabilius de talibus præsidiis cogitare, quæ ipsi infanti, in parva tamen quantitate absque omni noxa, cum portione materni lactis propinari, aut alioqui tenello ejus osculo inseri queant. Ejusmodi sunt succi quidam, pulveres, liquores, & alia hujus generis. Præterea, quæ extrinsecus etiam ad citandum alvum magno commodo applicantur. Omissum etiam video in eodem tractatu tuo morbum illum in nostris regionibus (haud scio, an etiam in vestris) sic satis usitatum, quem vulgari idiomate *Mitteffer*, quasi dicas,

dicas,commeſtores nuncupamus. Eò quod pueri illo laborantes paulatim abſumi, depaſci & emaciari,abſque ulla manifeſta cauſa,deprehenduntur. In tergo ipſorum, quando ſolennis cura,frictio nimirum ex medulla panis triticei,aut farina hujus melle ſubacta adhibetur, veluti capita vermiculorum quorundam hinc inde prominent , quibus novacula ſemel atque iterum deraſis ad priſtinam ſanitatem redeunt . Quidam hunc morbum eundem cum drancuculis Græcorum , aut cum vena civili ſeu medena Arabum eſſe putant , ſed niſi fallar , magis ad ſimilitudinem ægritudinis bovinæ , ſeu vermis ſub cute generati,cujus Nicolaus Florentinus ex Albocaſi meminit,accedit Michael Savonarola ſuperioris ætatis inſignis Medicus , in capite de Lumbricis ſeu vermibus ſe quoque tale aliquid fando inaudiiſſe meminit. Verùm cum nunquam viderit,fabuloſum eſſe ſtatuit. Crederet autem haud dubiè ſi vel paucis menſibus hodie apud nos ageret.In libello de venenis illuſtre præſtantis ingenii , & variæ literaturæ documentum edidiſti , multiſque in ea palæſtra antehac verſatis palmam præripuiſti. Veruntamen in eo (ignoſce quæſo) fidem meam tibi accommodare haud poſſum , quando argumentis nonnullis probare niteris:venenum eſſe non qualitatem aut accidens , ſed potius ſubſtantiam. Et tamen paucis ante lineis ipſe af-

firmas; Nihil aliud esse venenum, quam vim quandam effectricem veneficam in corpore aliquo positam. At potest ne vis venefica in corpore aliquo posita recte substantia dici, & non potius accidens, quod certum & determinatum subjectum requirit? Si in substantia collocari meretur, cedo quod erit genus ejus proximum, aut ubi in tabella prædicamenti substantiæ locum suum obtinebit? scorpionem quidem, Napellum, aconitum, & alia hujusmodi, facile concedo in substantiarum ordinem cooptanda: venenum autem non item, etiamsi venenata ista esse dicantur, sicut (opinor) nec alimentum (in quo tamen causæ tuæ firmamentum potissimum consistit) nec medicamentum. Rectius mihi philosophari Gal. noster videtur: qui & 3. de temperam. 4. & 1. simpl. 1. expressis verbis tria hæc: alimentum videlicet, medicamentum, & venenum, relata esse ad quid, diserte pronunciat: ad hominem nimirum, cujus respectu omnia (attestante etiam ipso Philosopho, 5. Metaphys. 15.) in medendi arte dicuntur. Nutrimentum igitur ad nutribile, sive id, quod inde nutritur, non secus atque calefactivum ad calefactibile, seu sectivum ad sectile, agens videlicet ad passum refertur. Atque ideo absolutis Categoriis, ne dum substantiis ipsis haud quaquam accersetur, quando ut idem Aristoteles universaliter

ſaliter decernit; nec tota ſubſtantia, nec partes ejus ad aliquid dici verè queunt. Supereſt igitur ut inter relata, quæ ſecundum dici apud Logicos nuncupantur, locum obtineat. Ut enim triticum, verbi gratia, & vinum ſubſtantiæ ſunt, & res merè abſolutæ, quæ per ſe tum exiſtunt, tùm etiam, intelligũtur, ita viciſſim cibi ſeu nutrimenti appellationem eadem, non alia ratione accipiunt, niſi quatenus ad hominem relata cibare illum & nutrire apta ſunt. Quemadmodum verſa vice veratrum & cicuta, (placet enim Galeni noſtri exemplis uti) hominis quidem reſpectu, medicamenti aut veneni etiam appellationem ſortiuntur, ſin ad coturnicem & ſturnum referas, pro alimentis habentur. Unde jam liquidò conſtat, veneni nomen, ſicut & nutrimenti & medicamenti non ipſam primitus ſubſtantiam, quæ fundamenti loco ejus ſubjacet, ſed certam potius ejus habitudinem, ut ſic loquar, ſeu officium, & effectum cujus reſpectu ſubſtantiæ alicui imponitur, denotare, ut his hoc modo conceſſis & probatis, ad reliqua duo argumenta, quæ pro veneni ſubſtantia aſſerenda pugnant, reſpondere minimè ſit opus. Utile tamen foret, ut arbitror, in commentariolo illo tuo hoc etiam præter alia in quæſtionem vocari: An venena illa contagioſa ſint, & ſi non ſint, quam ob cauſam hoc accidat? Item num propriè peſtilens malignitas, quæ omnium maximè contagioſa

num & Aristotelem inter se committas, tibi propositum esse animadverto: ita quidem ut pro hoc contra illum omnes tuas rationes & argumenta, ceu spicula quædam dirigas. Liceat autem mihi quæso mei exercendi, & abs te discendi gratia, aliquid vicissim in medium afferre, quo Galenum respondendo ad rationes abs te allatas pro viribus defendam, ipsique interim Aristoteli nullam prorsus injuriam inferam. Si quid igitur judicare queo, Galenum vere & probabiliter sensisse existimo, cum plumbum in 9. simpl. medic. multum habere substantiæ, tum humidæ à frigore congelatæ, tum etiam aereæ, paucum verò terreæ diceret. idque non solum rationibus & experientia, sed etiam autoritate ipsius Aristotelis hunc in modum me verisimile facere posse confido. Principio quidem, ut à notione incipiam, argentum vivum (ex quo plumbum potissimum constare sensus ipse patefacit, quoque potiorem essentiæ ejus partem absoluit, ut ita de utroque & dubitandi, & decidendi par sit ratio) argentum inquam vivum hanc apud Græcos appellationem reperit, ut ὑδράργυρος quasi dicas, argentum quoddam aqueum, seu in quo aqueum elementum prædominium obtinet, obiter nuncupetur. Deinde ut ne in nominibus immorer, illud magnum est & indubitatum argumentum abundantis in plumbo aqueæ & aereæ substantiæ, quod ita facilè vix
igni

igni admodum liquatur, imò etsi ignium vi in pulveres redactum, rursus tamen ab iisdem fluidum & liquidum reddatur, quemadmodum & Mercurius. Cùm contra quæ terrestris materiæ copiam habent, non nisi vehementissimis subjectis ignibus colliquari & fundi videamus, ut in ferro, ære, & aliis quibusdam metallis apparet. Affirmat autem Aristoteles: Ea colliquari facilius, quæ communia quidem sint aquæ & terræ, sed tamen plus aquæ habeant, & à frigido coagulata sint, atque concreta. Tertio mollities, & quæ hanc sequitur tractabilitas, reliquorum scilicet metallorum respectu idem planè convincit. Neque enim fieri potest, ut quorum compositionem multum siccissimæ terrenæ substantiæ ingreditur, ea mollia evadant, & ad tractandum apta. Accedit & quarto loco tenuitas substantiæ illius, cùm liquatum per subtiliores pannos transmitti queat. Sicut & argentum vivum, (quod cum hoc magnam habere cognationem suprà diximus) per densissimum corium cervinum facillime transsudat. Quæ certè tenuitas non in terrea mole, sed ab aeris potius, & aquæ subtilitate raritateque proficiscitur. Denique rubiginem, ut ferrum, æs, aut cuprum nequaquam bene situm; sed seu squalorem & sorditiē quandā contrahit. Ex quo iterū colligitur humore multo, eoq; frigido abundare,

terreſtris autem ſiccitatis perparum habere, quandoquidem rubiginis cauſa philoſophis non aſſignatur alia, quàm corruptio ſicci illius terrei in ſuperficie corporis ab humore calido & extraneo, veluti adurente orta, Liceret & plures alias rationes in medium afferre, ſed has ex rei natura ductas in præſentia ſufficere arbitror. Quòd verò in uſu medico (hoc jam ad experientiam facit) præter refrigeratoriam humectandi etiam vim obtineat, multis exemplis per ſe comprobatis, Galenus loco præallegato declarat, quæ fortaſſe non ita ſimpliciter ſine ulteriori inquiſitione rejici merentur. Quin ipſum quoque Ariſtotelem haud diſſimiliter ſenſiſſe, non obſcure quis ex eo dicto, quod in 4. Meteor. affert collegerit, Quandoquidem ibi concretilium, & inconcretilium corporum naturam explicans, diſertè argentum vivum (de cujus ponderoſitatis cauſa ſimiliter in ſuperioribus dubitabatur) ideò inconcretile exiſtere, quòd aquoſam quidem humiditatem: ſed tamen aeris plus obtineat. Id quod de plumbo eodem modo affirmari rectè poſſe exiſtimo. Quamvis hoc eam ob cauſam facilius concreſcat & coaguletur quod terreæ ſubſtantiæ, ſive, ut chymicorum voce utar, impuri ſulphuris plus adiunctum habeat, quàm argentum vivum, multo verò minus quàm ferrum, aurum quoque, & ſimilia alia metalla, quæ ſua ſe gravitate, & liquandi difficultate ſta-

tim produnt. Quantum porro ad ejuſdem Ariſtotelis & Peripateticorum de ortu & generatione metallorũ dogma ſpectat, quamvis illud nequaquam, tanquam falſum repudio, libentius tamen, ne quid diſſimulem, Avicennæ, Alberti & aliquot recentiorum opinioni inhæreo, qui non tantum mentis aciem ad hujuſmodi perſcrutationem intenderunt, verum & manuum mirificam adhibuerunt induſtriam, ut omnia ſub terram latentia penitius rimarentur, exactioremque & veriorem nobis de iis doctrinam ab Ariſtotele, & ſequentibus ſolummodo inchoatam adumbratamque relinquerent. Neque tamen, ſi ſummam rei conſideres, hos cum illis inter ſe ullo dicto diſcordare reperies. Sicuti enim Philoſophis cum medicis bellè convenit, quantumvis illi corpus humanum ex quatuor elementis, igne, aere, aqua & terra. Hi vero ex quatuor humoribus, ſangvine, phlegmate, & bile utraque conſtare decernant: ita etiam non pugnant inter ſe Peripatetici, & quos chymicos, veluti in fundendorum metallorum arte ac peritia eximiè verſatos, recentiori vocabulo appellant, etiamſi illi una cum Ariſtotele, quem unicum ducem ſequuntur, metalla & foſſilia à duplici exhalatione vaporoſa ortum trahere dicunt. Hi autem geminum illis principium, quæ ſulfur & mercurium indigitant, aſſignant. Illi enim in remotioribus tantummodo cauſis, quas ſola

mentis acies apprehendit, demonstrandis occupantur. Hi propinquiora principia, & sensui magis obvia (relictis illis nihilominus præsuppositis) ostendunt. Per sulphur quidem intelligendo exhalationem illam spirituosam, ut ipse Aristoteles, seu unctuosam & pinguem, ut alij loqui malunt, quæ semini parentis in formando fœtu in utero respondet. Per mercurium autem, seu argentum vivum, aquam viscosam & lentam in terræ visceribus contentam, quam vaporis nomine effert Aristoteles, quæque materni sangvinis cum semine in utero commisti, proportionem gerit. Utraque tamen voce rem significatam potentia potius, quàm actu talem sese exprimere monent. In eo verò admodum falsè Galeni simplicitatem irrides, quòd crediderit plumbi quantitatem augeri, si in locis subterraneis, vel etiam humectis reponatur, quemadmodum statuarum vincula satis declararent. Præterquàm verò, quod huic rei experientia attestatur, & mercatores etiam præclarè norunt, dum tempore pluvioso plumbum sub Dio, ut majus incrementum acquirat, obque id carius vendant, collocare solent. Etiam ratio ipsa nobiscum apertè facit. Neque enim absurdum adeò est, & puerile cogitare, plumbi substantiam & molem augeri, & incrementum sumere posse accessione, & adunitione materiæ planè similis,

milis,& ὁμογενῶς,aëreæ,nempe , & aqueæ, ex qua per ſe conſtat,& in natali ſolo, ipſis ſcilicet, terræ latentibus venis efformatur , dum præſertim circumſtans frigus, & obſcurus tepor illis aëris qualitatibus proportione reſpondet, qui in ſubterraneis cavernis concluſus effectricis,ſeu formatricis cauſæ vicem ſubit. quando etiam in vegetabilibus tale quid fieri quotidiè animadvertere liceat. Quis enim non vidit aloen,ſempervivum , portulacam , & ſimiles plantas,ſucci plenas,à matre , ut cùm poeta loquar,jam reciſas , & de laquearibus hyeme ſuſpenſas , nihilominus creſcere & augeri ; tantùm ideo,quia ſucco ad ſui incrementum idoneo non deſtituuntur,& blando inſuper vaporarii calore non ſecus atque antea ſolari circumfunduntur & foventur. Sed quia de plantis dico, cùm animalcula etiam quædam jam mortua,vipore,bombyces , ranæ, muſcæ, hirundines, & alia hujuſmodi caloris ope, qui vivifico ſolis calori quodammodo ἀνάλογ@- eſt,in vita revocentur ? Taceo de unguibus & pilis , qui demortuorum hominum cadaveribus manifeſtè augeri videntur : cùm hoc etiam argumentũ pro defenſione materiæ hypotheſeos adduci non incõmode queat. Quid igitur mirũ obſecro,aut ſupra fidẽ communẽ eſt, ſi tã ignobile & imperfectũ metallũ,quod vitã nunquã habuit, nec habere aptũ, eſt quodque minime exquiſita aut operoſa tranſumptione,

crescit; quòd aliquid materiæ illius decedat, non autem quod ad illam nova fiat accessio, & agglutinatio? Ego sanè quod his verbis tibi velis me assequi non posse fateor. Si superficies corrupta est, si terra & aqua dissoluta, hoc est, (ut ego interpretor) rarefacta & dissipata, quomodo se obsecro pondus magis exerere potest, quàm antea, cùm nondum corrupta esset superficies, cumque terra & aqua adhuc compacta invicem hæreret? Explicationem igitur verborum, mihi quidem planè obscurorum, desidero. Quod ad extremum vitio aëris & temporis plumbi superficiem corrumpi tibi dari postulas, in eo non repugno. Est enim hoc plumbo cum omnibus aliis corporibus, quæ sub luna sunt commune; quorum nullis prorsus parcit tempus edax & invidiosa vetustas. Largior tibi quinetiam illud haud invitus, quòd mox addis: si vetustum & usu consumptum plumbum eliquetur, multò majorem recrementorum, quàm solidæ plumbi substantiæ copiam exstare. quid tamen inde contra me inferre velis, non satis assequor. Loquor enim de plumbo, quale in sua perfectione & vigore est, non quale tum visitur, cum ab externis atque violentis causis destructum à pristina sua natura degenerat. Neque ego unquam, aut quisquam alius, incorruptibile esse plumbum, aut in infinitum augeri, asserui. Atque hactenus quidem Galeni opinio de plumbi essen-

tia & compoſitione adhuc immota perſtare videtur, pro cujus defenſione epiſtolæ tuæ ante biennium ferè (ô tardam nimis feſtinationem) acceptæ reſpondens hæc proferre libuit. Te autem etiam atque etiam oro, ut hanc meam Philoſophicam libertatem in optimam partem interpretari, & doctrinæ tuæ luce ingenij mei obſcuritatem illuſtrare tenebraſque diſcutere digneris. Hoc quod ſi impetravero, & tibi gratias magnas agam, & me non inutiliter erraſſe profitebor. Coronidis vice ἀντιλογίαν illam (à propoſito non prorſus alienam) mihi diſſolui cupio. Inquit Ariſtoteles ſect. 4. problem. 15. Rem nullam in aqua (ſcilicet fervida) liqueſcere poſſe, quæ ab igne liquefieri apta eſt, ceu plumbum & ceram, (quod tamen poſterius haud ſcio an veritati ſit conſentaneum.) In commentariolo autem de admirandis condition. num. 48. idem ait: ſtannum Celticum plumbo multò ocyus liqueſcere, quia ſcilicet in aqua etiam liquefieri ſoleat. Atqui ſi prior regula valeret, cùm ſtannum ignibus liqueſcat, in aqua nullo modo liquefiet. Quibus iſtud quoque ζήτημα ſubjungi poteſt, cur magna illa caldaria plumbea in quibus ſal in multis Germaniæ fodinis (utpote Lunæ burgi in Saxonia) excoquitur, non colliqueſcant, etiam ignes, quam vehementiſſimi ſubtus incendantur? ſed manum tandem de tabula, ne quem antea ſcriptionis raritate

ritate & infrequentia offendi, cum nunc solicitationis importunitate amplius irritem. Quod si tamen, quemadmodum mihi firmiter persuadeo, hisce meis nugis aliquid respondere placuerit, ut in excellentiss. Dn. Scutellarij manus deveniat, curabis. Ab eo enim quovis tempore recte accepero. vale. Viennæ Austriorum, ipso die Pentecostes secundum veteres Fastos. Anno 1583.

D. Hieronymo Mercuriali, &c. Petrus Monavius Med. S. D.

EVOCATUS fui ante aliquot hebdomadas ad curam Generosi cujusdam Baronis in vicinia, ubi cùm opinione diutiùs mihi hęrendum esset, geminæ interim tuæ huc allatæ sunt. Quoniam vero excellentissimus Scutellarius significabat desiderari adhuc alium fasciculum, in quem libellos nonnullos nuper abs te isthic editos coniecisses, differendum putavi responsum, quo ad te ille quoque appellaret. Factum autem hoc est ante dies plus minus octo; ut nunc nihil amplius, quod scriptionem remoretur meam superſit.. Pro tua igitur tam benefica erga me voluntate, quam non tantum literarum adeo frequenti missione: sed etiam eruditissimarum tuarum lucubrationum communicatione satis abundè testatam facis, magnas tibi habeo & ago

gratias,relaturus etiam si qua sese in posterum ejus rei offerat occasio. Non possum autem quin impetrata,præsertim jam dudum abs te licentia,de more ex te rogem, sicubi forte inter legendum dubij mihi aliquid occurrit, In tractatu igitur de morbis puerorum tactam abs te peculiariter velim quæstionem illam, non tam logicam quam medicam: An & quum sit in infantium ægritudinibus purgatoria medicamenta nutricibus exhibere? Hæc siquidem aut valida erunt,aut debilia. Illa sanis,sive sanas carnes habentibus propinare vetat ipse Hippocrates, 2. Aph. 36. & 37. Hæc nihil prorsus auxilij infirmis infantibus, cùm vires suas haud latè extendant, præstabunt ut taceā superioribus illis menstruas purgationes nutricibus intempestivè sane aliquando provocari; in quo manifestum periculum non abesse satis constat. Quamobrem tutius erat opinor, & rationabilius de talibus præsidiis cogitare, quæ ipsi infanti, in parva tamen quantitate absque omni noxa, cum portione materni lactis propinari, aut alioqui tenello ejus osculo inseri queant. Ejusmodi sunt succi quidam, pulveres,liquores, & alia hujus generis. Præterea, quæ extrinsecus etiam ad citandum alvum magno commodo applicantur. Omissum etiam video in eodem tractatu tuo morbum illum in nostris regionibus (haud scio,an etiam in vestris) sic satis usitatum, quem vulgari idiomate *Mitteſſer*, quasi dicas,

dicas, commestores nuncupamus. Eò quod pueri illo laborantes paulatim absumi, depasci & emaciari, absque ulla manifesta causa, deprehenduntur. In tergo ipsorum, quando solennis cura, frictio nimirum ex medulla panis triticei, aut farina hujus melle subacta adhibetur, veluti capita vermiculorum quorundam hinc inde prominent, quibus novacula semel atque iterum derasis ad pristinam sanitatem redeunt. Quidam hunc morbum eundem cum dracunculis Græcorum, aut cum vena civili seu medena Arabum esse putant, sed nisi fallar, magis ad similitudinem ægritudinis bovinæ, seu vermis sub cute generati, cujus Nicolaus Florentinus ex Albocasi meminit, accedit Michael Savonarola superioris ætatis insignis Medicus, in capite de Lumbricis seu vermibus se quoque tale aliquid fando inaudiisse meminit. Verùm cum nunquam viderit, fabulosum esse statuit. Crederet autem haud dubiè si vel paucis mensibus hodie apud nos ageret. In libello de venenis illustre præstantis ingenii, & variæ literaturæ documentum edidisti, multisque in ea palæstra antehac versatis palmam præripuisti. Veruntamen in eo (ignosce quæso) fidem meam tibi accommodare haud possum, quando argumentis nonnullis probare niteris: venenum esse non qualitatem aut accidens, sed potius substantiam. Et tamen paucis ante lineis ipse af-

firmas; Nihil aliud esse venenum, quam vim quandam effectricem veneficam in corpore aliquo positam. At potest ne vis venefica in corpore aliquo posita recte substantia dici, & non potius accidens, quod certum & determinatum subjectum requirit? Si in substantia collocari meretur, cedo quod erit genus ejus proximum, aut ubi in tabella prædicamenti substantiæ locum suum obtinebit? scorpionem quidem, Napellum, aconitum, & alia hujusmodi, facile concedo in substantiarum ordinem cooptanda: venenum autem non item, etiamsi venenata ista esse dicantur, sicut (opinor) nec alimentum (in quo tamen causæ tuæ firmamentum potissimum consistit) nec medicamentum. Rectius mihi philosophari Gal. noster videtur: qui & 3. de temperam. 4. & 1. simpl. 1. expressis verbis tria hæc: alimentum videlicet, medicamentum, & venenum, relata esse ad quid, diserte pronunciat; ad hominem nimirum, cujus respectu omnia (attestante etiam ipso Philosopho, 5. Metaphys. 15.) in medendi arte dicuntur. Nutrimentum igitur ad nutribile, sive id, quod inde nutritur, non secus atque calefactivum ad calefactibile, seu sectivum ad sectile, agens videlicet ad passum refertur. Atque ideo absolutis Categoriis, ne dum substantiis ipsis haud quaquam accersetur, quando ut idem Aristoteles univer-

faliter

ſaliter decernit; nec tota ſubſtantia, nec partes ejus ad aliquid dici verè queunt. Supereſt igitur ut inter relata, quæ ſecundum dici apud Logicos nuncupantur, locum obtineat. Ut enim triticum, verbi gratia, & vinum ſubſtantiæ ſunt, & res merè abſolutæ, quæ per ſe tum exiſtunt, tum etiam, intelliguntur, ita viciſſim cibi ſeu nutrimenti appellationem eadem, non alia ratione accipiunt, niſi quatenus ad hominem relata cibare illum & nutrire apta ſunt. Quemadmodum verſa vice veratrum & cicuta, (placet enim Galeni noſtri exemplis uti) hominis quidem reſpectu, medicamenti aut veneni etiam appellationem ſortiuntur, ſin ad coturnicem & ſturnum referas, pro alimentis habentur. Unde jam liquidò conſtat, veneni nomen, ſicut & nutrimenti & medicamenti non ipſam primitus ſubſtantiam, quæ fundamenti loco ejus ſubjacet, ſed certam potius ejus habitudinem, ut ſic loquar, ſeu officium, & effectum cujus reſpectu ſubſtantiæ alicui imponitur, denotare, ut his hoc modo conceſſis & probatis, ad reliqua duo argumenta, quæ pro veneni ſubſtantia aſſerenda pugnant, reſpondere minimè ſit opus. Utile tamen foret, ut arbitror, in commentariolo illo tuo hoc etiam præter alia in quæſtionem vocari: An venena illa contagioſa ſint, & ſi non ſint, quam ob cauſam hoc accidat? Item num propriè peſtilens malignitas, quæ omnium maximè contagioſa

eſt,venenum, aut cum adjectione venenum peſtilens appelletur? Denique an etiam Philtra,& præſertim celebratum illud Hippomanes in venenorum naturam ſubeant? de quibus omnibus accuratam tuam ſententiam audire,quàm inanes meas cogitationes in medium afferre malo. Venio nunc ad ea, de quibus in ſuperioribus literis velitatio inſtituta eſt, Plumbi aut hydrargyri ortum, generationem, & proprietates,quæque eodem pertinent, nec mihi quidem in præſentia altius repetere libet, illud tamen non poſſum non attingere, in quo te mali à me intellectum eſſe ſuſpicaris. Inquis igitur: Plumbi laminas ſub dio nequaquam vere,& quo ad ſubſtantiam ipſam,ut ego affirmo, veram: ſed pondus ipſarum duntaxat, ideo accreſcere videri,quia corrupta ab ambiente,modo calido,modo frigido ſuperficie partes aqueæ & ſubtiliores in cinerem vertantur, unde vis illa terreſtris ſe magis atque magis deinceps exerat.Ego vero nec dū hoc aſſequi poſſū,partes aqueæ aut ſubtiles (quod,ne temere excidiſſe videatur, iterum repetis) ullo modo in cinerem,terramve degnerent. Evocari ſane illas ab externa caliditate,& ita exhalare, inque tenues abire auras facile crediderim: at quomodo eædem hactenus reſiccentur, & craſſeſcant, ut in cinerem etiam & terram fathiſcant, non video. Ut enim aër & aqua,communi omnium calculo, humidiſſima ſunt & ſubtiliſſima,
ita

ita viciſſim cinere & terra nihil eſt ſiccius, nihil corpulentius. Explicari igitur metamorphoſeos hujus modum mihi adhuc cuperem, quo iis, quæ inde deducuntur, tantò propius aſſentirer. In diſſolvenda Ariſtotelis apparente antilogia mihi penè omnino abs te ſatisfactum eſt. Sed relinquitur aliquid ſcrupuli in alterius problematis enodatione: Cur ſcilicet plumbea caldaria, in quibus ſal coquitur, vehementiſſimo etiam ſubſtrato igne non colliqueſcant. Cauſam hujus eventus in univerſum acceptam refers ſalſæ illi, quæ caldario infunditur, aquæ, quando hæc duplici facultate prædita ſit, pingui nimirum ſeu oleaginoſa, & inſuper aſtrictoria. Illa quidem plumbi humidum à conſumptione & diſſolutione vindicante: hæc vero compagem, & unionem partium invicem egregiè contra ignis violentiã tuente & conſervante. De ſalis & aquæ marinæ potiſſimum pinguedine atque craſſitie ſemel atque iterum commeminit Ariſtoteles tùm in meteorologicis, tum etiam in problematum ſectione tertia ſupra vigeſimam. Idem tamen alibi ſalem parum humoris in ſe continere ſentit, quod cum priori vix conſiſtere poteſt. Siquidem quæ pinguia ſunt & glutinoſa, ea neceſſario etiam multo humore, imo copioſiori, quam ſimpliciter humida abundant, & ſapore penè ſub dulci prædita ſunt, non autem velut amara, linguamque vellicante, ut in ſalſis apparet. Niſi fortaſſe

dicendum eſt : ſalem ut & plæraque alia medicamenta, diverſas & quaſi contrarias à natura obtinuiſſe vires, quarum tamen aliæ alias ſuperant, & non uno tempore ſeſe produnt. Sic acetum quantumvis manifeſtè frigefacere creditur, haud dubie tamen aliquid etiam occulti ἐμπυρεύματ☉ à vini caliditate adhuc reliquum poſſidet, quo ſeſe in ima corporis inſinuare, illudque tacite excalfacere aptum eſt. Sic ſalis quoque ut ad propoſitum redeamus, tenuiores partes calfacere, ſiccare, linguam mordicare, atque etiam penetrare & detergere veriſimile eſt, quia tamen multæ humidæ partes a calore nondum, ut in amaris rebus, pene exuccis, accidit, abſumptæ ſuperſunt : hinc fit ut illis cum his miſtis pingue quiddam & oleoſum reſultat, non impediente mole terrea, ſed potius in id conſpirante, & vim aſtrictoriam inſuper ſuppeditante. Detergere autem ſalem, & ſalſa nitroſa atq; aluminoſa omnia, non ſolùm intra corpus ſumpta, ſed etiam extra admota præter experientiam quotidianam in eluendis ſordiũ ſtrigmentis etiam unanimis medicorum conſenſus teſtatur, & ipſa approbat ſcriptura ſacra, quando apud Ieremiam cap. 2. dicitur: Etiamſi laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, ſive ſaponariam: tamen ſignata eſſet iniquitas tua, & quæ ſequuntur. Ut ita Plutarchi teſtimonio, quod in oppoſitum adducis, per omnia cedere non liceat. Ex iis igitur, quæ huc

hue usque allata sunt, apparet, te caldarij plumbei ab ignis violentia non dissoluti unicam hanc & solam causam statuere, aquam salsam illo contentam. Quid vero si non salsa, sed dulcis aqua eidem infunderetur, an tum saltem colliquatum iri existimas: Ego ne tum quidem hoc futurum crediderim. At etiam si nullum in tam grandi vase periculum unquam fecerim: videre tamen licet quotidie in mensis catinos ex stanno aut plumbo candido, fabrefactos anthepsis seu foculis, qui prunas continent, impositos non liquari, si modo jusculo aut aqua simplici imbuti fuerint, quantumvis muria nulla accedat. Ubi autem humore illo destituuntur, confestim ab igne dissolui incipere, quod sane spectaculũ intuens aliam necessariò subesse causam: quam utrum aliquatenus assecutus sim, tuum esto judicium: neque enim illud sponte subire ullo pacto recuso. Existimo igitur causam eventus illius, de quo jam sępe dictum est, esse geminam. Primam quidem hanc, quoniam capacitas caldarij illius plumbei humore quodã largiter infuso ad impletũ, qui per porosi corporis meatus sese undiquaq; diffundens, ita ignis violentiæ resistit, ut impręssionem, quam alias solet, facere nequeat. Etiamsi itaque quemvis liquorem actuali sua humiditate id præstare posse crediderim; non tamen dubito, quin idem hoc multò luculentius præstat aqua salsa, quoniam scilicet, & pin-

guior est, quàm simplex, ut ante probatum fuit, atque ideo suo lentore magis protenditur, & intima liberalius imbuit, tum etiam coquendo non tàm facilè absumitur, sicut olea & adipes longissimam etiam coctionem, cum minus exhalent, sustinere videmus: præterea ratione subtilium partium altius penetrat, & vi adhæc astrictoria insigni pollet. Altera causa est, quòd in omni coctione seu elixatione superna magis calent, quàm inferna. Ignis enim & ab hoc emanans calor, ex sua natura sursum fertur, ideoque etiam superiores partes, nisi quid obstet, impensius, quàm inferiores calfacit, ibique primum ebullitionem excitat. Norunt hoc egregiè periti coqui ipso usu edocti, cum eas piscium portiones, quæ coctu difficiliores sunt, utpote capita, in superiori cacabi parte, non autem inferiori seu fundo collocant. Quod si evidentius hujus rei argumentum, & planè indubitatum quis habere cupit, tripodem æneum, in quo pisces elixantur, quàm primum ab igne removetur, in fundo ipsius contingat, videbit pedes illos ternos, quibus innititur ahenum penè candescere & ignitos esse: nihilominus fundum, qui flammis immediatè superpositus fuit, tantùm non frigere. Sed hoc statim faciendum est, ubi ab igne tripes amovetur, paulo enim post diffuso calore, & ipse fundus incalescere, atque adeo candescere incipit. Feci hujus periculum non

semel

ſemel mea ipſius manu, cum alij, quibus hoc recitabam, ſe in fraudem allici putarent. Et me prævio, & ipſi poſtmodum manum innoxiè admoverunt. Eodem ſpectat tuum exemplum, quod de patella chartacea ſuper prunas impoſita adducis. Etenim ſi reipſa illa paulò intenſius incaluerit ſuccenderetur haud dubie: itaque friget potiùs, aut ſaltem tepide calet. Quod ſi quis quærat: cũ calor ignis (flamã flamam, ceu unda undam ſubinde propellente) ſemper ſurſum feratur, quomodo non tandem diſpergatur omninò, & ne ſuperiores quidem partes calefaciat? dico ego hoc fieri καθ' ἀντιπερίστασιν. Circumſtans quippe ambientis frigus prohibet, quo minus ignis calor prorſus cadiſſipetur: imò potius illum retrò cedere cogit, magis unit & hac ratione ſeipſo fortiorem, inque agendo efficaciorem reddit, non ſecus atque frigidus è follibus cum impetu expreſſus ſpiritus in fabrorum fornacibus ignem luculentius ſuccendit. Notandum tamen ad extremum hoc eſt, caldarium illud plumbeum, in quo ſal excoqui toties jam diximus, non ab omni omninò ignium injuria, & impreſſione immune eſſe. Semper enim aliqua portio decedit adeo ut cum tertiam ſummum ſalis coctionem ſuſtinuit, neceſſario refici, & liquatum de novo fundi illud oporteat. An autem cera in aqua (feruente ſcilicet) liqueſcat, uno verbo reſpondeo, molleſcere illam magis, quàm

liquari, quando hoc duntaxat à calore ſiccō & igneo, non autem humido ſeu aqua patiatur. Cætera literarum tuarum capita, quibus mihi adhuc ſatisfaciendum video, in aliud tempus reſervo. Te autem etiam atque etiam oro, ut ne hanc meam παῤῥησίαν, quam diſcendi ingens cupiditas, & jucundiſſima naturalium rerum contemplatio mihi exprimunt, iniquo animo ſuſcipias. Verè enim affirmo, me non tui, (quod abſit) vellicandi, ſed mei ipſius duntaxat erudiendi cauſa, hæc in medium afferre. Ac quidem ſi ad ea, quod ſpero, reſpondere dignatus fueris, præclare beneficium iſtud collocaveris. Vale. Pragæ. 31. Januarij, Anno 1584.

D. Hieronymo Mercuriali, &c. Petrus Monavius, Med. S.D.

ETsi ante octiduum ad te bene longas dederim: nondum mihi tamen per omnia tuis, quibus ternis debebam, ſatisfeciſſe videor. Itaque quæ in prioribus intacta reliqui, ad ea in præſentibus hiſce breviter reſpondebo. Cenſuræ tuæ de libris Hippocratis gemina exempla, quæ excellentiſſimus Dn. Scutellatius mihi communicavit, mox uni atq; alteri amicorū meorū in arte noſtra peritiſſimorum, in diverſa Germaniæ loca tranſmiſi, ut videlicet illlorum quoque de ea judicia cognoſcerem. Cur vero hic autor melancholicum ſuccum aquam, vel ut ipſiſſimam ejus vocem uſurpem, ὕδρωπα

nuncu-

nuncupaverit, non displicet ratio tua. Quandoquidem semper fere cum crasso isto & feculento humore multum aquæ seu seri, quod vehiculi usum illi præstare verisimile est, conjunctū videmus. Neque tamen prorsus male illi etiam sentiunt, etsi παράδοξως, qui lienem nō minus, quàm epat sangvificationi dicatum existimant. Memini autem medicum quendam, virum doctissimum, & anatomicum excellentem ad hoc persuadendum tribus potissimum hisce argumentis uti: I. Quod omnia viscera, quæ publicum aliquod munus in corpore humano gerunt, aut gemina sint, à prudenti natura efformata, aut saltem in medio corporis inter dextrum & sinistrum posita. Sic caput ille & cor, & ventriculum, & uterum, & vesicam, in externis etiam nasum, & os unica singula esse affirmabat, ideoque in medio corporis locata: pulmones autem & renes & testes, item oculi, aures, manus, & pedes gemini cùm sint, eam ob caussam utrumque etiam latus occupare. An verò epar, quæ & ipsum pars est nobilissima, & princeps non immeritò sane in alterutra corporis regione, dextra nimirum locum obtineret, nisi illi in opposito latere lien, in eodem munere collega, responderet. II. argumentum à conformatione sumptum erat. Lienis nimirum & jecinoris constructionem, magnam inter se affinitatem & similitudinem habere, quando in illum non minorem venæ

portæ ramum, arterias verò multò plures & insigniores, quàm in hoc dispergi, & disseminari videas, ut plane hinc appareat, visceri illi sangvinis elaborandi partes non secus, atque epati à natura moderatrice concessas & attributas esse. Postremò, experientia ipsa ostendit, morbos, qui sangvificationem lædunt, utpote, cachexiam, hydropem, & similes ; tam frequenter à lienis, quàm jecinoris obstructione, aliisque morbis oriri solire. Verissimum autem est axioma, quo Galenus in loci affecti indagatione multum utitur : Actionem aliquam lædi non posse, nisi simul pars, unde illa emanat, lædatur. Et contra, cùm in parte vitium inest, actionem inde prodeuntem necessario lædi. Quid igitur de rationibus hisce sentias, perlubenter ex te cognoscerem. De venenis porrò libellum tuum accuratius perlegenti, hoc etiam insuper ex te quærere in mentem venit : Quamobrem illa omnia cor primo & principaliter petere affirmare sustinueris. Certè enim in argumentorum adversæ partis dissolutione non levis est difficultas ; atque hund scio, an satis solidè ad omnia objecta inibi responsum sit. Quantum sanè mihi ex artis medicæ fundamentis, atque adeo ipsius rei natura assequi licet, ita quęstio hæc breviter explicari posse videtur: Omnia ea, quæ in corpus humanum intro assumpta agunt, aut ab eodem patiun-

patiuntur, in triplici sunt differentia, nempe, vel cibi, vel medicamenta, vel venena. Cibi seu alimenta dicuntur, quæ à natura nostra, tum secundum substantiam; tum secundum qualitates vincuntur, eo nutriendo, augendoque corpori cedunt. Medicamenta verò, quæ secundum substantiam quidem dissimilia, secundum qualitates tamen hactenus à calore nostro superantur ut nihilominus corpus alterare, & immutare valeant. Venena denique nuncupantur, quæ & secundum substantiam, & secundum qualitates suas corpus nostrum, aut certas illius partes, non tantum vincunt, sed etiã plane destruunt & corrũpunt. Sicut igitur inter ea, quę mere cibi, & quæ mere medicamenta sunt, cibi medicamentosi, & medicamenta, ut sic loquar, cibosa, tanquam utrinque participantia, intercedunt, ita etiam vicissim inter mere medicamenta, & mere seu simpliciter venena, medium quodammodo locum occupant, tum pharmaca ipsa purgatoria, tum alia, quæ deleteriæ facultatis aliquid obtinent, imo vero etiam, secundum Galen. sententiam, ipsa alexiteria, si non ista quantitatis moderatione exhibeantur. Præterea, ut inter alimenta, & medicamenta alia, aliis partibus plus, aut minus conveniunt (sic vinum magis reficit spiritus, caro partes solidas) ita non est dubium venena quoque diversa, diversis partibus peculiari quadam virtute magis esse noxia,

(exempli gratia, cicutam & hyoscyamum cerebro, leporem marinum pulmonibus, fungos gulæ & faucibus, napellum cordi, cantharides vesicæ & renibus, argentum vivum nervosis & osseis partibus, torpedinem manibus, & similiter aliis alia) neque ullam nos necessitatem cogere, ut omnia in universum venena cordi ipsi principaliter insidiari concludamus. Quod si tamen firmiores opinioni tuæ rationes in medium attuleris, non equidem invitus ab erronea sententia mea discessurus sum. De Hippocratis editione, quam sub manibus te habere intelligo, scire velim, quam nobis spem facias, & an etiam Latinis Græca, quod optarim adjuncturus sis. Nulla certè re nomen tuum, alioqui clarissimum, posteritatis memoriæ præclarius commendare posses, quàm si hunc, non dico librum, sed thesaurum medicinæ, quam emendatissimum & locupletatissimum in lucem emittas. Verè enim de hoc (si Galenum fidum Hippocratis interpretem conjungas) id quod est in vulgato versiculo pronunciari potest; *Ex aliis paleas, ex istis collige grana.* Sed odiosa prolixitate tibi amplius molestus esse desino, cùm sic etiam facilitate tua pene abusus videri queam. Vale. Pragæ. 7. Febr. anno 1584.

D. Tho-

D. Thomæ Erasto, Elect. Palat. Med. &c. Petrus Monavius Med. S. D.

LITERAS tuas doctissime & humanissime scriptas singulari cum voluptate, & magna utilitate multoties relegi. Pro responsione ad quæstiones meas, magnas gratias habeo. Ac in prima quidem plane acquiesco. In altera illud adhuc dubium remanet, ut si febris est morbus cordis, & ita partialis affectus, cur omnes fermè medici tanto consensu eum inter universales morbos, seu non appropriatos retulerunt? Et qui fiat quod non in omni febre ex necessitate pulsus vitiatus, hoc est, justo vel debilior, vel vehementior, vel alia quoque ratione depravatus reperiatur? teste etiam Gal. 3. præsag. cum quidem morbus actiones partis, cui inhæret, primo lædere rectè dicatur. Humores denique an in febribus salubribus vere putrescant, & nō potius accensi sint & fervētes? de eo quoque magnam esse controversiam video, & à contraria parte argumenta non omnino levia. Quædam Ioubertus, medicus Gallus, in suis paradoxis recenset. Sed de his in præsentia afferenda non sunt. Meæ vero imprudentiæ (dixerim propriè impudentiæ) ut veniam des reverenter à te peto, qui te alioqui occupatissimum, interpellare tamen & molestia afficere non desinam. Fieri

sane potest, ut maxima ex parte eadem nostri hi docuerunt, quoniam tamen non eodem modo, verum ἀμεθοδικωτέρως illa proposuerunt, nervosam suam & dialecticam brevitatem illorum prolixitati garrulæ meritò antepono. De putredine lætor te publici commodi gratiâ quædam abs te elaborata edere constituisse. Sunt quidem antehac à plurimis de hoc negotio scripta plurima fateor; verùm tamen an in iis plenè & solidè ad hanc πραγματείαν pertinentia tractata sint omnia, valde dubito. Unum nunc modò adferam, quod scriptum tuum, cujus à vobis discedens exemplum mecum avexi, accurate legenti, mihi non mediocrem scrupulum movit, videlicet, quòd naturalem illam putredinē, sive τὴν καθόλε, καὶ κτ φύσιν impropriè sic appellari asseris, magis autē propriè alteram, quæ violenta est: cùm tamen Aristotelis diversa esse videatur sententia, Etenim vera & propria putredo illi mixtorum perfectorum passio est, & contrarium causæ generationi mixtorum: interque se mutuò hæc duo opponuntur, tum quo ad terminum, quoniam generatio est ad esse formæ, putredo ad non esse, tum quo ad causas, quia illa fit activis qualitatibus dominantibus supra passivas: hæc contrà: tum denique quia generatio est terminatio, & unio humidi cum sicco, putredo verò est indeterminatio & dissolutio. Violenta autem putredo eidem est τ̃ κατὰ μέρΘ- μόνον φθηρομένων, hoc est, secun-

secundum partem , non tam substantialem, quam quãtitativam, quàm, ut ita dicam, qualitativam, nimirum recessus à proprio & nativo temperamento. Quare etiam de hac re loquens ait : οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε, σῆψις λέγεται, id est, (ut nonnulli quoque legunt) peculiariter, seu quodam modo, non autem propriè & verè putredo nuncupatur. Ut sensus horum verborum hic sit : Atque in omnibus , quæ corrumpuntur secundum partem, & recedunt à propria natura, & proprio temperamento, reperitur quidam proprius & peculiaris modus putredinis diversus à modo putredinis eorum, quæ corrumpuntur secundum totum, qui scilicet modus, neque generationi opponitur , neque passio misti est, ut mistum. Hæc sententia cum ad mentem philosophi propius accedere videatur , etiam multis à doctissimo Archangelo in suis dilucidationibus, in plurima obscura loca Aristotelis, in tractatu de generatione & putredine comprobata, & munita est. Illud idem etiam asserit calorem naturalem non solùm ob duas illas causas, quas in tuo scripto exprimis, diminui , nempe à contrario, & ob defectum humidi, verumetiam à calore ambientis per exitum & evaporationem ipsius, ut in putredine. Quæ tamen omnia à me non ob aliam rationem adducta esse existimes velim, quam ut de quibus ambigo, de illis judicium tuum limatissimum cognoscere queã. Ve-

rum nunc de tertio quodam dubio quærere, quod in suprà nominato scripto tuo, tanquam alibi declaratum & confirmatum posuisti, videlicet, dato duplici calore, etiam duplex temperamentum statui, cùm hoc concesso, etiam duplicia principia, & actiones diversas in corpore oriri necesse sit. Quod si tamen hoc tanquam corollarium cæteris beneficiis tuis mihi exhibitis addere voles, nihil est, quod abs te amplius petere ausim. Vale, & me, qua cœpisti benevolentia, complecti perge. Patavij Antenoris. 17. Martij, Anno. 1578.

D. *Thomæ Erasto, &c. Petrus Monavius Med. S.D.*

CUM te præceptoris loco & habuerim hactenus, & nunc habeã, audacius propono ea, de quib. interdũ subdubito, ut de iis sententiam tuam, quam meritò maximi facio, cognoscam. De metallis igitur num ea rectè & tutò assumi possint, quæstio agitatur à plurimis hac nostra ætate medicis. Legi hac occasione, quæ pro decisione litis istius affers, tum in Antiparacelsicis, tum in nuper edito libello de auro poculento. Videor mihi ex illis hanc hypothesin excerpsisse; metallica omnia in universum, quovis modo parata, nec tuto, nec commode intra corpus sumi. Perpendi etiam rationes doctissime excogitatas, quas in citatis locis affers,

fers, fateor tamen mihi nondum in omnibus satisfactum, & superesse scrupulos adhuc aliquos, quos & ipsos rationum momentis, quæ cum experientia non sunt dissonæ, mihi eximi cupio. Principio hoc facile do: Nulla metallica corpus nostrum alere & nutrire, ut iis pro cibis in victu quotidiano uti liceat, neque tam fatuum puto esse quenquam saltem ex iis, qui communi consensu non destituuntur, qui contrarium afferret. An verò etiam omnem corroborandi, refocillandi, & quadantenus in statu suo partes principes conservandi facultatem iis adimere debeamus, non est ita in proclivi. De auro argento, & preciosis quibusdam lapidibus fortasse experientiam testem producere possemus, cùm constet in usu medico illa sæpè quo ad has intentiones utiliter adhiberi, maximè vero animi deliquiis, aut aliis imbecillitatibus. Quod rationes attinet, non est ea nulla, quam aliqui afferunt, de perfectione mistionis summa, quæ præcipue in auro elucet, ob quam etiam causam pene interitus expers est. Gemmarum præstantium lux & splendor ille præfulgidus, quem projiciunt satis patefacit, cujus ratione spiritus nostris vitalibus inprimis, atque animalibus sua natura lucidissimis cognatos esse mihi planè persuadeo, adeoque facilè adducor, ut credam, ob illam συμπάθειαν, & symbolicam convenientiam spiritus & conservare, augere, & velut ignavos &

deperditos specifica proprietate restituere. Verùm neque de hujus generis viribus propositum est amplius agere. Quoniam itaque in medicamentorum, sic proprie dictorum, classem ea collocas, hîc sanè consistamus. Purgandi vires pleraque obtinere satis notum est: etsi ex vetustioribus, aut nulli, aut pauci de hoc quicquam memoriæ prodiderunt. Imo assumpta adeo quidem naturam exagitant, ut illa stimulata sursum & deorsum quicquid excrementorum intra corpus cotinetur cum impetu exturbet. Hoc ipsum est, inquies, quod toties inculco, & cujus causa ego noxia esse, & planè δηλητήρια talia medicamenta constanter affirmo. Esto sane ita ut dicis, neque enim inficias iverim, quin venenata & maligna aliqua qualitate participent. At isthæc ratio sufficiens esset, tum nulla prorsus purgantia intra corpus quisquam medicorum propinaret, cum certum sit illa omnia corpori nostro adversari, imo ob hanc pene solam causam καθαρτικὰ censeri. Proinde istud tantùm sequetur; Non cruda, & ita ut è terra eruuntur ingerenda esse; sed quemadmodum & reliqua purgatoria, præparata prius, & aliis additis correcta, ut minus nocere queant. Qua vero tandem via & ratione illa præparabis, ut mitiora evadant, num igne? Atqui hic magis vim ipsis insitam acuet, & penetratiora reddet. Ablutio vero, quæ per aquam fit, dubio procul minoris efficaciæ

æstima-

æstimatur, quàm ut tale quid præstare possit. Negarim ego ignem dextrè adhibitum, & legitimè administratum semper cum alia, tum etiam metalla, ob ἐμπύρευμα, quod in illis impressum relinquat, calidiora, acriora, nocentiora reddere. Quam enim multæ res sunt, quæ cùm antea crudæ & ineptæ essent, ignis postea beneficio coctæ & aptæ efficiuntur, ad corpus alendum, & in suo statu conservandum. Testantur id carnes, & plurima alia, quæ in culinis ad victum quotidiè apparantur: inprimis verò assa, in quibus nemo ἐμπύρευμα refugit, quo minus illis suaviter vescatur, cùm tamen certum sit sicco calore torrefacta, & ita igneitatem illam esse, si dices toto hoc genere differre, & ita nihil inde ad rem propositam concludi, tum demùm vel unam cerussam tibi proferam, quam & refrigerare, & ideò repellere, imò emplasticam esse, præter Diosc. & Galen. alij quoque confirmant, & experientia ipsa evidenter demonstrat. Cur vero hic ἐμπύρευμα illud non urgeam, cum tamen à plumbo usto, aut parum, aut nihil differat? Itaque hoc restat, ut dicamus. In igne non tantum vim calefactoriam considerandam esse, sed etiam τὴν διακριτικὴν δύναμιν, quæ ita in eo (ceu summè calido) pollet, ut ob id potius, quam illa calidi definitionem ingrediatur. Per hanc autem facili labore, dum metalla liquantur, partes puræ & impuræ à sese invicem separari possunt, ut hac

ratione,vel olea liquores,vel,quos vocant spiritus,pro ut lubet,inde extrahãtur,relictis in fornacibus partib. illis terrestribus & crassioribus intentioni nostræ minimè quadrantibus. Quis verò est,qui in his omnib.,quę modo nominavi ἐμπύρευμα tale reservari affirmare ausit, quod acredine & mordacitate sua partibus corporis nostri vim inferat:cùm plurima ejusmodi ad refrigerandum & humectandum intra & extra corpus utiliter exhibeantur,utpote, v. g. oleum seu potius liquor vitrioli,item sulphuris,in quibus gustu etiam non admodum magna acredo deprehenditur. Taceo nunc de aliis aquis,quas destillatas vocant,ignis potentia elicitas, inter quas multas refrigeratorias esse nemo prorsus dubitat. Sed neque illud simpliciter concedo: Quæ in dura & solida corpora sæviunt, mollibus & laxioribus multò magis infesta esse. Quis enim aquam,vulgò fortem appellatam, ignorat? Hæc certè ferrum & chalybem,durissima cùm sint, brevi tempore absumit, & tamen manu cava multis modis molliori sine noxa etiam excipi animadversum est. Videmus similiter quid in obsidionibus urbium fiat, ubi saccos ingentes lanarum floccis repletas suspendere solent, contra maximorum tormentorum ictus,quos mœnia fortissima atque munitionibus instructissima tuto excipere nequaquam poterant.
Nem-

Nempe, quia isthic minor sit resistentia, debilior etiam actio consequitur; hîc vero animis utrobique ad pugnam paratis, & neutro hostium alteri cedere volente, naturæ quadam lege, acrior conflictus exoritur. Verùm dum hæc ita in medium profero, nequaquam agyrtis illis, & insanis Paracelsicæ scholæ assectis patrocinari volo, quorum multò maxima pars per neces hominum experimenta agit, & artem honestissimam, quam nunquam didicit, scelerate profitetur, proque medicina carnificinam potius exercet, sed illud tantum in præsentia determinari cupio: Num metallica prorsus eorum, quæ intra corpus sumuntur, numero eximenda sint, si in eorundem usu, hæc tria caute observantur, ut nimirum, ante rectè præparentur, recte præparata aliis additis corrigantur, & correcta demum debita quantitate, seu dosi exhibeantur. Quid sane in talibus fieri possit, ac debeat, à multis præstantibus Medicis, qui non tantùm artis præcepta universalia noverunt, verum etiam ἐν ἐγχειρήσει τῶν ἐν μέρει. μαλίστα δὲ τῆς λεγομένης χυμείας, sese præclare exercuerunt, (inter quos non injuria etiam Matthiolum numeraverim) scriptis traditum est. Ego autem ad te, mi observantissime Præceptor, confugio, teque oro, ut rationum momentis, quod potes eadem hæc mihi breviter explices. Etsi enim in libris tuis de his extant non pauca: quid tamen

prohibet, ad particularia magis descendisse, atque auditoris captum sese accommodasse? Promitto vicissim debitam observantiam, & omnis generis studia, quæ à meatenuitate in te proficisci poterunt. Vale, & si me discipulum tuum agnoscis prima oblata occasione rescribe, Uratisl. 30. Julij. Anno 1578.

D. Thomæ Erasto, &c. Petrus Monavius Med. S. D.

NON poteram nuper literis tuis ita satisfacere ut volebam, cùm Tabellarius nimis properaret: aliquid tamen omninò scribendum fuit, ne justè neglecti officii accusari possem præsertim cùm satis sese commoda occasio offerret. Cæterum vel ab eo tempore Epistolam tuam accuratius legi, cumque iis locis libelli tui de auro poculento contuli, quos tu manifestè allegas, & ceu fundamenta hujus disputationis ponis. Placuerunt mihi pleraque vel potius omnia mirificè, quod & solerter excogitata, & suis rationum momentis suffulta essent; quibus si firmiores opponere alias coner, actum agam, haud dubie & frustrà laborem. Recte ponis discrimen inter metallica & ipsa metalla, quod ab initio non satis animadverteram, postea tamen admonitus observare cœpi. De gemmarum viribus etiam alios multos, nec indoctos addubitare video, qui tamen occul-

occultis illis causis, & proprietatibus alias tribuunt plurimum. Nolo autem hanc litem, quasi sepultam denuo renovare. Eruditè postea perfectio mistionis, quæ in auro reperitur, ab ea segregatur; qua corpora nostra omnia reliqua sublunaria præcellunt. Longe enim absque dubio sublimiori gradu ob operationum præstantiam, hæc quàm illa collocari merentur: ut si quis, quo ad hæc similitudinem inter utraque statuat, plurimum mea sententia decipiatur. Chalcanthi liquorem (quem oleum falso nonnulli appellant, cum non ardeat) non semel ipse gustavi, sed tamen sine magna noxa, aut acredinis sensu ejusmodi, qui linguam adureret. Imo pharmacopeus quidam erat superioribus annis Patavij, qui multos, propter vasis alicuius in pulmonibus erosionem, sive ruptionem, sangvinem exspuentes, hoc medicamenti genere feliciter curabat, quo tamen si rationem spectes, nihil fieri potest absurdius. Quamvis enim, quo ad siccandi vim aliquid forte profuisset, majus tamen damnum ab insigni ejus mordicatione expectari poterat. Qui autem aquam fortem, quæ paulo aut brevissimo tempore ferrum absumserat, cava manu innoxiè sustineret ipse vidi. An fucus mihi factus sit ignoro. Nolim tamen in mea cute illud experiendo periclitari. De metallorum per ignem præparatione, inter sese transmutatione, ac intra corpus assumptione, καὶ φημὶ καὶ ἀπόφημι

καὶ οὐκ ἔχω τι φῶ. Non facile eſſe video rationibus ea evertere, quæ tuto ex omnium vetuſtiorum Philoſophorum conſenſu & decretis elicis: idem tamen video in multis experientiam non obſcurè contradicere his, quæ rationibus firmiſſimè concluſa putantur. Negare verò ſenſum propter rationem, imbecillitatem eſſe judicij, etiam Ariſtoteles alicubi pronunciavit. Quare hoc mihi interim perſuadeo: neminem de his recte atque ſine errore pronunciare poſſe, qui ipſe manum operi non admoverit. Fortaſſe enim hic quoque valet id, quod Anaxagoræ, ni fallor, tribuitur; ἡ χεὶρ αἰτία ἐστιν τῆς σοφίας. Nec fruſtra Galenus toties τὴν ἄσκησιν τῇ μεθόδῳ καὶ λόγῳ conjungit. Quanquam enim τὰ καθόλου perpetuæ ſint, & indubitatæ veritatis, fieri tamen poteſt, ut fit ſæpiſſime, ut nos ἐν τοῖς λήμμασι, ſive inſumptionibus impingamus, dum particularia non omnibus, quæ illis vere accidunt ad unguem expenſis perperam applicamus. Unde multi ſæpe in univerſalibus illis conceptibus illis, & in Theoria tota exercitatiſſimi ubi πρός τι ἐν μέρει, ſive ad actiones deventum eſt, turpiſſime hallucinantur, & ineptiunt. Quæ omnia eò tantum dico, ut intelligas cur plura de his diſputando movere nolim, ut qui fateat me ἐν ἐγχειρήσει τῇ χυμικῇ, quæ profectò arcana plurima prodit minus quam oportebat verſatum eſſe. Itaque quando pro tua humanitate hoc liberaliter mihi per-

hi permittis ad alia potius ascendo. In tractatu de occultis pharmacorum potestatibus tuo, doctè atque scitè inter se discernis proprietates à forma dependentes ab iis, quæ materiam, ac temperamentum ejus consequuntur (ἰδιοσυγκρασίας enim, quæ in certis duntaxat individuis reperiuntur, tertij cujusdam ordinis esse libenter concesserim.) Ac postea concludis prioris generis facultates vix usum habere in medendo, quòd rarissime utamur pharmacis intra corpus sumendis, quæ formam suam adhuc retineant. Sequetur ergo jam forma sua privata nos duntaxat usurpare. Ex quo ego alterutrum horum absurdorum colligo, aut nullis formis prædita esse medicamenta illa, aut id, quod esse creduntur, revera non esse. • Quid enim? An non res singulæ à forma & essentiam & denominationem suam accipiunt? Quare Rhabarbarum, verbi gratia, (& item alia quævis planta) tum solum Rhabarbarum, cum terræ adhuc infixum ejus ad se succum, quo nutritur & vivit, attrahit. At vero Cùm (liceat Poëtæ verbis eloqui) *semel in sylvis, imò de stirpe recisum Matre caret, posuitque comas & bracchia ferro.* Olim arbos, nunc aliquid aliud appellandum erit: non minus ac animal quod. uis anima sua & forma exspoliatum non animal amplius, sed cadaver duntaxat nuncupamus. Hoc si nunc detur, etiam de viribus novis, quæ una cum nova forma accesserunt,

quæremus. Quo loco istud etiam mihi explicari velim; An in rebus, quæ animatæ non sunt, temperies (Galeno suam hac in parte liberam relinquo sententiam) formæ vicem suppleat. In viventibus enim, quamdiu vivunt, nihil ambigo, quin anima sit ἡ ἐντελέχεια & perfectio illa, quam formam vocamus. Quid vero in his ipsis temperies, cuinam annumerabimus? Formæne? ita duæ erunt formæ unius simplicis rei, substantialis una, accidentalis altera. Ergone materiæ? Atqui de hujus ratione est non agere, sed pati. Qualitates vero, ex quibus temperies constat, omnes uno ore Philosophi fatentur, actionis esse causam proximam & per illas substantias efficaces esse. Sed & pro morborum totius substantiæ assertione hoc afferri posset. Reperiri in compositis præter materiam & formam tertium quiddam in quo fortasse sedem illorum autores tui ipsis constituunt. Est autem tertium illud forma (quam sic in scholis appellant) totius, alia non tantum ab ipso composito, sed etiam à forma partis, quæ una cum materia compositum constituit. Sic, exempli gratia, Homo totum est compositum, constans ex forma, quæ partis nominatur, hoc est, anima, & materia, sive corpore, ejusque temperie. Forma totius erit ipsa (ut sic dicam) humanitas. Ita igitur morbos quosdam reperiri opinari licet, qui nec materiæ, nec formæ per se, & seorsim competant, neque etiam materiæ,

sed

ſed utriqueſimul ſumto infenſi ſunt. Utpote peſtilentes, & venenato contagio inficientes. Quamvis enim forma, ſeu anima καθ' ἑαυτὸ non patiatur, tamen ubi corpus graſſatores illi invadunt, amplius cum eo conſiſtere, & ipſum informare nequit. Corpus verò primo & revera læditur, non tantum ſecundum ſimplicem temperiem, ſed ita ut prorſus deſtruatur. De his igitur, quæ diſcendi ſaltem cauſa propono judicium tuum cognoſcere vehementer cupio. Scio non eſſe illa demonſtrationes, ſed tamen in explicatione talium quoque argumentorum, quæ levia & futilia habentur, multa ſæpè utiliter in medium afferri poſſunt. Faciam autem finem ubi unum iſtud quæſiero: Qua ratione contraria quædá ἔμμεσα dicuntur, quædam ἄμεσα, cum fieri nullo modo poſſit, ut extremum aliquod detur, quod medium non habeat? Dicuntur enim hæc πρός τι ἀντιστρεφόντως. Contraria autem extremè ſibi oppoſita eſſe ſub eodem genere nemo negat. Medium igitur habeatur neceſſe eſt, ſive illud jam nomen certum obtineat, ſive ἀνώνυμον ſit. Atque ad hunc modum nulla prorſus erunt contraria immediata, de quibus ſatis multa in ſcholis logicorum eſt diſputatio. Verum ignoſces mihi, quòd tam multis meis interrogationibus tibi moleſtiam creo. Diſſoluere tamen illas tibi operoſum haud quaquam eſſe plane ſtatuo: mihi vero ex illis ipſis reſponſionibus pluri-

Ee

mum utilitatis accedit, nec delectationis quoque modicum. Vale 4. Novemb. Anno 1578.

D. Thomæ Erasto, &c. Petrus Monavius Med. S. D.

MERITO tibi maximas ago gratias, qui viva voce olim præsentem, & nunc per literas etiam absentem me erudire non dedigneris. Lubenter enim fateor, me ex proximis tuis, docte, diserte, tûm etiã copiose & amanter scriptis profecisse plurimum. Ad quas in præsentia paulo tardius, quàm animo conceperam, respondeo. De chemia non habeo, quod tuis fundamentis opponam amplius; imò gaudeo te illam non usque quaque, ut multis temere persuasum est ad medicamentorum multorum præparationes idoneas attinet, quomodo eã ex solido damnari & rejici possit, nondum video. Metallorum autem transmutationem, ut maximè per naturam liceat, solius quæstus causa moliri velle, haut scio num homine Philosopho, nedum Christiano, satis dignum sit, ut taceam impensis hoc fieri maximis, & non minori valetudinis cum damno, quicquid alij blaterent: denique, qui montes auri se reperturos frustra adhucquidem sibi & aliis pollicentur, ἰδιοσυγκρασίας tertij cujusdam generis esse, ideò pronunciavi, ut illas ab iis distinguerem proprietatibus quæ in omnibus individuis certæ

certæ ſpeciei ratione materiæ & temperamenti ſine exceptione repeſiuntur. Cùm ſatis conſtet peculiarem ſubeſſe rationem oportere, cur magis uni, quàm alteri ſingulari conveniant: etſi interim a temperamento eas in univerſum prodire, ut vox ipſa teſtatur, non pernegem. Rectè ais: opere & potentia definienda, quæcunque talia dici meritò debent. Quæſierim tamen hic nihilominus: num tu à forma, an verò ab effectibus rem quamlibet denominandam definiendamve cenſeas. Quod ſi enim poſterius hoc ſtatuas, valdè vereor ne tibi cum rixoſis Philoſophis res futura ſit, qui tā cōſtanter prius illud in decretis ſuis affirmant. Quamobrem ut hanc invidiam declines, opinor te hoc loco diſceſſionem à Philoſophica quidem & Phyſica conſideratione, quæ ſecundum accuratam rationem inſtituitur, rebus quibuſuis appellationes imponi à forma, utpote, quæ illis eſſe etiam ſuum impertit; ſed tamen in medica operatione minus ad hanc reſpici, imò potius negligi, niſi effectus tales quales illi tribuuntur, de ſe edant. Hæc ſi tua eſt ſententia, à mea diverſam non eſſe profiteor, ſin aliter judicas, me amplius de illa, ceu minus rectè intellecta, informari cupio. Si in animatis tēperies formæ rationē ſubit, & alia inſuper forma accedit qua res id eſt, quod eſſe dicitur, adhuc affirmo, abſurdū mihi videri, uni rei ſimplici geminas formas tribuere, non quidem ſubſtantialem unā,

accidentalem alteram, ut tu interpretaris, sed substantialem utramque. Quid enim? An non Galenus animam temperiem esse quandam putat, & anima substantia est nisi fallor? Quomodo igitur non duplex sit forma substantialis: Una, quam tu met ponis, & de qua lis nulla est; altera, hæc ipsa quam nunc dico, anima nempe, hoc est, temperies? Quod si enim de hominis ipsius anima Galenum, num ad temperiem referret, addubitasse scimus, quid aliis inferioribus, utpote, in brutis & vegetabilibus eum sensisse conjiciemus? Hoc pene concesso, etiam lapidibus, gemmis, atque fossilibus aliis, quæ animata vulgo creduntur, animas suas assignabimus, cum temperamento illa certo constare nemini sit dubium. Atque profecto, ut de hoc posteriori, quod sentio, libere proferam, haud scio, num recte metallica omni prorsus anima priventur, cum ea crescere & augeri liquido constet. Quod enim de externa duntaxat accessione, & nescio qua accretione, & materiæ accumulatione garriunt, non satis mihi rem explicare videntur, qui ab interno principio motum quendam simul accedere plane statuam, & argumenta sunt venæ illæ, quas sic vocant in auro, argento, & aliis nobilioribus metallis. Humanitatem, quam formam totius scholasticorum more appellaveram, ais non naturam esse aliquam per

se sufi-

se subsistentem, sed tantum νόημα, seu conceptum quendam in mente. Id si ita est, ut non repugnavero, aliquod tamen necessario extra mentem dari oportet ὑφιστάμενον illi correspondens. Unde nempe hæc idea abstracta est, nisi illam plane nugax commentum, & cogitationem inanem affirmare velis. Illud igitur qualenam erit? Homo ne ipse? Itaq; homo prorsus erit extra mentē, id quod humanitas illa in mēte Hoc modo si controversiā hanc sopitā esse censes, non molestus tibi ero, quo ad hoc in posterum. Morbos totius substantiæ, si omnino in uno trium summorum generum reponi debeat, nullibi certe rectius & convenientius, quam inter intemperiei morbos ipse collocaverim. Verum enim vero cum plane peculiari modo nobis adversi sint, placuit primis horum inventoribus facilioris doctrinæ & distinctionis gratia novam illis sedem assignare, ut vel sola nomenclatura ipsorum investigatoribus statim in conspectum veniat. Neque tamen vel ipsi opinor negabunt adversarij simul temperamentum necessario destrui. In quo tamen controversiæ hujus caput, quantum assequi licet constitutum minime est, sed potius; quid primo, & potissimum lædatur. Hîc illi ajunt ipsi substantiæ partium similarium, hoc est, spiritui, calori innato, facultatibus, formæ denique ipsi nocumentum afferri, quod tamen nihilominus

in temperiem simul redundet. Tu contrà si hypothesin tuei ivo es, temperiem violari & corrumpi primo statues, atque sic paruum inter simplicem intemperiem, atque hanc extremè damnosam, pellundantemque hominem, discrimen relinquetur. Potest pro illorum defensione hoc quoque in medium afferri. Non valere hunc argumentandi modum: In substantiæ totius morbis necesse est temperamentum vitiari & destrui. Ergo temperamentum per se & primo læditur, & ita à morbis temperiei secerni non debent. Sicut enim in suffusione v.g à ventriculi affectu (de qua Gal. 4. de loc. aff. 9.) fieri non potest, quin oculi simul lædantur, & tamen oculorum morbus hæc affectio propriè non dicitur, neque primo ipsi læduntur, ita etiam consimilem in modum hîc quoque se rem habere putandum est, de quo quid tu judices, nimirum, ex tua responsione cognoscam, solutio difficultatis de contrariis immediatis planè accurata est, & haud scio an non nimis exquisita. Nequaquam tamen eam reprehendendam duco, sed simpliciter, quæ mihi de ea cogitanti in mentem venerunt, profero. Fortasse igitur in hunc quoque modum explicari res posset, si dicamus; Medium hîc nō significare formā aliquā mediam, inter duo extrema, sed potius subjectū medium, cui formæ illæ contrariæ inhærere aptæ sunt, ut nimirum contraria quædam ideo appellentur ἄμεσα, hoc est,

est,sine medio,quod nullum habeat subjectum medium; seu naturæ mediæ cui alterutrum horum non insit,exempli gratia, vita & mors. Cùm enim hæc animato corpori solùm competant,nullum tale unquam reperietur corpus ita medium,ut nec vivum sit, nec mortuum. Offendit me autem aliquantulum ἀντιλογία illa,ut apparet,quod cùm superius dixisses, substantiis & formis nihil esse contrarium,paulo tamen inferius subjicis hæc verba, contrariorum quæ accidentia sunt. Sunt enim & substātiarum differentiæ, per quas genera dividuntur,contrariæ &c. Unum colligo in substantiis quoque ipsis contrarietatem reperiri, quod cū dialecticorum pronunciato manifeste pugnat. Certe enim differētię illę,per quas genera dividūtur,si εἰδοποιὰ sunt,sive specificæ erūt, & ipsæ erunt substantiæ. Quomodo igitur contrariæ? Confirmas etiam tuā sententiā Aristotelis autoritate,qui neget,omnibus in genere relatione contentis,quæ nimirum, extreme opposita sint,(de talibus enim nunc sermo nobis est)accidere medium. Videtur autem hoc τὸ ἐν ἀρχῇ λαβεῖν.Nam cùm hoc fieri non possit,aut debeat,in præsentia quæritur. Sumitur igitur quæsitum pro confesso. Hoc ipsum nunquam est, quod quæro,quomodo extrema quædam, & invicē sibi quàm longissimè opposita esse possint,quæ medium tamen nullum habeant? Sub finem epistolæ asseris: Inter habitus contrarios

medium seu gradus nullos esse. At ego non de habitibus, neque contrariis, sed de habitu & privatione extreme invicem sibi opositis. Attuli enim exemplum, si recte recordor, de vita & morte. Et tu ipse quoque de sanitate & morbo, hac occasione copiose disputasti: Vide igitur num respōsio tua sic quoq; locū habeat, ut quæ de habitibus dixisti, etiam de privatione opposita, quæ nihil revera positivum est, verificari possint. Scriptum de cometa tuum diligenter perlegi, ac re ipsa comperi minus profanitatis habere, quàm plerique male feriati illi attribuant. Fundamentis tuis, quæ ex rationum momentis accurate deduxisti, non invitus assentior. Miror tamen te de altero quoque κριτηρίῳ, experientia nempe, seu asseverando, seu refutando nihil, nisi obiter alicubi, in medium attulisse. Et videtur tamen illa locum in iis merito habere, quæ sub sensus cadunt, & observationibus multorum singularium constant. Etsi autem plerumque imbecillis est ejusmodi probatio, quæ ab experientia nuda ducitur, non tamen prorsus repudianda est, cum quàm varie illa impediri possit, aut turbari prudentes norint. Sed nimis latus se campus aperit, si de hoc quoque argumento nunc tecum conferre velim, quod fortasse commodius alio fiet tempore. Bene vale. Postridie Pentecostes, Anno 1579.

D. Tho-

D. Thomæ Erasto, &c. Petrus Monavius Med. S. D.

DE rubeæ radice recens mihi cum quodam lis fuit, quibusnam ea scilicet viribus polleret, cum Diosc. Gal. Plinius, & alij veteres jam menses & urinas ciere, sangvinem prolicere, & eundem collectum validè discutere, ob caliditatem hauddubie & substantiæ tenuitatem asserunt. Inter recentiores autem Dodonæus in purgantium historia frigidam potius, siccamque statuat, ac quibusdam experimentis confirmet. Quamobrem quid tibi de ejus facultatibus cognitum & exploratum sit valde scire cupio. Quin alterum etiam illud, si adversum non est, adjicias, quid tibi de balneo, ut sic appellem, formiculari videatur. Eo n. apud nos frequenter uti solent, in resolutionibus, torpore, aliisue nervorum debilitatibus, ita ut myrmecium, id est, formicarum vivarum agmen sumant, in saccum condant, atque iis decoctis affusa aqua in sufficienti copia balneum parent, in quo æger lavet. Haud scio an apud ullum veterum de hoc scriptum extet aliquid. Itaque tantò lubentius ex te num cum ratione ejusmodi lotio administrari possit, perdiscere desidero, Vale 18. Aug. Anno 1579.

D. *Thomæ Erasto, &c. Petrus Monavius Med. S.D.*

IAMDUDUM tuas illas, mense septembri datas, accepi, sed respondere nolui, quo ad hic præsens tabellarius, quem in dies singulos expectabam, rediret. Is alias etiam abs te mihi attulit, quibus utrisque nunc satisfacere conabor. De rhabarbaro quid conclusum velis denique adhuc ambigo. Ponis sub initium literarum tuarum hæc verba: Res quaslibet opere & potentia definiendas esse, & eorum veritatem multis in medium adductis Aristotelis & Galeni testimoniis comprobas. Sane nec ego temere contra illa, quæ suo loco recte conceduntur pugnavero, sed saltem mihi declarari interim rogarim, quale nam opus, & qualem potentiam intelligas. Vt enim in oblata hypothesi persistamus: Et quando legitimum & verum esse rhabarbarum pronunciabis? Cùm, inquies, opus suum ad quod, à natura productum est, aget. At quodnam opus obsecro, vitale ne, seu, ut sic appellem, formale, an naturale, & temperamentale, hoc est, an cum vita & anima præditum nutrietur, & augebitur? An verò cum utraque spoliatum, & intra corpora assumptum, bilem expurgabit? Si prius affirmas, definitionem aut descriptionem hujus radicis, quæ nimirum λόγος est τῆς οὐσίας, tibi opponam,

ponam, in qua præcipuo loco ponitur, quod bilem, seu trahendi, seu evacuandi potestatem obtineat, id quod, nisi fallor, vivum & terræ matri insitum nunquam præstat: sin posterius asseris, vide ne tibi ipsi adverseris, dum ita loqueris. Evidenter, ut arbitror, probavi cum Aristotele me locutum, quando tibi respondens scripsi rhabarbarum in officinis esse verum rhabarbarum. Quia opus cujus causa à natura factũ est, facere amplius non possit; sed rhabarbari veri cadaver, & quæ sequuntur. Valdè ego hîc dubito, an non præcipuum opus, cujus causa à natura rhabarbarum factum est, sit biliosi humoris in corporibus humanis expurgatio: cùm quidem liquidò constet. Res omnes non tam per se, quàm propter hominem, & ad hujus usum atque emolumentum à præpotenti DEO principiò creatas. Deinde in mentem venit quærere cur, verbi gratia, homo mortuus non amplius dicatur homo, nisi ὁμωνύμως. Rhabarbarum autem mortuum, tum demum verè & propriè sic nuncupetur. Quæ hic est diversitas, quæ dissimilitudo? Utrobique certè forma, seu anima qua vivebant, ablata est? Quid verò tandem philosophis etiam respondebimus, dum illud perpetuò esse volunt, ut à forma res quælibet tum essentiam, tum etiam nomen ipsum adipiscatur? Quin imò exempla quæ prætereà adducis, non per omnia convenire videntur. Manus enim & oculi

partes duntaxat sunt, sive organa sui, ut ita appellem, principalis. Raved autem substantia est per se subsistens, & consistens, quæque ad nullam aliam refertur, operum seu operationum appellatione potentiam ipsam, à qua emanant, includi debere lubenter assentior. Memor enim sum logicæ illius regulæ, qua dicitur: verba in definitionibus non semper de actu, sed sæpè etiam de potentia esse intelligenda, utpotè cum homini proprium esse ajunt, videre, non quidem semper, τῇ ἐνεργείᾳ, sed duntaxat τῇ δυνάμει, quæ cæteris brutis nequaquam concessa est. Metallis & lapidibus vitam omnem denuò aufers. Neque ego hanc, tot invitis philosophis, in solidum illis reponere ausim. Persuadent tamen multa indicia, ut obscuram vitæ imaginem ipsis inesse suspicer. Certè enim quodammodo crescere & augeri apparent, non uno in loco tantùm, sicuti fit in accumulatione à materia extrinsecus accedente, agglutinataque, sed in omnibus undique partibus. Habent item sua maturationi destinata tempora, excrementa ab se recipiunt, efflorescentias emittunt, & denique in intimo sui, metallica præsertim, ceu fontem hujus nondum planè vitalis facultatis repositum habent, quod fortasse Arist. si diligentius considerasset cordi ἀνάλογόν τι, quale in isto genere dari potest dixisset: Humanitatem æque ut genus, speciem, prædicabile &c. νόημα esse ais intellectus nostri, cui

cui res nulla extra mentem respondeat. Ego verò ut de vocabulis secundæ intentionis, ita enim in scholis nuncupantur, illud facile concessero, ita haud scio an etiam ad cætera, quæ primæ intentionis nominant, idem accommodari rectè possit. Probandum igitur fuerit in censu illo humanitatis vocem similiter contineri. Quod ad totius substantiæ morbos attinet, etsi in summa rei tecum planè facio, nequaquam tamen displicet peculiare nomen illis affectibus assignari, in quibus secundum Hippoc. θεῖόν τι animadvertitur, ut nimirum, simplicibus temperiei vitiis facilius discernantur, & majori postea cura & diligentia depellantur. Hac intentione si quis illos totius substantiæ morbos appellare velit, non opinor valdè erraverit. De contrariis mediis, medióque carentibus non reprehensurum te significas explicationem meam, si modo medium illud subjectum (de quo loquor) possit inveniri. Atqui idcircò, quod reperiri nullo modo queat, contraria ἄμεσα dari dixi, & non alia de causa. Unde in hac solutione difficultas amplius haud latet. In mediis enim contrariis facilè invenitur corpus subjectum, quod, exempli gratia, nec album sit, nec nigrum, sed si ita res ferat, viride aut purpureum. Nullum autem omnino corpus, sed potius animal datur uspiam, quod neque vivum sit, neque mortuum. Vides igitur meam sententiam hactenus ever-

ſam non eſſe,etſi tuam etiam nequaquam rejicio. Cometam tuum non contemnenda appendice ad auctum & locupletatū denuo prodire lubenter cognovi,idq; tantò magis, quod Marcelli Squarcilupi, ingenioſi hominis, sed non ſemper philoſophica conſtantia præditi,opiniones quaſdam mirificas in eo refellere conſtituiſti. Unum hoc in multis hujus farinæ ſcriptis deſidero,quod rem tam amplam, & adeo latè patentem ſuis finibus & limitibus non ita, ut æquum erat,diſterminant. Cùm enim de cometarum ortu,ac potiſſimum ſignificationibus tractare in animum inducant, meminiſſe debebant,ex diverſis fundamentis atque principiis diverſimodè quoque de hoc toto negotio diſſeri poſſe. Aliter enim & effectus alios haud dubiè ex crinitis iſtis cometis præſagiet theologus,alios phyſicus,alios denique mathematicus ſeu aſtrologus,quorum quiſque ad ſuæ ſcientiæ præſcripta de hoc ſeu meteoro, ſeu portento, diſputabit & vaticinabitur. Quod ſi diſcrimen iſtud obſervatum non fuerit, non tantum tranſitum eum,quem Ariſt. in Analyticis vitioſum eſſe inquit,in ſciẽtiis committimus: verùm etiã & nos & alios erroribus atque confuſionibus multiplicibus implicabimus. Præterea nunquam deerunt argumenta adverſariis, quibus nos & oppugnare, & expugnare poterunt, dum quæ theologicè, aut mathematicè dicuntur,ex harum nempe ſcientiarum principiis

cipiis propriis deducta ea physicè interpretari volunt, & contra. Theses tuas de nutritione per humores corporis nostri diligenter perlegi. Nescio tamen quomodo obscuriores visæ sunt, quod non diserte explicarent, de quibus humoribus, & quomodo affectis potissimũ loquereris. Sangvinem enim solum corporis nostri partes vere alere aliquoties affirmas. Bilis vero & succus melancholicus excrementa tibi duntaxat sunt. At ubinam sangvis ille in corpore etiam integre sano reperitur, qui ab utraque bile, & pituita exquisite separatus sit? sola, ut puto, imaginatione datur, non autem reipsa. Quomodo igitur τῷ ὄντι nutriet? Sangvis certe qui ex venis etiam perfecte sanorum effluit, humorum omnium indicia, & signa manifeste commonstrant. Est enim in eo pars serosa & lenta, quæ pituitæ respondet, est alia crassior & terrestris, quæ melancholiæ, tenuior alia floris in morem, quæ bili, denique purissima harum omnium, & quoad substantiam & qualitatem maxime temperata, quæ sangvinis denominationem κατ' ἐξοχὴν sortitur. Quemadmodum antea tota hæc massa χυμικῶς nuncupabatur. Videris vero tu etiam has omnes partes inter se quidem distinctas, universim vero sangvini in venis commixtas admittere, nisi quod priscarum appellationum tanquam minus exquisitarum, quæ tamen vulgo innotescũt, ipsismet adimis. Ita fortasse in vocib. major

lis erit, quam in rebus ipsis. Nemo enim puto tam longe à recta ratione aberrabit, ut statuat bilem flavam illam, quæ in vesicula continetur, ipsum nempe fel, aut succum atrum è sangvinis massa jam tùm secretum, cum ea rursus commisceri, & ad nutriendum certas partes, seu sanas, seu ægras in corpus distribui. Hoc sane idem prorsus esset, ac si quis diceret, vel feces alui, vel strigmenta, & sordes cutis corpus alere debere. Sicut enim hæc primæ & ultimæ coctionis excrementa sunt inutilia: ita illa similiter mediæ, quæ in epate celebratur. Alia ratio humorum quatuor, quæ inseparabili modo in unam massam coeunt, & in vasis, cùm majoribus, in omne corpus deferuntur. In quarta parte Antiparacels. disputat. pag. 212. Ais chalybem & ferrum lienes & alia viscera efficaciter deobstruere. Velim igitur scire, qua ratione & methodo illa tum præparari, tum exhiberi solent. Vix enim arbitror re ignis opera eam ad rem utî, cum in eodem libro pag. 306. diserte affirmes, Metallorum pulveres, olea, aquas, spiritus, &c. hoc omnia vehementium ignium ut confecta, & intra corpus sumta, vel non prodesse, vel maximopere obesse. Quem autem alibi lapidem sabulosum appellas, aut secundum Gesnerum, ψαμμόστον, seu ψαμμόλιθον, quæso significes an sit osteocolla, vulgo dicta, aut is lapis, cujus Matthiolus in cap. de morochtho pluribus verbis meminit.

Suspi-

Suspicor enim dum effectus inter se confero, eundem esse. Ad nos sanè, quod sciam, non defertur. Quòd si igitur ejus copiam penes te haberes, rem mihi gratissimam faceres, si illius frustra aliquot ad me cum tabellione isto Basileam revertente transmitteres, & simul rationem & modū illius utēdi breviter indicares. De precio portionis facilè transigetur, & conabor ut par pari referam. Vale. 17. Decembris. Anno 1579. excurrente.

D. Theodoro Zuingero, Medico Basiliensi, &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

MERITO amo te, mi præstantissime Zuingere, quòd de scopo nostro tam accuratè, tamque fideliter mihi satis feceris. Etsi enim summam curationis nequaquam in eo positam esse scio, ut symptomata duntaxat depellantur: tanta tamen sæpenumero est ægrotum morositas & importunitas, in hisce locis præsertim, ut medicum vel invitum, rationali illa, quæ ex methodi legibus instituitur, seposita, palliativa, quam ita nuncupant, cura uti cogant. Eo namque ingenio sunt multi, ut nisi ab initio statim, doloris & aliarum molestiarum de quibus potissimum quiritant, levatio afferatur, postea auxilium aliud nullum admittant, aut saltem artifice dogmatico repudiato, alios accersant medicastros & agyrtas, qui magnificis promissis omnia complent & veluti fascino

imperitorum animos sui juris efficiunt. Præstans verò tuum Nepenthes inprimis est, ad id quod in præsentia quærimus consequendum, ita quidē ut vix ulli hac in parte pharmaco cedat. Quapropter te autore illud libenter amplector, quamvis multis de causis illud mihi ante a suspectum fuerit, nec fortasse immerito, quod tam variæ & inter se discrepantes præparationes illius passim exstarent, ex quibus probatæ fidei aliquam eligere difficile fuit. A D. Laurentio Scholzio, cive meo, particulam illius me impetraturum confido, quam ille eo ipso in loco sibi comparavit, quem tu in superioribus literis mihi quoque nominaveras. Neque te dubitare volo, adhibiturum me cautionem & circumspectionem illam in usu ejus, quam tute præscribis, & res ipsa per se exigit. De catholico etiam magna cura liberatus sum, postquam tu nebulas illas, quæ visui meo imbecilli effundebantur, responsionis tuæ luce tam apertè discussisti. Satis apparet mite esse & blandum: neque tanto impetu agere, ut humores ad partem aliquam corporis ex imo ejus præcipitet. Itaque nec in catarrhis, aut in arthritide timendum venit. Puto eò præcipuè directum esse, ut pharmaci blandè purgantis penetrationem adjuvet, ac simul paulatim humorem in membris, aut artubus collectam, siccando absumat. Unde etiā cordicem ipsum potius, quam lignum sumere primo illius Autori placuit. Sed evidentissimum huic rei testimoni-

um perhibere poterit ipsa experientia, a qua minus præsidij petere hactenus licuit. Ubi tamen sese occasio offeret, κώπυχ[illegible] paratum exhibiturus sum. Mirum certe ingenium est naturæ, quædam ita occultantis, ut si in apertum proferantur, & sine discrimine quibusvis communicentur, & præsertim τοῖς οὐ μεμνημένοις, minus postea efficaciæ & virium habeant. Id igitur ne fiat à nobis quoque cavebitur in præsentia. De succo absinthij idem profecto mihi etiam in mentem venit, accuratius rem perpendenti quod tu in medium affers. Sed hac ratione elevari mihi videbatur familiaritas illa, quā à tota substantia cū ventriculo habere dicitur, si duntaxat à terrenis partibus, in quib. detergendi & astringendi vis inest, illa dependere diceretur. Secus, ni fallor, accidit in aliis simplicibus, quæ certis corporis nostri partibus appropriata esse creduntur, utpote in betonica, ratione capitis, in cichoreo, ratione epatis, in artemisia ratione uteri, & in aliiis similiter. De his igitur tu videris. Illud interim valde placuit, quod animalium coctiones, & succos inde progenitos, ad plantas etiam, κατὰ τι & analogia quadā accomodas. Unde rerū omniū in mundo mirifica inter se harmonia elucet, in qua apprehendēda plus nimio interdū cæcutimus, cū tamen mysteria in illa lateant omnino plurima, & vix humano ingenio exhauriēda. Illud mihi dubitationē movit cū inter cætera scriberes vinum te-

ſpectu ὄπου terrei penetrare & detergere. Poſterius hoc ſanè libenter concedo, ſed quomodo terrena moles penetrationem adjuvat, & non potius impedit? Ego quidem hoc magis igneis & aereis partibus, aut aqueis, diverſa tamen ratione, acceptum referrem, niſi tu aliud in animo habueris, in cujus locum ob feſtinationẽ hoc verbi irrepſerit. Jordani libellum de nova, ut ipſe appellat, lue in Moravia nuper exorta te vidiſſe & legiſſe arbitror. Quæſo igitur quid tibi de eo videatur libere mecum cõmunica. Satis ne commodè autor dicit: Hoc veneni per inſpirationem attractum, & ita infectos fuiſſe homines? cùm tamen non omnes, qui balneum ingreſſi ſunt, ſed duntaxat phlebotomo vulneratos ideo correptos paſſim affirmet. Hæc an ſatis inter ſe conciliari poterunt? Et an non vicinior, & magis particularis uſa, in particulari nempe infectione inquirenda eſt? ſed nolo tibi ulla in parte præjudicare, à quo potius plenius inſtrui omnibus modis cupio. Scio & novi ſolertiam tuam; quæ hac quoque in parte ſi intendatur, eventu ſuo nequaquam fruſtrabitur; præſertim cùm dignus ſit, ut ego quidem arbitror, hoc vindice modus. Cupio cognoſcere, quid nunc in manibus habeas, & num Philoſophicum vel potius medicum quid mediteris. Hippocrates quidem haud ſcio an non ægrè laturus ſit, ſi abs te ſeminudus relinquatur, & nõ ea veſte, quam

illi

illi circumdare cœpisti, totus induatur & exornetur. Vide igitur ne tantum hominem tibi inimicum facias, ac in nos etiam numen male æquum postmodum immittas. Utinam Galenum Græcum ita nitidum & tersum nobis exhibeat Lalamantius, quale fuit specimen illud quod nuper publicè ostendit, ita demum veterem & incorruptam Medicinam verè revicturam cum ipsis Authoribus putarem. Sed nimis garrulus sum, & tua patientia abutor. Finem itaque scribendi faciam. Pragæ è Regia. 8. Martij. Anno 1580.

D. Ioachimo Camerario, Physico Norinbergensi, &c. Petrus Monavius. Med. S. D.

QUOD statum scholæ & urbis nostræ attinet, nescio quid nobis adversi ex vicinia lues ista infelicissima minetur. Quamvis enim, an vere pestis, nondum Medici nostri plano consenserint, dubitandum minime videtur, esse quid Epidemium; quod contagionem ejusmodi, quæ a pestis natura & conditione fortasse non adeò procul recedat, Professorum artis nostræ præcipui, Capovaccius nempe & Mercurialis hinc ante paucos dies evocati sunt, ut quoniam pestem id mali esse negant, hoc discrimine summa fide & diligentia adferant. Ex Venetis Medicis non pauci affirmant, ipsissi-

mam esse pestem, morbum eum qui jam diu urbem æduatim infestat, idcirco à curatione studio sese subtrahunt. Alii ad nostrorum potius sententiam illis oppositam deflectunt, idque his potissimum, sicuti assequor, inducti rationibus, Quòd nempe, acuti isti, atque peracuti morbi febribus malignis conjuncti ortum non ducant à causa communi, seu universali quod non indifferenter multos inficiant, sed vulgus hominum inprimis, exque his fœminas & pueros quod denique magna ex parte ij, qui infecti sunt, (si modo medicari libere ipsis concedatur) ad sanitatem redeant, sed nec principium pestis esse, eo quod jam per integrum annum, eundem cursum hæc lues tenuerit. Signa vero illa vulgaria maculas, urinas turbidas inflamationes inguinum, deliria, somnolentiam, tumores, carbones, & similia alia, minime necessario pestem sequi, & illam præsentem demonstrare, ut ita ægrotantes his symptomatibus obnoxios invisitare nondum per Dei gratiam extremi periculi rem judicare oporteat. Hæc ut ut sese habeant, (inquisitionem enim accuratiorem in Præceptorum sententias mihi haud quaquam sumo,) caute tamen omnino ambulandum statuo, ne vel gravis umbra ipsius pestis nobis noceat, eoque magis quod cùm plurimi ex Venetiarum Urbe huc sese conferant, initia quædam illius hîc quoq; gliscere incipere nonnulli subuereantur. Deum æternum

num precor,ut bene meritam pœnam, à cervicibus nostris avertere, atque exoptatam studiis requiem clementer largiri dignetur. De reliquis nihil aliud quod addã habeo, donec abs te plura scribendi materia mihi suppeditata fuerit. Vale. Patavij. 20. Junij. Anno 1576.

D. Iohanni Hermanno, Illustriss. Breg. Princip. Med. &c. Petrus Monavius, Med. S.D.

VALDE gaudeo quod ex literis tuis proximis intelligo, contagionis malum, quod ultra semestre spacium hactenus in patria grassatum est, nunc quotidie mitescere, ut tandem spes sit, omnino evaniturum. Deus simul largiatur, ut pœna ista admoniti de vitæ emendatione serio cogitemus; & nobis paternam hanc castigationem profuisse reipsa demonstremus. Gratissimum est, quod de observationibus quibusdam tuis mecum communicas, salem absinthij ipse etiam. Crato noster; 6. m. valdè commendat in libello suo, cujus exempla Francofurto nondum accepi. Magnam haud dubie vim ad inhibendam omnis generis putredinem & corruptionem habet. Dosin non assignas. Sed credo ad scrupulum unum nos recte ascendere posse, id maximum adiumentum simul adjunctum habet, quod modica

astrictione, quæ tamen penetrationem non impedit, sed potius adjuvat, viscera ventriculum inprimis roborat. In curatione inter cætera plurimum considerem Electuario Cogeleri, cujus descriptionem mihi D. Schepsius Schwidnizij communicavit, hîc valde multis utiliter exhibita fuit, præsertim robustioribus. Cæteris enim Diascordium Fracastorij magis convenisse sensi. Amuletum de Arsenico plærique aulicorum nostrorum, quamdiu infectio duravit, gesserunt. Neminem inde læsum intellexi, preterquam unum, aut forte alterum, qui & nudæ cuti apposuerunt, & sudores non exquisite detersserunt. Illis postulæ quædam, circa regionem cordis, sine tamen periculo à vi illius caustica, exortæ sunt. Soror mea, & affinis tuam fidem & industriam, quam in curandis illis adhibes, mirifice prædicant. Sed prætereà conqueritur soror, maritum quodam symptomate tentari, quod ipsi metum incutiat, nempe quod sub decubitum, priusquam in somnum inclinatur, aliquoties velut convulsorium quiddam sentiat, ita ut sinistrū crus in se contrahi videatur, & totum corpus inde tremulo motu, ceu horrore succedente affici, dolorem ait fere nullum esse: sed tamen periculi aliquid adjunctum esse, nisi mature provideatur, suspicatur. In sinistro latere, sub coxis laborem aut dolorem percipere affirmat. Ex his notis σπασμῶδές τι Affinem meum affligere, agnos-

agnoſcis facilè, itaque aut tenuem quendam & biliosſum humorem, aut etiam flatulentum quid, quod facile diſcutiatur, ad nervoſum genus deferri ſimul intelligis. Summam curationis, vel præſervationis potius ne malum procraſtinatione vires ſumat in eo conſiſtere puto, ut per intervalla blandum ſudorem promoveamus, & ea intro, quę nervoſas partes roborant, exhibeamus. Priori intentioni ſervit cornu cerui, aut terra ſigillata, aut aqua cardui benedicti, ſcabioſę, aut acetoſę propinata. Item conſerva fl. ſambuci, aut ſimilia διαφορητικά, quę ſine magno caliditatis exceſſu ſudorem provocare apta ſunt. Paretur etiam Electuarium ex conſervis & ſpeciebus, itemq; ſyrupis, qui & caput & nervoſum genus roborare creduntur, ac inde quotidie aliquid deglutiat. Hoc in genere pręcipue commendatur conſerva betonicę, florũ ſaluię, lavẽdulę, anthos, ſtœchad. item ſpecies aromatici roſati, diagalangę, Dianthos, Diamarg. calidi, & ſimilia. Syrupi quoq; ex betonica, ex ſucco cardui benedicti, ex ſcabioſa, & qui his affines ſunt. Dolor ſiniſtri lateris hypochondriacum quid recipit, ob melancholiam aſcitiam potius, quam naturalem. Itaque vinum cui meliſſa aut ſcolopendrium injectum eſſet probaretur. Si aut tumor ad ſenſum manifeſtus apparet aut obſtructionum indicia adſunt, quod facto opus ſit jam ſcies, neque hac in parte monitore eges. Quod autem

sententiam meam delineavi, in sororis, quæ id à me postulavit, gratiam feci. Tu præsens omnia rectius moderari & dirigere poteris. Quærit soror; Num iterum balneo, aliquando ex D. Woyselij præscriptione ordinato, uti possit? Constat illud ex herbis potissimum matricalibus, ut existimem ei non obfuturum. Sed tamen quia ut res ipsa postulet, immutes, non prohibeo. Cupit etiam ex me scire; Num terra sigillata Stringensis ipsi incommodet. Se enim multas jam σφαγῖδας devorasse: sicut ante hac creta, nescio quo immoderato appetitu, vesci fuit solita. Cùm tam sæpe sangvinis profluvio, uteri vitio laboret; non video cur usu illius ipsi interdicere debeam. Affirmat quoque se unguentum quoddam habere, quod annuente D. Schephio ipsi Schwidnizii agenti præscripserim, de quo similiter quærit, an nunc illo uti possit, si recte recordor, emplastrum quoddam matricale, quod unguentum Comitissæ, addita galbani parte, potissimum recipit, ei tum temporis ordinavi, quod meo judicio nunc etiam recte gestare posset, ea nimirum intentione, ut & uterus roboraretur, & astrictione quadam nimia illius laxitas corrigeretur. Hoc tamen ipsum etiam ex tuo arbitrio pendere volo. In præsentia plura addere non licet ut sororis & affinis mei valetudinem tibi commendatam habere velis, per tuam te fidem oro. Lubenter, siquid potero, commune con-

ne consulam. Sed tu summus horum consiliorum mediator esto. Conjugi atque adeò toti familiæ tuæ felicissima quæquæ precor. Pragæ Bojemorum, 11. Januar. Anno 1586. inchoante quem nobis publicè, atque privatim salutarem exopto.

D. Iohanni Hermanno &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

NON libuit hactenus otiosas & inanes ad te mittere literas, quod te magis occupatum scirem, quàm ut iis aut legendis, aut scribendis operam dare posses. Nunc verò argumentum non inidoneum de quo inter nos conferatur nactus, ex longo satis intervallo hanc ad te epistolam exarare volui. Pertinet autem id argumentum ad utriusque nostrum professionem, ut tantò minus ἀπροσδιόνυσον videri debeat. Conquestus est frater meus aliquandiu in multis literis de invaletudine sua, & quidem inprimis, quod crebris destillationibus è capite exagitaretur, & sæpè totum corpus sudoribus diffluere sentiret, ex quo corpus ipsius serosis humoribus abundare, caputque tum ab internis, tum ab externis causis repleri, facilè colligitur. Ego verò qui te Medicum optimum, & fidum illius amicum esse scirem, parcius semper respondi, atque ad tuam illum curam penè semper remisi. Vicit tamen fraternus animus,

& illius importuna solicitatio, ut tandem aliquid præscriberem, quo illi, tuo adhibito consilio, utendum esse censerem: id tibi non displicuisse scribit, nisi quod paucula quædam pro iis indicationibus, quæ præsenti, quam absenti notiores sunt, immutasse, utpote cùm in confectione mea ad species Diambræ & Diamusci, specierum Diarhodon aliquid adjecisti, haud dubie ad epatis calorem contemperandum respiciens, cujus tamen ratione ego etiam, ni fallor, species supra nominatas, in aqua rosarum, dissolui, & pulveris aromatici rosati nônihil addidi. Ad Tragæam quoque post pastum usurpandam significat te adjecisse carnes cydoniorum, corallos rubeos & pelliculas stomachorum gallinaceorum. Rectè quidem omnia, nisi quòd nimis parua quantitas eorum esse videtur, & reliquis proportione vix respôdens. Quomodo enim cujus libet horum scrupulus unus cæterorũ turbæ sit ἀνάλογ☉. Itaq; bona tua cũ pace arbitror descriptionũ retexui, ac prout illi commodam futurã existimare potui, ordinavi. Saponem etiam odoratum, & alia ad rem facientia præscribendo, quæ tamen universa tuæ censuræ libenter & meritò subjicio. Sed vix bene fraternum debitum exolueram, cùm de sororis etiam valetudine non satis firma ad me refertur, consiliumque ea in re meum expetitur, symptomata ut audio, præcipua sunt: Capitis dolor penè continuus, appe-

tentia dejecta, sitis nulla, & alvus minimè laxa. Hemicraniam illam, quasi hæreditariò à matre, quæ etiam periodico illo dolore laborare solebat, accepisse existimo. Fit autem haud dubie per consensum ventriculi, ab humore frigido, & pituitoso isthîc contento, accedente interdum stimuli loco bilioso humore, qui, cùm ad inferiora ferri, excretionemque promovere debebat, superiora petit, & vapores in caput devehit. An verò uteri etiam intemperies & mala constitutio morbum adaugeant, non habeo, quod certo affirmem: quandoquidem num τὰ καταμήνια solenter fluant, & an aliquis in iis defectus sit, ignoro. Tibi autem præsenti de his conjecturam facere perfacile fuerit. In victu plurima errata committi satis novi, intempestivis præsertim iis ientationibus & merendis, quibus nostrates assuevere. Deinde sine discrimine quoslibet cibos, qui palato illius arrident, ingerere solet, sæpe etiam cum natura ad dejectionem sollicitat, vi alvum comprimit, saltem ne, etiam non magni momenti negotia intermittere cogatur. Quod quàm sit noxium, optime nosti. Quamobrem ante omnia maxime necessarium esse duco, ut certa diæta, sive victus ratio ordinetur, illique intempestiva ista, jentacula, & merendæ interdicantur, præterea non tantùm illos cibos fugiat qui pituitosum humorem, atque lentum & viscosum gignunt; sed etiam qui acrimoniæ sunt participes, & in

ventriculo facile corrumpuntur. Unde postea halituum copia provenit, qui sursum elati caput turbant. In potu malim vino albo tenui & Rhenano uteretur, quã cerevisia nostrate, quæ crassos de sese fumos edit, & minime est diuretica. Quantũ ad medicamenta attinet, etsi eã ab his naturaliter abhorrere novi, fortasse tamen talis quædam ratio institui posset, ut quam minima cum molestia illis uteretur. Post lenitam itaque alvum ex infusione fol. senæ & rhabarbari cum syrupo rosaceo solutivo, proximum esset dispicere: num venæ sectio in parva quantitate illi conveniret. Ego quidem an unquam illam admiserit nescio. Si non necessaria esse videbitur, ac illa etiam plane repugnet, proximum esset ad præparationem humorum accedere, qui incisione & attenuatione egent. Suaderem igitur oxymel cum aqua cinnamomi eligendum, itemque syrupum de succo cardui & betonicæ, & in decoctione radicum cichorij, feniculi, herbarum betonicæ, capillor. Veneris borrag. cum drachmis duabus aut tribus calam. aromatici, aut illius loco semen anisi, & feniculi tantundem, syrupos illos dissolvendos, qui si ab iis, quæ in pharmacopolio parantur nauseam concipiat, species supra nominatæ concisæ illi dentur, ut ipsa eas in brodio aliquo gallinæ, aut carnis vitulinæ decoquat, & deinceps syruporum ad duo, aut summum tria cochlearia admisceat, sicque per triduum, aut quatri-

quatriduum manè tribus ante prandium horis utatur. Sic enim facilius assensurum spero, cùm absque hoc, ut ante dixi, matutinis jusculis assueta sit. Finitis istis potionibus purgante aliquo pharmaco utatur, inter quæ, ut ego pinor, Catapotia lubentissimè deglutiet, cum succo aliquo, quem ipsa appetet, aut melle rosato, quod domi parare solet. Ut ligni usum admittat, vix puto adduci posse. Alioquin non dissuaderem illius potum, saltem secundarium, per dies quatuordecim aut quindecim. Cæterùm ne materia denuò in ventriculo, aut primis illis viis colligatur, saluberrimum fore considerem singulis septimanis bis vel ter dimidiata hora ante cœnam sumere sex, vel septem pillulas de aloe rosata, quę & ventriculi sentinam expurgarent, & cæteris etiam partibus nō molestæ essent, neq; vim illam, etiā crebrò repetitę, corpori afferrent, ut taceā mensiū retentionē, nos hac ratione præcavere posse. Si pillulas istas tam crebro sumere nolit, posset interdum ad ciendum alvum illi exhiberi drachma una pulveris senæ Montagnanæ, in cerevisia calefacta manè, quàm admodum lubenter bibit, ita fortasse promptius sumeret. Præterea bis in mense pillulas de succino præstantissimas in tali casu post primum somnum assumeret. Prodessent etiam lotiones pedum manè factæ ex decocto betonicæ & chamomillæ, item frictio-

nes ſcapularum, brachiorum atque dorſi, derivationis gratia. Denique capitis quoque lotiones ante cœnam, cùm ſe liberiori aëri non amplius exponit, decocta in lixivio raſura Guajaci, & una atque altera drachma agarici, ac ſimilibus aliis, in quibus illam tuo judicio niti volo. Hæc autem ideo tantum ſcripſi, ut illius & affinis voluntati ſatisfacerem, non quod te meis monitis, aut ſubjectionibus indigere putarem. Veniam igitur dabis meæ ſupervacaneæ ſolicitudini, & tuo conſilio, atque fideli opera afflictæ ſororis valetudini ſuccurres; quod & maritus ipſius debito honorario compenſare ſtudebit; & ego meo quoque loco promereri conabor. Libellum de lino feniculato ſive ſaſſafras te accepiſſe puto, aliorum potius impulſu, quàm mea ſponte ad publicationem illius acceſſi, quamquam neque autor ſim, neque etiam tranſlator, ſed duntaxat depravatæ verſionis in locis quibuſdam corrector. In definienda decoctions prioris quantitate haud dubie aberratum eſt. Pro ſemuncia lingi omnino ſufficit, ſi libræ aquæ quinque, aut duo noſtrates ſextarij (*zwey Breslische Quart*) ſumantur, alioquin nulla ſervatur proportio. Sed de his alio inter nos conferemus tempore. Te cum omnibus tuis bene feliciterque valere ex animo precor & opto. Subjeci delineationem medicamentorum, quam tamen ex tuo judicio

immu-

immutare tibi licet. Viennæ Austriorum. 15. Maij. Anno 1583.

℞ *Fol. senæ Alexand.* ℥ v.
Rhabarb. el. ℈ ij.
Galangæ ʒ ß.
Cinnam acuti ℈ j.

Infund. in s.q. aquæ cichorii & betonicæ per noctem, manè fiat iterum levis ebullitio, & expressio, de qua sume ℥ iij Syrupi rosati solutivi ℥ j. Mannæ Calabrinæ ʒ ß.

Brodij zinziberis ℥ j.

Misc. f. Haustus lenitivus sumendus in aurora.

℞ *Oxymell. simpl. cum aq. cinnam.* ℥ iij.
Syrupi de succo cardui.
De menthæ an. ℥ j.
Extract. calam. arom. ℈ j. Misc.
Distribuatur in quatuor vices.

℞ *Massæ pill. aggreg.* ʒ ß.
Cochiar.
Aurear. a. ℈ j.

Cum syrup. de absinthio formentur pill. num. x j.

℞ *Aloes rosatæ* ʒ j ß.
Specier. el. de gemmis ʒ ß.

Cum syrupo rosato solutivo, reformentur pillulæ pro qualibet drachma xxj. Assumat septem vel novem hora dimidia ante cœnam.

℞ *Pul. succini albi.*
Mastich. an. ℥ j.

Aloës succo citrin. ℥ijß.
Agaric. ℈ij.
Aristoloch. rotund. veræ ℈ j.
Cum syr. de succo betonicæ q.s. f. massa, detur drachma una pro vice.

D. Iohanni Hermanno, &c. Petrus Monavius, Med. S. D.

GRATISSIMAM mihi rem fecisti, quod quædam liberalissimè mecum communicasti, quæ in pestifera lue, nuperrimè apud vos grassante, utilia & proficere expertus es. Cùm præsertim pleraque ratione munita sint, ne temerario ausu hæc aut illa usurpasse videaris. Salem absinthii te autore, nunc tantò magis in precio habebo, siquidem in aliis etiam morbis, ubi penetrationem, cum quadam adstrictione quærimus locum habet. Latet ἐμπύρευμα in cineribus illis magis impressum, quàm vel in aquis, vel in oleis artificiosa destillatione elicitis. Cogeleri electuarium certum est non omnibus pariter prodesse, siquidem zinziberis caliditas in nonnullis corporibus suspecta est, & præterea camphora caput ferire solet gravius. Diascordium Fracastorei non ita operosam præparationem requirit. Composui hîc, dum proxima contagio nobis metum injiceret, theriacam quandam, quam Germanorum nuncupavi, cujus libras jam multas pharmacopœus meus

meus divendidit. Si voles de illa alia aliquid lubentissimè transmittam, imo etiam descriptionem communicabo, ut de ea judicium ex arte ferre possis. Alioqui nullus eam alius vidit hactenus. Constat ex iis potissimum, quæ apud nos pura & sincera reperiri possunt, neque minorem vim in venenis extinguendis possident, atque exotica, & ab extremis Indiis huc importata, ut taceam, quod minoris vendi possit, quod Venetam non omnes persolvere valeant. Amuleta minimè rejicio, & videor mihi usum eorum præsensisse maximum. Droethi libellus qualis sit nescio. Sed potes de hydrargyro ex collo appenso inspicere libellum doctissimum D. Iac. Theodori medici Wormatiensis de peste, ubi varia etiam experimenta affert. Arsenicum seu sacculum inde confectum appendi pluribus ducentis, aut trecentis, vix unum aut alterum inde læsum memini, ex iis scilicet, qui bus immediatè cordis regioni applicuerunt, & sudores copiosos non deterserunt. Sed tamen in his quoque pustulas duntaxat quasdam vi manifesta excitavit, quæ & ipsæ postea evanuerunt. Legas de hoc aliquid in assertione Dn. Cratonis 6.m.pag.53. & 54. Mitto exemplum libelli, qui superioribus diebus primum appulit, & ut eum gratum habere velis oro. De affine & sorore quomodo cura procedat ex te cognoscere mire desidero. Cætera in aliud tempus reservo. Vale. Pragæ, 15. Febr. Anno 1586.

D. Iohanni Hermanno Med. D. Petrus Monavius Med. S. D.

MITTO tibi epiſtolam vivam, fratrem meum, qui facilè, quod ſcriptioni decedit, coram complere poterit. Sed tamen peculiariter affinis mei mentionem facere oportet, de quo jam ſæpius apud me conqueritur ſoror noſtra, & ſymptomata illa timoris plena, augeri ſignificat. Ad Thermas, quas te ſuadere audio, ita illotis manibus accedere haud judicarim eſſe conveniens; præſertim cùm à natura epatis conſtitutionem juſto calidiorem obtineat, & à billioſis & mordacibus humoribus ſæpe infeſtetur. Ego ne meũ officium neglexiſſe videar, medicamẽta hîc ſingulari cũ diligentia parata trãſmitto; quæ tamen tuo judicio adminiſtrari, & exhiberi volo, verum ut ante omnia hoc vernali tempore corpus expurgetur, & ſangvis in mediocri copia emittatur. Inter cætera electuarium quoddam ex ſuccis herbarum inſpiſſatis, additis pulveribus & ſpeciebus accommodatis ordinavi, de quo præſervationis gratia quotidiè, aut ſaltem alternis diebus ſumere poteſt aliquid, mane ad drachmæ, aut ſeſquidrachmæ pondus; veſperi cubitum iturus paulo minus. Senſi illud valde efficax in hujuſmodi capitis & nervorum affectionibus. Confectio in totulis conſtat ex oleo carvi, aniſi, feniculi, nucis

Muſ-

Muscatæ, maceris, cum extracto galangæ & xylo aloes admodum delicata, quæ eidem intentioni servit. Postea est Tragæa quædam post cibum sumenda, ad prohibitionem evaporationis ad caput, sicut te etiam in usu habere memini. Aqua illa articulari, quæ *Glud-Wasser* insignita est, manus & pedes tremulos perfricare potest. Est autem ea ipsa aqua, quam Illustrissimi Electoris Augusti conjunx, usurpare consuevit, & cujus descriptionem à Mag. Domino Eylenbeccio accepi. Nisi illam ante habes, haud invitus tecum communem faciam. Passulæ laxativæ ad subducendam blande alvum faciunt: ita ut duo circiter cochlearia semihora ante prandium sumantur. Si cupis horum omnium formulas ad te lubenter missurus sum. In præsentia habes theriacæ nostræ, quam Germanorum vocare soleo, aliquid, & simul, si quidem ita vis, descriptionem illius. Quam ea lege & conditione accipies, ut pro te serves, & tuum mihi de illa judicium significes. Jam plures libras de illa pharmacopœus vendidit. Plebeij ferè nihil aliud in ea, quàm colorem minus atrum accusant. Sed hic etiam illi conciliari non difficulter potest, sive chalcitide, sive alio quodam atrificante admixto. Tuam ut mihi sententiam liberrimè indices rogo & obtestor. Paulò pòst novum, ut loquuntur, dispensabit pharmacopœus, ubi etiam ex tuo judicio,

quædam adjicere, aut detrahere potero. Unguētum istud apoplecticum, quæso an cum vestro, quod ist hic parari solet, conveniat vide. Iussi hic parari ad vestri commodationem. An in omnibus assecutus sim nescio. In basi, quæ est oleum nucis muscatæ expressum, me non aberrasse existimo. Reliqua pro arbitrio adjici possunt. De cæteris aliàs. Bene & feliciter vale cum tuis omnibus. Pragæ Bohemorum, 8. April. Anno salutiferi partus 1586.

Descriptio Theriacæ Germanorum.

℞ *Rad. angelicæ.*
Gentianæ.
Zedoariæ.
Tormentillæ.
Diptami Cretici.
Pimpinellæ.
Valerianæ.
Ostrucij.
Morsus Diaboli.
Aristolochiæ rotundæ.
Rad. Asari.
Serpentariæ.
Levistici.
Cardopatiæ.
Petasitid.
Pentaphyll. an. ℥ iij.

Herb.

Herb.scordij.
Chamædryos.
Betonicæ.
Rutæ.
Card.benedict.
Galangæ.
Centaurij an, ʒ ß.
Fl. calendulæ.
Lavendulæ.
Anthos.
Sem.citri.
Acetos.
Napi.
Ammi.
*Baccar.lauri.*a. ʒ iij.
Boli armen.præpar.
Terræ sigillatæ.
Cornu cervi usti præpar. an. ʒj.
Croci.
Maceris.
Macropipe.
Mastich.
Thuris.
Santal.omnium an. ʒ ij ß.
Myrrhæ elect.
Fl.sulphuris.
Camphoræ an. ʒ vj.
Opij thebaici ℈ iiij.

Castorei.
Euphorbij a. ʒ j.
Rhapontic. veri ℥ j.
Cinnam el.
Cortic. citri.
Arantiorum an. ℥ ß.
Nucum juglandium excortic.
Ficuum per cribrum transmiss. an. ℥ iij.
Succi card. bened.
Veronicæ.
Verbenæ.
Scabiosæ.
Scordij.
Rutæ.
Saluiæ.
Acetos.
Borrag.
Melissæ an. ℥ ij.
Olei vitrioli ʒ j.
Specier. Diamargarit. frigid.
Calid.
De gemmis frig.
Calidis a. ʒ j ß.
Cordial. temperator. ʒ ij.
Diambra.
Diamusci dulcis. an. ʒ j.
Theriac. Andromachi ℥ iiij.
Mithrid. el.
Elect. de ovo an. ℥ ij.

Dias-

Diascordij ℥j ß.
Extracti Angelicæ ʒ ß.
Salis absinth. ʒ j.
Vini odorati ℔.ij ß.
Mellis opt. despumati ℔.xij.

Exquisite commisceantur omnia ad formam opiatæ.

Iohanni Hermanno Med. D. Petrus Monavius Med. S. D.

QUONIAM proximis superioribus diebus communis noster amicus Dominus Daniel Preussius, in suis ad me conquestus est, conjugem suam gravissime à febre quartana isthic exerceri, & ea in re consilium & auxilium meum imploravit, non potui aut debui aliter facere, quin in ipsius gratiam meam qualemcunque sententiã tibi, qui valetudini illius præfectus es, aperirẽ, non equidem tuæ doctrinæ, peritę, prudentiæ, aut fidei, vel tantillum diffidens, sed duntaxat, ut meum illi gratificandi studium quoquo modo testatum facerem. Quàm autem morbus hîc diligentem & operosam curam, utpote sua natura perlongus, & cujus brevissimus terminus trium mensium spacio circumscribitur, requirat, quo præsertim magis versus hyemem vergit, ipse nosti melius. For-

te etiam adhuc primum tempus, sive principium, nondum superavit, id quod ex coctionis rudimento, si quod apparet, cognoscere licet. Venæ sectionem, etsi in ipsa ægra multum pituitosi humoris abundet, non planè negligendam putarim, idque è sinistro brachio: nec desunt Practici, qui satius putant nonnihil procedente morbo, quàm statim ab initio illam administrare. De humorum præparatione & attenuatione paulatim procuranda, non opus est, me quicquam memorem monere. Dominus Crato noster inter cætera valdè decoctum radicum Eringij in tali causa approbat, sicuti, ubi humor melancholicus ex adustione est, raparum decoctum. Evacuationes sæpe repetendas, & posteriore quietis die, cùm materia jam per se moveri incipit, magis exhibendas, ipse nosti. Si horror aut frigus magnum est, theriacæ usum, suo tempore datam, plurimùm laudarim. Verùm cùm vulgaria hæc, veluti artifex, per te memoria teneas, unum solummodò subjicere libet, quod ab amico ceu secretum quid accepi, & in multis casibus non inutile deprehendi: sumatur cor leporis, & eo modo, quo pulmo vulpis solet, præparetur, postea in pulverem redactum, atque in tres æquales portiones divisum, tribus vicibus exhibeatur, hora una, aut circiter, ante invasionem, vino albo, aut alio conveni-

venienti liquore dissolutum. Vide ego semel atque iterum post hujus amuleti assumptionem, febrem deinceps non magis apparuisse, aut saltem paulatim evanuisse. Verùm hoc non statim ab initio morbi, sed ubi jam manifesta coctionis signa apparent, faciendum est. Volui hoc ipsum, quod hactenus in secretis habui, tecum commune facere, ut uterque pro viribus amico nostro, qui in valetudine cõjugis plurimùm afficitur, succurramus. Deus faxit, ut media ista non sine fructu abeant, & ægra quam primùm melius habere incipiat. Vale. Pragæ Bojemorum. 9. Novembr. Anno 1586.

Iohanni Hermanno Med. D. Petrus Monavius Med. S. D.

TUAM in scribendo raritatem & infrequentiam si accusare velim: ipse me multò accusem justius, quando nec provectioris adhuc ætatis onere premor, neque etiam fortè tam multis, ut tu occupationibus distractus sum. Fit tamen nescio quomodo, ut invitus admodum ad hoc literarium officij genus accedam atque ubi semel calamum in manus sumpsi, pene, ut de musicis suis Horatius ait, non minus ægrè desinere queam. Debeo sanè adhuc tuis satis prolixis, quæ mense, ni fallor, Julio exaratæ sunt,

si quæ tamen in illis capita responsionē accelerari postulabant, de iis per fratrem dudum tecum egi, cujus valetudinem nunc meliore paulò loco esse, quàm antè, ex te, & illo intellexi, lubentissimè. Si plusculum interdum corpus exerceret, eque cavea sua in publicum prodiret, multò minus haud dubiè excrementiciorum humorum, quæ materia catarrhi sunt proxima, colligeret. Hoc autem dum non fit, natura sponte sua illos per patentes vias, quas emunctoria nostri indigitant, expellere nititur. Pillulis sive de aloë rosata, sive alephanginis, sive etiam utrisque simul mixtis frequenter semihora ante cœnam uti velim. Hac namque ratione crudorum humorum in primis viis copia paulatim excluderetur, catarrhique causa potissima abscinderetur. Eadem intentione Tragæam quoque stomachalem suasi, tum scilicet, ut concoctio, clauso ventriculo, & exactè connivente perficeretur melius, tum etiam ut superflua humiditas hujus ope quasi absorberetur, quæ præterea usui esse videntur, tibi ut amico, & medico optimo fidissimoque dijudicanda, præscribendaque relinquo. Soror usum garyophyllati sibi plurimum profuisse apertè nuper scriptis ad me literis testata est. De alvo dura & officium suum sponte non faciente, iterum conquesta est, unde capitis dolor periodicus postea subsequi solet. Habet hoc vitium,

tum

tum ab ipsa matre, quasi hæreditario quodam jure, quæ semper fere hoc affectu laborabat, tum etiam à prava consuetudine, quod naturæ stimulanti non paret, sed potius illam cohibet, quo ad negotiola quædam, quæ in manibus habet, expedierit. Ego ne hoc faceret diligenter monui. & simul εὔπεψια, & vulgaria quædam proposui, utpote pastulas laxativas, cum foliis senæ, & syr. rosat. solut. præparatas. Senæ etiam decoctum, quod apud nos usitatissimum est, cum prunis. Item juscula nonnulla cum maluis, mercuriali, quæ ante prandium absorberet. Denique quando illam ea delectari scio, cerevisia nostra calefacta cum copioso butyro. Hæc cibis præmissa alvum lenire, mollire τῶν ἐκκοπρωτικῶν esse præclare nosti. Ad deglutienda catapotia ex aloe vix adduci poterit, quæ tamen si menses quoque non responderent, magna cum utilitate præscriberetur, ratione abstersionis & ventriculi & uteri. Verũ cũm te illam frequẽter invisere solere intelligam, plus verborum de his, quæ tibi ipsi, magis nota sunt & explorata, facere supervacaneum arbitror. Filiolum ejus quis nuper morbus abstulerit, & funere merserit acerbo, hactenus assequi non licuit. Catarrho tamen suffocante extinctum suspicor. Solet hoc affectu correptos multos, qui in extremo discrimine positi sunt & quasi semianimes liberare, & in vitam revocare D. Stromerus noster, exhibitione Diaturbith sui mineralis, à gr. ij. usque ad

ceret mihi vinum album, tenue, pauciferum, quòd & ventriculo acceptum est, neque ad caput multum exhalat. Interdum etiam aqua mulsa, cui folia salviæ, tussilaginis, capillorum veneris, aut similium herbarum incocta essent, sub vesperam præsertim, aut horam somni uti posset. An sarsæ decoctum illi præscriptum sit nescio. De venæ sectione, num ea, & quomodo conveniat, præsentem medicum judicare oportet. Quantum ad medicamenta, sunt ea in triplici ordine in hoc morbo: Evacuantia nempe, divertentia, & corroborantia. Evacuantia vel communes materias in corpore peccantes educunt, idque per secessum, vel eas, quæ in pectore continentur, per sputum & exscreationem. Horum materias cùm vos ipsi me noritis melius, indicare supervacaneum esse existimo. Illud tamen saltem monere libet, non videri mihi abs re, si interdum, (præmissis jam, quod dubio procul à vobis factum est, universalibus) sub noctem assumeret pillularum assaiaret h 31. circiter. quandoquidem & purgant simul blandissimè, & præterea etiam impetum prohibent, propter adjunctos myrobalanos. Diversio matutinis frictionibus cum pannis calidis factis, obitur. Item cucurbitulis scarificatis, & non scarificatis, in spatulis, & supra nares appositis. Si etiam vehementiora præsidia requiruntur, vesicatoriis, & cauteriis, quorum tamen necessitatem adesse nondum

dum arbitror. Roborantia tum ventriculum, tum caput, tum etiam pectus respiciunt. Huc refero confectionem aliquam magistralem, his membris dicatam. Item Tragæam stomachalem post cibum sumptum, prohibentem evaporationes in caput, præterea lotionem capitis ex idonearum herbarum decocto, in quo ʒij. aut iij. agarici maceraverint, factam, quam etiam aspersio cum aqua frigida sub extremum consequatur. Laudo quoque pulveres pro bregmate ex rosis, santalis, veronicæ, garyophyllis, thure, mastich cum pulveribus betonicæ, majoranæ florum stœchados, anthos, & similibus. Unde etiam caputia confici queunt, quæ certis odoribus & suffumigiis imbuta, tum recreant caput, tum modice exiccant, tum etiã superfluos humores absorbent, eorumque incitatum defluxum prohibent. Mane rectissime exhiberetur saccharum rosatum, cum pauculo boli; aut etiam floribus sulfuris permistum. Repurgato pectore, & abstersione humorum facta, conveniret aqua myrtillorum, quam aliqui in tali casu pro corroboratione pectoris mirifice commendant. Sed sat dictum sapienti, & cur ego noctuas Athenas? Non certe, ut aliquid vobis, Præstantissimi artifices, præscriberem, hæc recitavi, sed solummodò ne ejus voluntati refragari viderer, qui hoc tam impense à me rogavit. Ideoque etiam Dn. Reussio, me ipsius ad te non fuisse immemo-

D. Iohanni Hermanno Med. D. Petrus Monavius Med. S. D.

MItto tibi epiſtolam vivam, fratrem meũm, qui facilè, quod ſcriptioni decedit, coram complere poterit. Sed tamen peculiariter affinis mei mentionem facere oportet, de quo jam ſæpius apud me conqueritur ſoror noſtra, & ſymptomata illa timoris plena, augeri ſignificat. Ad Thermas, quas te ſuadere audio, ita illotis manibus accedere haud judicarim eſſe conveniens, præſertim cùm à natura epatis conſtitutionem juſto calidiorem obtineat; & à billoſis & mordacibus humoribus ſæpe infeſtetur. Ego ne meũ officium neglexiſſe videar, medicaměta hîc ſingulari cũ diligentia parata trăſmitto, quæ tamen tuo judicio adminiſtrari, & exhiberi volo, verum ut ante omnia hoc vernali tempore corpus expurgetur, & ſangvis in mediocri copia emittatur. Inter cætera electuarium quoddam ex ſuccis herbarum inſpiſſatis, additis pulveribus & ſpeciebus accommodatis ordinavi, de quo præſervationis gratia quotidiè, aut ſaltem alternis diebus ſumere poteſt aliquid, mane ad drachmæ, aut ſeſquidrachmæ pondus, veſperi cubitum iturus paulo minus. Senſi illud valde efficax in hujuſmodi capitis & nervorum affectionibus. Confectio in totulis conſtat ex oleo carvi, aniſi, feniculi, nucis

Muſ-

Muſcatæ, maceris, cum extracto galangæ & xylo aloes admodum delicata, quæ eidem intentioni ſervit. Poſtea eſt Tragæa quædam poſt cibum ſumenda, ad prohibitionem evaporationis ad caput, ſicut te etiam in uſu habere memini. Aqua illa articulari, quæ *Glied-Waſſer* inſignita eſt, manus & pedes tremulos perfricare poteſt. Eſt autem ea ipſa aqua, quam Illuſtriſſimi Electoris Auguſti conjunx, uſurpare conſuevit, & cujus deſcriptionem à Mag. Domino Eylenbeccio accepi. Niſi illam ante habes, haud invitus tecum communem faciam. Paſſulæ laxativæ ad ſubducendam blande alvum faciunt: ita ut duo circiter cochlearia ſemihora ante prandium ſumantur. Si cupis horum omnium formulas ad te lubenter miſſurus ſum. In præſentia habes theriacæ noſtræ, quam Germanorum vocare ſoleo, aliquid, & ſimul, ſi quidem ita vis, deſcriptionem illius. Quam ea lege & conditione accipies, ut pro te ſerves, & tuum mihi de illa judicium ſignifices. Jam plures libras de illa pharmacopœus vendidit. Plebeij ferè nihil aliud in ea, quàm colorem minus atrum accuſant. Sed hic etiam illi conciliari non difficulter poteſt, ſive chalcitide, ſive alio quodam atrificante admixto. Tuam ut mihi ſententiam liberrimè indices rogo & obteſtor. Paulò pòſt novum, ut loquuntur, diſpenſabit pharmacopœus, ubi etiam ex tuo judicio,

quædam adjicere, aut detrahere potero. Unguētum istud apoplecticum, quæso an cum vestro, quod ist hic parari solet, conveniat vide. Iussi hic parari ad vestri commodationem. An in omnibus assecutus sim nescio. In basi, quæ est oleum nucis muscatæ expressum, me non aberrasse existimo. Reliqua pro arbitrio adjici possunt. De cæteris aliâs. Bene & feliciter vale cum tuis omnibus. Pragæ Bohemorum, 8. April. Anno salutiferi partus 1586.

Descriptio Theriacæ Germanorum.

℞ *Rad. angelicæ.*
Gentianæ.
Zedoariæ.
Tormentillæ.
Diptami Cretici.
Pimpinellæ.
Valerianæ.
Ostrucij.
Morsus Diaboli.
Aristolochiæ rotundæ.
Rad. Asari.
Serpentariæ.
Levistici.
Cardopatiæ.
Petasitid.
Pentaphyll. an. ʒ iij.

Herb.

Herb.scordij.
Chamædryos.
Betonicæ.
Rutæ.
Card.benedict.
Galangæ.
Centaurij an, ℥ ß.
Fl. calendulæ.
Lavendulæ.
Anthos.
Sem.citri.
Acetos.
Napi.
Ammi.
Baccar.lauri.a. ʒ iij.
Boli armen.præpar.
Terræ sigillatæ.
Cornu cervi usti præpar. an. ℥j.
Croci.
Maceris.
Macropipe.
Mastich.
Thuris.
Santal.omnium an. ʒ ij ß.
Myrrhæ elect.
Fl.sulphuris.
Camphoræ an. ʒ vj.
Opij thebaici ℈ iiij.

Castorei.
Euphorbij a. ʒ j.
Rhapontic. veri ℥ j.
Cinnam el.
Cortic. citri.
Arantiorum an. ℥ ß.
Nucum juglandium excortic.
Ficuum per cribrum transmiss. an. ℥ iij.
Succi card. bened.
Veronicæ.
Verbenæ.
Scabiosæ.
Scordij.
Rutæ.
Saluiæ.
Acetos.
Borrag.
Melissæ an. ℥ ij.
Olei vitrioli ℥ j.
Specier. Diamargarit. frigid.
Calid.
De gemmis frig.
Calidis a. ʒ j ß.
Cordial. temperator. ʒ ij.
Diambra.
Diamusci dulcis. an. ʒ j.
Theriac. Andromachi ℥ iiij.
Mithrid. el.
Elect. de ovo an. ℥ ij.

Dias-

Diascordij ℥j ß.
Extracti Angelicæ ℥ß.
Salis absinth ℨ ij.
Vini odorati ℔.ij ß.
Mellis opt.despumati ℔.xij.

Exquisite commisceantur omnia ad formam opiatæ:

Iohanni Hermanno Med. D. Petrus Monavius Med. S. D.

QUONIAM proximis superioribus diebus communis noster amicus Dominus Daniel Preussius, in suis ad me conquestus est, conjugem suam gravissime à febre quartana isthic exerceri, & ea in re consilium & auxilium meum imploravit, non potui aut debui aliter facere, quin in ipsius gratiam meam qualemcunque sententiã tibi, qui valetudini illius præfectus es, aperirẽ, non equidem tuæ doctrinæ, peritię, prudentiæ, aut fidei, vel tantillum diffidens, sed duntaxat, ut meum illi gratificandi studium quoquo modo testatum facerem. Quàm autem morbus hîc diligentem & operosam curam, utpote sua natura perlongus, & cujus brevissimus terminus trium mensium spacio circumscribitur, requirat, quo præsertim magis versus hyemem vergit, ipse nosti melius. For-

te etiam adhuc primum tempus, ſive principium, nondum ſuperavit, id quod ex coctionis rudimento, ſi quod apparet, cognoſcere licet. Venæ ſectionem, etſi in ipſa ægra multùm pituitoſi humoris abundet, non planè negligendam putarim, idque è ſiniſtro brachio: nec deſunt Practici, qui ſatius putant nonnihil procedente morbo, quàm ſtatim ab initio illam adminiſtrare. De humorum præparatione & attenuatione paulatim procuranda, non opus eſt, me quicquam memorem monere. Dominus Crato noſter inter cætera valdè decoctum radicum Eringij in tali cauſa approbat, ſicuti, ubi humor melancholicus ex aduſtione eſt, raparum decoctum. Evacuationes ſæpe repetendas, & poſteriore quietis die, cùm materia jam per ſe moveri incipit, magis exhibendas, ipſe noſti. Si horror aut frigus magnum eſt, theriacæ uſum, ſuo tempore datam, plurimùm laudarim. Verùm cùm vulgaria hæc, veluti artifex, per te memoria teneas, unum ſolummodò ſubjicere libet, quod ab amico ceu ſecretum quid accepi, & in multis caſibus non inutile deprehendi: ſumatur cor leporis, & eo modo, quo pulmo vulpis ſolet, præparetur, poſtea in pulverem redactum, atque in tres æquales portiones diviſum, tribus vicibus exhibeatur, hora una, aut circiter, ante invaſionem, vino albo, aut alio conveni-

venienti liquore dissolutum. Vide ego semel atque iterum post hujus amuleti assumptionem, febrem deinceps non magis apparuisse, aut saltem paulatim evanuisse. Verùm hoc non statim ab initio morbi, sed ubi jam manifesta coctionis signa apparent, faciendum est. Volui hoc ipsum, quod hactenus in secretis habui, tecum commune facere, ut uterque pro viribus amico nostro, qui in valetudine cõjugis plurimùm afficitur, succurramus. Deus faxit, ut media ista non sine fructu abeant, & ægra quam primùm melius habere incipiat. Vale. Pragæ Bojemorum. 9. Novembr. Anno 1586.

Iohanni Hermanno Med. D. Petrus Monavius Med. S. D.

TUAM in scribendo raritatem & infrequentiam si accusare velim: ipse me multò accusem justius, quando nec provectioris adhuc ætatis onere premor, neque etiam fortè tam multis, ut tu occupationibus distractus sum. Fit tamen nescio quomodo, ut invitus admodum ad hoc literarium officij genus accedam atque ubi semel calamum in manus sumpsi, pene, ut de musicis suis Horatius ait, non minus ægrè desinere queam. Debeo sanè adhuc tuis satis prolixis, quæ mense, ni fallor, Julio exaratæ sunt,

si quæ tamen in illis capita responsionē accelerari postulabant, de iis per fratrem dudum tecum egi, cujus valetudinem nunc meliore paulò loco esse, quàm antè, ex te, & illo intellexi, lubentissimè. Si plusculum interdum corpus exerceret, eque cavea sua in publicum prodiret, multò minus haud dubiè excrementiciorum humorum, quæ materia catarrhi sunt proxima, colligeret. Hoc autem dum non fit, natura sponte sua illos per patentes vias, quas emunctoria nostri indigitant, expellere nititur. Pillulis sive de aloë rosata, sive alephanginis, sive etiam utrisque simul mixtis frequenter semihora ante cœnam uti velim. Hac namque ratione crudorum humorum in primis viis copia paulatim excluderetur, catarrhique causa potissima abscinderetur. Eadem intentione Tragæam quoque stomachalem suasi, tum scilicet, ut concoctio, clauso ventriculo, & exactè connivente perficeretur melius, tum etiam ut superflua humiditas hujus ope quasi absorberetur, quæ præterea usui esse videntur, tibi ut amico, & medico optimo fidissimoque dijudicanda, præscribendaque relinquo. Soror usum garyophyllati sibi plurimum profuisse apertè nuper scriptis ad me literis testata est. De alvo dura & officium suum sponte non faciente, iterum conquesta est, unde capitis dolor periodicus postea subsequi solet. Habet hoc vitium,

tum

tum ab ipsa matre, quasi hæreditario quodam jure, quæ semper fere hoc affectu laborabat, tum etiam à prava consuetudine, quod naturæ stimulanti non paret, sed potius illam cohibet, quo ad negotiola quædam, quæ in manibus habet, expedierit. Ego ne hoc faceret diligenter monui. & simul εὐπόριστα, & vulgaria quædam proposui, utpote passulas laxativas, cum foliis senæ, & syr. rosat. solut. præparatas. Senæ etiam decoctum, quod apud nos usitatissimum est, cum prunis. Item jus cula nonnulla cum maluis, mercuriali, quæ ante prandium absorberet. Denique quando illam ea delectari scio, cerevisia nostra calefacta cum copioso butyro. Hæc cibis præmissa alvum lenire, mollire τῶν ἐκκοπρωτικῶν esse præclare nosti. Ad deglutienda cataporia ex aloe vix adduci poterit, quæ tamen si menses quoque non responderent, magna cum utilitate præscriberetur, ratione absteisionis & ventriculi & uteri. Verũ cùm te illam frequẽter invisere solere intelligam, plus verborum de his, quæ tibi ipsi, magis nota sunt & explorata, facere supervacaneum arbitror. Filiolum ejus quis nuper morbus abstulerit, & funere merserit acerbo, hactenus assequi non licuit. Catarrho tamen suffocante extinctum suspicor. Solet hoc affectu correptos multos, qui in extremo discrimine positi sunt & quasi semianimes liberare, & in vitam revocare D. Stromerus noster, exhibitione Diaturbith sui mineralis, à gr. ij. usque ad

v. vel vj. Hoc enim facto mox natura irritata ingentem copiam pituitosi & lenti humoris, tum per vomitum, tùm per dejectionem exturbat, & majori oneris parte levata ad se redit. Fortasse idem etiam Galenus nostris medicamentis, puta, diagrydio, aut similibus, in debita copia assumptis, consequeremur; nisi plus justo timidi nonnunquam essemus, aut illam Coi nostri senis sententiam nobis in mentem revocaremus: Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima esse. Verum alio, quàm institueram delabor. Ligno sassafras, quod nonnulli feniculatū, odoris ratione indigitant, jam aliquoties usus sum in articulario, & aliis morbis, non sanè infelici cum profectu. Usurparetur illud multò crebrius, nisi Mercatorum obstaret avaritia, qui precium nimis augent. Venditur enim hîc lib. 1. pro 10. florenis, cùm Antuerpiæ pro duobus coronatis summum venundari audiam. Cotoneum lignum, de quo libellum editum legisti, illud ipsum est, quod vulgo ita appellatur, & de cujus pomis Diacitoniatum parari consuevit. Constat hoc non tantum ex descriptione manifestissime, sed etiam ipse autor D. Cyriacus Lucius, Ingolstadij mihi dixit, priusquam libellus publicaretur. Radix charbe, vel chabre qualis sit, plane ignoro: nec de ea vel fama nuncia, quicquam inaudivisse memini. Non adeò libenter à

certis ad incerta descendo. Νήπιος (γὰρ) ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει. Facerem sanè finem scribendi, quando tuis αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον respondi, nisi Dn: Reussius, Reipublicæ vestræ scriba apud me vehementer instaret, ut suam quoque causam apud te agerem. Habet is, ut nosti, Conjugem non satis commode valentem, cujus curæ te & D. Abrahamum hactenus præfectum fuisse audio. His ego magistris & artificibus cur obsecro, velut anser inter olores, obstreperem? Quoniam tamen omninò cupit Dn. Reussius, ut meum quoque consilium exponam, & in medium adferam, aliquid saltem dicam, ne nihil dixisse videar. Symptoma, de quo præcipue conqueritur, tussis est, matutino illam tempore maximè affligens. Hæc cum tam diu duret, à catarrho haud dubie dependet: ab initio quidem acri, salso, tenui & seroso. (unde etiam sputum sangvinis consecutum) nunc vero misto magis, ex tenui scilicet & crasso humore constante, sicut fieri in inæquali intemperie solet, cujusmodi in hoc corpore esse apparet. In victus sane ratione accurata, ut in omnibus aliis morbis chronicis, ita etiam hîc magnam spem collocaverim, quàm vos ex Methodi legibus instituisse nequaquam dubito. De potu potissimum cogitandum, quo ægri magis, quàm cibo refici & recreari consueverunt. Pla-

ceret mihi vinum album, tenue, pauciferum, quòd & ventriculo acceptum est, neque ad caput multum exhalat. Interdum etiam aqua mulsa, cui folia salviæ, tussilaginis, capillorum veneris, aut similium herbarum incocta essent, sub vesperam præsertim, aut horam somni uti posset. An sarsæ decoctum illi præscriptum sit nescio. De venæ sectione, num ea, & quomodo conveniat, præsentem medicum judicare oportet. Quantum ad medicamenta, sunt ea in triplici ordine in hoc morbo: Evacuantia nempe, divertentia, & corroborantia. Evacuantia vel communes materias in corpore peccantes educunt, idque per secessum, vel eas, quæ in pectore continentur, per sputum & exscreationem. Horum materias cùm vos ipsi me noritis melius, indicare supervacaneum esse existimo. Illud tamen saltem monere libet, non videri mihi abs re, si interdum, (præmissis jam, quod dubio procul à vobis factum est, universalibus) sub noctem assumeret pillularum assaiaret h 31. circiter. quandoquidem & purgant simul blandissimè, & præterea etiam impetum prohibent, propter adjunctos myrobalanos. Diversio matutinis frictionibus cum pannis calidis factis, obitur. Item cucurbitulis scarificatis, & non scarificatis, in spatulis, & supra nares appositis. Si etiam vehementiora præsidia requiruntur, vesicatoriis, & cauteriis, quorum tamen necessitatem adesse nondum

dum arbitror. Roborantia tum ventriculum, tum caput, tum etiam pectus respiciunt. Huc refero confectionem aliquam magistralem, his membris dicatam. Item Tragæam stomachalem post cibum sumptum, prohibentem evaporationes in caput, præterea lotionem capitis ex idonearum herbarum decocto, in quo ℥ij. aut iij. agarici maceraverint, factam, quam etiam aspersio cum aqua frigida sub extremum consequatur. Laudo quoque pulveres pro bregmate ex rosis, santalis, veronicæ, garyophyllis, thure, mastich cum pulveribus betonicæ, majoranæ florum stœchados, anthos, & similibus. Unde etiam caputia confici queunt, quæ certis odoribus & suffumigiis imbuta, tum recreant caput, tum modice exiccant, tum etiã superfluos humores absorbent, eorumque incitatum defluxum prohibent. Mane rectissime exhiberetur saccharum rosatum, cum pauculo boli; aut etiam floribus sulfuris permistum. Repurgato pectore, & abstersione humorum facta, conveniret aqua myrtillorum, quàm aliqui in tali casu pro corroboratione pectoris mirifice commendant. Sed sat dictum sapienti, & cur ego noctuas Athenas? Non certe, ut aliquid vobis, Præstantissimi artifices, præscriberem, hæc recitavi, sed solùmmodò ne ejus voluntati refragari viderer, qui hoc tam impense à me rogavit. Ideoque etiam Dn. Reussio, më ipsius ad te non fuisse immemo-

rem,liquidò confirmare potes. Ista autem omnia, quæ currente calamo in mentem venerunt, vestro exquisito judicio permitto, quod de re præsenti longe melius, quàm à me absente factum est, statuere poterit. Domino Doctori Abrahamo Seilero officiosissimam salutem adscribo, cui etiam memoriam amicitiæ nostræ commendo. De cæteris quæ tum publice, tum privatim aguntur, ex harum, ut sic loquar, oblatore, πάντα intelliges ἀξιοπιστῶν. Bene & feliciter vale cum uxore tua lectissima, & charissimis liberis, totaque adeò familia, quam meo nomine amice salutare non intermittes. Viennæ Austriorum, 9. secundum veteres, aut 19. Octob. secundum novos fastos, qui & ipsi nuper ex mandato S. C. M. ad valvas templorum hîc affixi sunt.

FINIS LIBRI QVINTI Epistolarum Medicinalium.

IOHAN-

JOHANNIS CRATONIS
à KRAFTHEIM, ARCHI-
atri Cæſarei,

DE MORBO GALLICO COM-MENTARIUS,

NUNC PRIMUM STUDIO & opera,

LAURENTII SCHOLZII,
Medici Uratislavienſis in lu-
cem editus.



NOBILISS. ET CLARISS.

VIRO,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ Doctori celeberrimo,

DN.

JOHAN. SCHENCKIO,

DE GRAVENBERG, APUD NOBILE BRISGAVORUM Friburgum Medico dignissimo,

Amico suo plurima observantia colendo,

LAVRENTIVS SCHOLZIVS, Sil. Medic. Doctor,

Commentarium istum de Morbo Gallico, syncera amicitia ergò

D D.



JOHANNIS JESSENII, à JESSEN, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ Doctoris,

AD LAURENTIUM SCHOLZIUM SIL. MEDICUM.

Epigramma;

INgenij doctos doctè protrudere fœtus,
Non cuiuis hominum Divus Apollo favet.
Educat at sacris si quos DEUS *iste sub ulnis,*
Arcana his aperit dogmata multa rei.
Abdita naturæ mysteria plurima pandit.
Et varias addit divitis artis opes.
Sic alios medica celeberrimus arte
SCHOLZIUS,*insigni tognitione valet,*
Edocet artifici medicamine pellere morbos,
Consita quæ felix Hortulus eius habet.
Doctrina huic varia est, varia experientia rerum,
Morborum causas differit ille graves.
Quicquid conscribit, quicquid meditatur, & edit,
Prognata è Phœbi talia mente putes.
Phœbus enim Pindum linquens, descendit in ejus
Hortulum, & est FLORÆ *captus amore* DEÆ,
Hinc quoscunq; sua fœtus deducit ab arte

SCHOLZIUS, *à Clario concipit illa* DEO.
Illa sacer dictat Phœbus, sunt dogmata Phœbi.
Talia permagnum dogmata pondus habent:
Pro tali tandem studio, vigiliq; labore
Et decus & laus est huic tribuenda viro.
Perge pares SCHOLZI *magis ac magis edere fœtus,*
Perge tuum nobis communicare bonum.
Mercurius linguam, Phœbus tibi diriget artem,
Calliope pennam, Pallas amica manum.


AD EVNDEM,

SAMUELIS LATOCHII, Poetæ Cæsarei, &c.

ELEGIA;

PIronios aperit fontes PRÆTORIUS *omnes*
Vnus, & hinc aliis, & sibi lympha fluit:
Hujus enim labor est in perpete laude repostus:
Inde salus ægris provenit hausta viris:
Sic agit artificis solers industria magni:
Dum prodest aliis, consulit ipse sibi.

DE



DE MORBO GALLICO.



Orbus iste, primum ab Indis Anno 1492. ortus, putredo non est, cùm febris non adsit; nec venenata qualitas, cum cor non petat: verum intemperies epatis calida, ex contagione orta, ut præcipui Medici censent. Balnea verò & vinum isti morbo maxime nocent. Incipit autem cum ulceribus siccis, & defluvio capillorum successuque temporis pituita agetur. Semper in corpore contagium suscipiunt post epar, cutis, & pulmones. Cutis scabiem, pulmo tabificam qualitatem. Virtus autem vitalis & animalis propriè non afficitur; sed naturalis in hoc morbo. Patitur epar, & corrumpitur tota sangvificatio. Si esset intemperies frigida, vel humida, esset eadem curatio cum cachexia. Quod autem non sit intemperies calida & sicca, apparet, quia in principio abundant excrementis pituitosis. Confert lignum, calidum & siccum. Non est morbus in intemperie, sed totius substantiæ. Ratio

prima: Quia non tollitur medicamentis methodo repertis, & contrariis qualitatibus adhibitis. 2. Invadit partes principes. 3. Non omnes indifferenter, sed epar primum. Montanus dicit ideo, quia venæ sunt imbecilliores, quàm arteriæ, etiam citius suscipiunt contagium. Sed hinc sequeretur idem fieri in peste. Dico præcipue affici spiritus naturales in morbo Gallico, sicut in peste vitales. Est itaque morbus Gallicus infectio epatis à tota substantia, conjuncta cum intemperie sine materia manifesta, à contagione acquisita. Forma morbi una est, symptomata diversa. Contagium ab infectione est, propter excrementa, ab intemperie forti, ut fecibus, fuligine, sudore, halitu, aut usu vestimenti infecti. Infantes autem lacte quoque inficiuntur. Loca quæ recipiunt sunt, venæ, pudenda, os, papilla mammarum, cutis, ut partes molliores & laxiores, qua impressa repit à venis usque ad epar. Epar postea adurit humores, qui transmittuntur ad omnes partes pro nutrimento, sed quia mali sunt, male nutriunt. Ideo corpus scatet excrementis, quæ mordendo ulcera faciunt, Causæ internæ. 1. debilitas spirituum naturalium & epatis. 2. facilis apertio & raritas venarum & atteriarum. 3. facilis spirituum & vaporum incalefactio 4. Constitutio cutis & pudendi mollis. Epar & cerebrum citius inficiuntur, quia laxa sunt, quam cor, quod est solidum, & tum sequitur tabes. Signa morbi incipien-

pientis. 1. Quia ſpiritus naturales pati incipiunt, laſſitudo eſt univerſi corporis. 2. dolor vagus in juncturis, ob acrimoniam humoris, non permanens, & de una parte ad aliam tranſiens propter flatus. 3. pallor abſque manifeſta cauſa & præſertim circa oculum quaſi circulus pallidus, ſicut in mulieribus, quæ menſtruis laborant. 4 color rubeus in volis manuum, atque in iis ſangvis ferveſcens. 5. pigritia & ſommulentia ob multitudinem vaporum. 6. mœror, quaſi in affectione hypochondriaca. 7. in quibuſdam levis febricula. 8. ulcera & caries in pudendo: Item bubones, loria ſunt craſſa, aduſta. Signa morbi confirmati; Poſt defluvium capillorum, cruſtacea ulcuſcula in facie ad radices pilorũ. In pudẽdis ulcera dura, puſtulæ nigrę. quia materia eſt aduſta, raucedo, tumores, dolores capitis, noctu vehementiſſimi. Vulnera autem in hoc morbo difficulter ſanantur. Inter initia ſudore hoc malum depellitur, Quidam tamen utuntur ſuffumigiis & inunctionibus. Methodus vero iſta eſt; Primum, auferendi mali humores 2. Inſtituenda victus ratio, qua generetur optimus ſangvis. Sit optimus aër. Exercitia convenientia. Somnus largior vitetur. Vena nullo modo ſecetur ſi apparent ulcera & bubones. Dantur ſyrupi ad concoquendos humores viſcoſos & aduſtos, de betonica, de ſucco cardui. In aduſtis plurimum valet ſyrupus de ſucco ſonchi. In melancholicis meliſſa, deinde

conserva borrag. rosar. succi scordii ℥j. Mithridat. ℥ß. invicem mista. Evacuetur cum syrupo de pomis, item agarico, sen , epithymo, Myrobalanos non omnes probant. Helleborus niger efficacissimus.

℞ *Myrobal. citrin.*
Chebal.
Indor. an. ℥j.

Contund. grosso modo, & infund. in ℔. ij. aq. fumiterræ, add. postea,

Fol. sena Alexand.
Epithymi a. ℥ vj.
Garyopll. ℥ ß.
Sem. citri ℈ j.
Cortic. hellebori nigri ℥j.

Bull. & colaturæ add. succi fumiterræ q. s. In educenda pituita resolve euphorbium cum ol. amygdalarum dulcium, & impone frustis citri, decoq. in clibano. De quo accipe grana v. vel vij. misce cum massa pillularum Alephanginarum. Ad educendum humorem melancholicum.

℞ poma cidonior. excavata, impleantur cortice hellebori nigri, coq. & exiccentur:

℞ *Pulveris hujus* ℥ j.
Scammonea gr. iij.
Cinnamom. parum. Misc.
Lapis lazuli vitandus.

Lignum Guaiacum præcipuè medetur, 1. Gallicis. 2. Morbis frigidis. Et datur rectè epilepticis,

cis, item paralyticis. Nascitur in insulis S. Dominici, sanctæ crucis & S. Iohannis, Indiæ orientalis. Est arbor similis fraxino, folio plantaginis, floris lutei, fructus suaves ventrem solventes. Lignum prout est arbor colorem habet. Nam vetus nigerrimum, Ex tenera arbore nihil habet nigredinis. Inest ei acredo, & amaritudo. Odor aromaticus calefacit ventriculum. Ergo calidum in secundo, & siccum in fine secundi in veteri: in recenti minus. Tres sunt in eo partes; cortex, circumferentia, & medium nigrum. Cortex est siccissimus, ideò eum damnus, cum valdè volumus siccare. Deinde siccior est media pars circum ferentiâ. Operatur à manifesta qualitate, ut in constitutionibus frigidis & humidis. Et occulta quæ per experientiam reperta est. Lignum vetus in vetusto morbo melius. In recenti & minus sævients accipimus pro qualibet uncia ligni ℔ j. aquæ ut:

℞ *Ligni guaiac.* ℥ x.
Cortic. lig. guaiac. ℥ vj.
Aq. lib. xviij.
Decoq. ad lib. xij.

Rursus infunde lib. xx. pro secundo decocto. Primum datur ad ℥ vj. Rectum est coquere in vaso duplici, in vitro. Ubi epar ægri calidum, rectè coquitur in aq. sonchi. Quidam verò ad decoctionem, ut dixi, addunt ℔ iij.

vini potentis Rhenani, in habitu corporis frigido, cùm validè siccare volumus:

℞ *Card. bened.*
Iuæ arthetica.
Betonic.
Rad. pentaphyll. a, m. j.
Vini Malvatici, vel Rhenani ℔, xv.

Decoq. ad medietatem. Admiscetur etiam interdum rorismarinus, stœchas; anisum, feniculum. Non detur autem nisi exquisitè purgatis. Tempus exhibendi commodissimum est, primò ver, deinde autumnus. Locus sit mediocriter calidus. Non multum luminis admittatur. Intervallum inter matutinorum, & vespertinorum syruporum assumptionem, sint septem, vel octo horæ. In morbo recenti ℥vj. ligni sufficiunt, in vetusto xij. Si non sudant adhibeantur lateres calidi. Feces semper educantur. Quidam horis tribus post cibum exhibent pillulas mastichinas ad ℈j. Potest tempore sumptionis ligni æger quater purgari, etsi hoc quidam damnent: 1. Quia materia protrusa est foras, ut ulcera & defluvium capillorum ostendunt, ea revocatur. 2. Sudore humores omnes evacuantur. 3. Deducendum quo natura. In sudore à profundo ad ambitum. In purgatione fit contrà. Respondeo; sudor est vapor ad cutim veniens resolutus in aquam. Tria enim requiruntur ad sudorem: 1. Cutis spiracula

cula aperta. 2. Calor mediocris. 3. Materia apta, videlicet tenuis. Ergo sudor tantùm partes tenuiores, non totam materiam morbi evacuat. Crassum igitur oportet purgare, & quidem post xv. diem sudor pellit ab humoribus aliquid, sed non totum. Errores: 1. Exhibere lignum absque præparatione & evacuatione. 2. Evacuare cum iis, quæ astringunt, ut myrobalanis, præsertim dum bibunt, quia tum vel senæ infuso, vel stercorariis pillulis utendum. 3. Ne cum vino, ad hecticam & tabem deducantur ægri. 4. Videndum, ne cum damnis cum alembicis aquis, sequatur obstructio, ut est apud Gal. lib. v. de medic. f. I. Obtrudere autem manifestis qualitatibus occultas haud scio an sit rectum. Victus instituatur ad virium rationem, Sic autem siccans & attenuans. Aer prorsus non prohibeatur: nisi cùm timetur cutis obstructio. Dantur pro cœna passulæ, & caricæ cum jure pulli. China radix similis acoro. Ex Lybia affertur. Nullum propemodum habet saporem. Minus calefacit, quàm lignum. Movet sudorem & pingues reddit. Coquitur ut lignum. Inciditur in taleolos. Decoctum fit statim acidum. Radix exiccata iterum coquitur pro secundo decocto. Convenit calidioribus, sicut lignum frigidioribus. Sarsa parilla affertur ex Hispania. Habet capillamenta. Est nodosa, pallida, medulla similis est radici smilacis asperæ. Decoctum sic fit:

℞ *Rad. sarsaparigl.* ℥ iiij.
Rasura lig. guajaci ℥ij.
Aq. libras xij.
Decocto adduntur passulæ.

Matthiolus sumit lib. xv. & decoquit ad tertias. Datur autem decoctum tutius absque ligno, ac sic etiam suavius est. Qui decoctum ligni bibunt, 1. Benè purgentur 2. Utantur bona victus ratione. 3. Salem vitent. 4. A vento prorsus abstineant. 5. Vinum non gustent. 6. Frigida se non abluant. 7. Aluo dura recte decoctum ligni pro enemate injicitur, 8. Revalescens subitò non se exponat aeri frigido. Suffumigia cerebro cordi & pulmonibus nocent. Ideò tanquam pestis fugienda. Tuto autem adhiberi potest album animæ, id est, lachryma, quæ ex Hispania affertur. Arbor ex qua hæc fluit, similis est foliis & cortice ficui. Inter corticem & lignum reperitur caries, ex qua panem conficiunt: Conferunt etiam in hoc casu seq.

℞ *Thuris.*
Mastich.
Aloës epatic.
Myrrhæ an. ʒj.
Cinnamom. pulu.
Cyperi.
Styracis.
Spica nardi.
Nucis Muscatæ a. ʒß.

Moschi

Moschi gr.ij. Musc.

Hac tota quantitas pro una die.

℞ *Santal. omnium* an. ℥ j.

Nucis Muscatæ.

Macis.

Schænanth.

Succini.

Asari a ℥ ß.

Cortic Citri.

Sem. arantior. an. ℈ j.

Cum s. q. Terebinthinæ f. Trochisci.

℞ *Styrac. calamit.*

Benzoin.

Ligni aloës.

Galliæ Muscatæ a. ℥ ß.

Albi animæ ℥ ß. *styracis liquidæ q. s.*

Primo corpus purgetur, ut in ligno. Deinde in cubiculo calido æger maneat. Sumat duo ova sorbilia, vel unũ, & unciã unã sacchari rosacei. Ita quiescat per horam. Postea ingrediatur tentorium. In vase testaceo sint carbones. Æger suscipiat fumum per os per quartam horæ partem. Facilè suscipiuntur inflammationes. Si in deliquium incidant, ministri in promptu habeant aquam frigidam. Facta suffumigatione æger ponatur in lectum, tectus benè sudet. Post horam comedat. Hoc repetatur septem vicibus, aut ad summum novem. Quando autem sufficiant suffumigia, apparet ex defluxu ad palatum, etsi aliquando

etiam alias vias quærat. Palatum melle rosaceo, ol. vitrioli admixto, inungendum. Quidam utuntur pulvere cinnabar. ℥j. Sulphuris citrini ℥ij. Benzoin. cinnam. garyophyll. rosar. a. ℥j. Os balaustiis, rosis in vino styptico decoctis abluendum. Inunctiones cura deploratorum, quam sequuntur sæpè multa incommoda: marasmus, dentium amissio, dysenteria, &c.

℞ *Pingued. gallin.*
Porcinæ an. ℥ iij.
Ol. lilior. albor.
Laurin. an. ℥ ij.
Hydrargyri ℥ vj.

Pinguedines ptimum eliquantur, pòst ponantur in mortario calido, & addatur mercurius, deinceps add.

Thuris.
Mastich.
Menthæ.
Saluiæ.
Stœchad.
Bitumin.
Cerussæ an. ℥j. Misc.

Matutina hora æger prandeat, & vesperi iiij. horis ante occasum. Deinde per iij. horas quiescat. Pòst intret thalamum calefactum. Inungantur primò articuli pedum, genuum, coxendicum. Deinde, humeri, cubitus, manus. Æger articulos ipse fricet. Locus postea ligetur, & quiescat per horas iij. in lecto. Cervicem nō est

tatum

tutum inungere. Helidæus inungit quoque regionem renum. Quidam vir clarissimus Patavii mihi dicebat: Argentum vivum non esse timendum. Doctores enim damnare argentum vivum artificiale, non nostrum naturale. Et magis sanari homines ab inunctione, quàm ligno. Contrà Montanus: Omnes Græcos argentum vivum pro veneno habere, neque esse adhibendum sive minerale, sive artificiale. Paulus dicit hydrargyrum quidem esse venenum, exhiberi tamen crematum. Cremandi ratio est apud Serapionem. Artificiale fit ex minio Hispanico, seu cinnabare. Naturale fluit ex venis.

Vnguentum Frisimelicæ.

℞ *Argenti vivi* ℥ vj.
Ol. de iuniper.
Pingued. anat. a. ℥ vj.
Ol. mastic. ℥ ij.

Agitetur donec argentum amplius non appareat, posteà,

℞ *Ol. lilior. albor.* ℥ ij.
Lithargyr. ℥ j ß.
Mixturæ prioris ℥ vj.
Misc. f. unguentum.

Dn. D. Gallus Eschenreiter scripsit ad me, se multis Gallicis incipientibus, gr. iij. iiij. v. vj. ex præcipitato cum auro hora decubitus alternis diebus dedisse, si non succederet, post octiduum ad eandem curam reversum esse.

Caries penis. Hæc ab excoriatione differt, & habet tres gradus: 1. Est enim una benignior, in qua pellicula vix est ablata, ulcus non rotundum, Ambiunt plura foramina glandem, fundus est ruber. 2. Mediocris. Ulcera mediocriter callosa, fundus lividus & pallens. 3. Seuissima, quando ulcera habent angulos, & varias figuras efficiunt, nec validissimis medicamentis cedunt. Maxima est inæqualitas fundi, & exeditur totum corpus penis. Excoriationes verò facilè curantur infrigidantibus & siccantibus, ut linteolo in hac aqua madefacto:

℞ *Aq. planta.*
Rosar.
Solatri an. ℥ ij.
Cerussæ.
Lithargyr. an. ʒ j.
Fl. rosar. p. j.
Ærugin. ℈ ß.
Alumin. combust. ℈ j.

Bull. simul & colentur. In carne magis exiccantibus utimur, detergentibus & repellentibus. Fit decoctum ex guajaco, betonica, absinthio, scabiosa, pentaphyllo. Abluitur locus:

℞ *Squamæ æris prapar.*
Sem. anethi combusti a. ʒ j. Misc.

Hic pulvis inspargatur glandi; deinde impone unguentum de Tutia. Validior pulvis iste est:

℞ *Squa-*

℞ *Squama æris.* *Aloës.*
Tutiæ an. ʒj. Misc.

Si hic non prodest : unguento Ægyptiaco utendum. Si hoc non : oleo vitrioli admixto opio. Item præcipitato cum unguento rosato Mesue.

Carunculæ, vel verrucæ, seu phymata : si non prorsus mala fel tollit. Et sæpè plenum his pudendum muliebre, utimur & ammoniaco in aceto dissol. ʒj. asæ fœtid. ℈ ij. vitrioli usti ℈ j. Aq. decoctionis guajaci q.s. Misc.

Præservativum à carie, & carunculis:

℞ *Aristol. rotund.*
Gentianæ.
Dictam. alb. an. ℥ ij.
Scordij.
Sonchi.
Rutæ an. ℥ j ß.
Lig. aloës.
Santal. omnium.
Sem. citri a. ℥ j.
Rhabarb. el.
Tormentillæ.
Hyperic. a. ℥ ß.
Lig. guaiaci limati ℥ ij.
Mithridat. ℥ ij.
Vini Malvatic.
Aq. sonchi an. ℔ j ß.

Bull. ad consumptionem tertiæ, colaturæ per integrum dié infundatur linteum, deinde sicce-

tur, & sic iterum quinquies infundatur. Hoc modo factum imponatur post coitum, suffumigetur pudendum, abluatur vino, vel urina. Fumus ex thure & modico cinnabare.

Tumor inguinum: Non secanda vena, aut purgantia medicamenta adhibenda, nisi magna adsit plenitudo, & materia influit, purgandũ autem levioribus. Buboni apponenda relaxantia & mollientia:

℞ *Diachyli* ℥ j.
Pingued. gallin. ℥ ij. Misc.

Quantò bubo major, eò melior, Deinde ex:

Rad. althea ℔ j.
Farin tritici ℥ ij.
Sem. lini ℥ j.
Caricar. coctar. ℥ j ß.
Pingued. gallin. ℥ ij.
F. emplastrum in mortario.

Quod si non emollit:

℞ *Diachyli cum gummat.*
Propolid.
Storac. sicca & liquid. a. ℨ j ß.
Ammoniac. ℈ ij.
Terebinthina.
Resina pini a. ℨ ij
Ol. chamomel. q. s.
Misc. & f. emplastrum.

Con-

Concocta materia, aperitur. Quando secatur, per rectitudinem inguinum, non corporis secetur, quia fibræ per obliquum tendunt. Quando est apertus imponitur mel cum terebinthina ad mundificationem, & ceratinum diapalma aliquot dies, post glutinetur. Fugite medicamenta acria, & cavete fistulas.

Capillorum defluvium: Est hoc à reliquis distinguendum. Veteres nominant, 1. Ophiasin, in qua caput est squamosum, & areæ tortuosæ. 2. Alopeciam, in qua areæ sunt rotundæ, non tortuosæ, nec adsunt squamæ multæ. 3. Calvitium, quando sinciput capillis denudatur. 4. Quod oritur ex morbo Gallico, in quo paulatim cedunt pili, & postea renascuntur. Causas Galenus explicat, 3. de medic. fac. cùm inquit: Pilos respondere foliis plantarum & arborum. Concidunt autem duplici de causa, primo, quia deest alimentum, vel est corruptum. 2. Quia locus est ineptus. Alimentum pilorum est excrementum fuliginosum, coctione terrestre factum. Aliquando excrementum conveniens, sed cum venit ad cutem evolat, & non nutrit. Nam requiritur, ut materia pilorum figatur & concoquatur. In ulceribus enim malis corrumpitur, & fit putridum, unde pili mali. Sic in habitibus calidissimis non multi generantur pili, quia meatus sunt aperti, & fuligines exhalant. In mulieribus etiam non gignuntur copiosæ fuligines. Sæpè cutis alimentum malum

est,ut phlegma salsum,bilis utraque,& eroduntur radices pilorum,ut in morbo Gallico , ob acrimoniam humorum. Quia enim infectum est epar , ideò in omnibus particulis facultas naturalis imbecilla est,non concoquit , & alimentum partibus præparat : sed excremento inutili abundare facit. Unde omnia pallida & languida , ventriculus generat cruditates, quæ exuruntur in epate. Fiunt salsi vapores, qui ad capud exhalant,& erodunt radices pilorum. Ideò oriuntur crustosæ pustulæ in capite & mento. Consideranda autem sunt excrementa,quæ peccant quæ agnoscimus à colore cutis. Si phlegma salsum est,cutis est albicans; si materia biliosa , erit flava; si melancholica, nigricans. In morbo Gallico plerunque est phlegma salsum. Unde ad problema facilè est respondere : Cur capitis pili maximè defluant? Nā phlegma salsum maximè in capite nascitur. Epar autem sua excrementa ad cutim , volas manuum & pedum mittit. Vapores autem ab epate, in capite vertuntur in pituitam salsam. Si enim immediatè ab epate defluvij capilli initium esset,æqualiter omnes pili , non tantum capitis caderent , sicuti contingit ictis à vipera, sed in toto corpore. Ac quib. defluunt antè sentiunt sputum salsum.quia illæ partes petunt palatum.Inchoante morbo , evacuanda, quæ in corpore continentur excrementa, pituitosa & adusta. 2. evacuandum est cerebrum. 3. partes in

in quibus pili figuntur. Purgandum igitur corpus, ſena, agarico, pillulis cochiis, etiam helleboro. Deinde caput evacuandum apophlegmatiſmis. (Multi in media potione patiuntur defluvium) poſtremo utendum lotionibus, inunctionibus, &c. Lotiones primò ſint detergentes, deinde conſtringentes. Pro ablutione:

℞ *Lixivij dulcis* ℔ x.
Fl. abrotani,
Abſinthij.
Roriſmari.
Myrtillorum. a. m. j.
Rad. aſari.
Acori noſtratis a. ℥ ß.
Nucum cupreßi m j ß.
Roſ. rubear. m ij.

Bull. ad conſumpt. tertiæ partis, hoc caput abluatur, & ſiccetur leniter, pòſt inungatur caput & barba:

℞ *Ol. amphacini.*
Myrtini. a. ℥ ij.
Ladan. el.
Sangvinis Dracon, a. ℨ j. *vel loco hujus hypociſtid.*

Terantur in mortario, & in petia imponantur oleo, & in vaſe duplici coquantur.

Sapo Conſtantini, à Paulo deſcriptus, qui tergit, ſiccat, continet, & repellit ad centrum.

℞ *Roſar. rubear.*
Aloes.

Gallar.

Cortic.granator.

Spicæ & Macis,pro Malobathro.

Sarcocollæ an. ℥ j.

Fl.granator.

Myrrhæ.

Sandaracæ græcorum,id est,arsenici rubri,

Spicænardi a. ℥ v.

Zedoariæ pro costo ℥ ij. ℈ ij.

Saponis Gallic.q.s.f pilæ.

Si jam apparent areæ, post corporis evacuationem,ad lotiones deveniendum ex abstergentibus,ut agarico,foliis betonicæ , deinde fiat inunctio cum oleo garyophyllorum. Ad pilorum renascentiam,primum conducunt cibi optimi succi,dantur alterantia & roborantia , ut Mithridatium. Cutis inungitur medicamento, quod detergat,& evocet materiam. Nam quæ adstringunt non conveniunt. Hic cinis abrotani,oleum garyophyllorum , & axungia ursi plurimum valent,idem hoc.

℞ *Lardi saliti.*

Vini a. ℔ j.

Misc. & exponantur soli per dies viij. Agitetur quotidiè quater,post coque ad ignem , donec humiditas vini absumatur, postea fine concrescere ,' & ita in fumo concrescit albū,quod collige,& eo inunge singulis diebus ter. Defluvio capillorum iunguntur pustulæ, quæ dum comprimuntur , exit liquor, & pus lentum , nec dolent.

dolent. Suntque duorum generum. 1. Aliquæ in palato oriuntur, & in faucibus. Has plærunque patiuntur parvuli, à nutrice infecti. Sunt autem rotundæ, callosæ, albicantes, & habent veluti lividum circulum & rubentem. 2. in toto corpore conspicitur. Causa est materia pituitosa, crassa, salsa, adusta, vel melancholica. Quæ duæ materiæ in ventriculo & epate generantur, & ad cutim transmittuntur. Evacuetur totum corpus. Instituatur victus optima ratio. Bibatur decoctum. Si in ore fiat gargarisma ex decocto Guaici, hordeo, & aqua plantaginis, admisce syrupum rosac. & lac de semine Melonum. Cessante inflammatione,

℞ *Aq. plantag.*
Rosar. an. ℔ j.
Alumin. rocha ℥ ij.
Argenti sublimati opt. triti ℥ j.

Bulliant in vitro ad medietatis consumptionem. Refrigerentur, & frigidi colentur supposito spisso panno. Quiescant, & rursum colentur supposito alio panno. Deinde sume stylum, in cujus extremitate sit gossipium intinctum leviter aqua, detergantur ita ulcera mane & vesperi, ea æger jaceat declivis, ut pituita exeat. In corpore pustulæ & cicatrices tolluntur sapone nigro cum oleo vitrioli & aqua fragorum, vel:

℞ *Vnguenti rosac.* Mes. ℥ ß.
Præcipitati ℈ j.

Misc. inunge solas pustulas bis in die. Ad rubra

vestigia. ℞ Argenti sublimati opt. super marmore cum aqua rosarum comminuti, & aqua in vitro exponatur soli, donec exiccetur. Affunde iterum aquam rosarum, & denuò exicca. Postea per xx. aut xxx. dies sputo & aqua maceretur, donec non sit amplius causticum; ℞ Hujus sublimati q. s. & misce cum succo melonum, hoc inunge maculas, vel utaris lithargyro argenti cum succo limonum, & aqua rosacea.

Ulcera sunt plærunque, vel callosa, vel fistulosa, vel maligna; & serpentia, etiam ossa corrumpentia. Utatur decoctione & inunctione,

℞ *Axung. porcin.*
Terebinthin. a. ℥ ij.
Butyr. recent.
Ol. lilior. alb. an. ℥ j.
Mercurij ℥ ß.
Succi limonum, vel arantior. ℥ vj.

Misc. in mortario per horam unam, donec fiat linimentum, quo inungantur ulcera. Mitigatur dolor, & siccantur ulcera. Si hoc non confert, utatur præcipitato cum unguento rosarum, item cerato:

℞ *Terebinthin.*
Resinæ pini.
Ol. Rosacei a. ℥ iij.
Ceræ ℥ ij ß.
Bitumin.
Matrisylu. a. ℥ iij

Tritis

Tritis terendis affunde vini q. s. coq. ad consumpt. medietatis, & quod post coctionem in summitate concrescit, collige, ac ad ignem admisc.

Gummi Elemi.
Sarcocollæ.
Thuris.
Lythargyri.
Cerussæ a. ℨ ij.

Argenti vivi extincti cum succo limonum, aut saliva ℥ vj. Misc. fiat cerotum, quod extensum superponatur.

Rimæ in volis manuum & pedum, sunt à materia salsa, exusta, in ventriculo & epate genita. Cruciant diu hominem. Contemperetur epar cichorio. Expurgentur humores. si callus adest, emolliatur decocto altheæ, item, inunctione olei amygd. rosar. axungiæ porci a. ℥ j. cerussæ ℥ ß. & ceræ albæ q. s. Si non cedit his, fricetur donec sangvis egrediatur, & citius consolidatur. Abluantur decocto hordei, deinde seq. unguento utaris.

℞ *Ol. rosar.*
Butyr. recent. a ℥ j.
Cerussæ ℨ ij.
Terebinth. ablutæ ℥ ß.
Sublimati opt. molliti ℈ ij.
Misc. f. Unguentum in mortario.

Aqua plurimum valens.

℞ *Rad. polygoni* ℔ ij.
Alumin. combust. ℥ j ß.
Sacch. ℥ ij.
Destilletur aqua.

In dolore articulorum & capitis fugienda stupefacientia. Nullus apparet tumor. Videntur dolere ipsa ossa: sed quia non sentiunt; malum esse in periosteo, certum est. Quando autem sunt diuturni, oriuntur tumores & gummata, & in periosteo reperitur materia corrupta. Causa efficiens vapor malus, tota substantia pessimus, tum ratione malæ qualitatis frigidæ & siccæ soluentis continuum. Debilitato enim calore naturali pessima excrementa frigida & sicca generantur, quæ à solida substantia periostei retinentur, & in vaporem transeunt, qui distendit vicina, & dolorem efficit. Etiam ossa materia corrumpit. Noctu autem sunt graviores, quia sicut analogia maxima est humoribus cum temporibus anni, sic & diei. Curatio optima est in usu ligni. Quidam exhibent has pillulas.

℞ *Hermodactyl.*
Turbith. a. ʒ iij.
Diagryd. ʒ iij. ß.
Mastich. ʒ ß.
Sacchar. ℥ ij. *cum melle q. s.*
F. pill. λόσις ʒ j.

Parti

Parti dolenti quidam apponunt sacculos cum furfuribus tritici & sale calidissimo. Quia aperiuntur pori. Item decoctioni Guajaci imponunt salviam, rorismarinum, mentam, betonicam, & in eos sacculos calefaciunt. Inungunt Ol. lilior. albor, ol. sulfuris, & oleo lumbricorum, cujus descriptio hæc est:

℞ *Lumbricor. lotor. in vino bis, & infusorum per horas* xij. ℔ j.
Ol. veter. ℔ j ß.
Fænugr.
Lini contusi a. ℥ ij.

Decoq. in vase duplici ad consumptionem vini & humidi.

Alia inunctio ad dolores articulorum.

℞ *Ol. veter.* ℔ j ß.
Vini lib. ℥ ij ß.
Vermium terrestrium præpa. ℥ iiij.
Absinthij.
Chamomill.
Melilot. a. m. j.
Rad. althea.
Malue.
Branca ursina a. ℥ ij.
Decoq. omnia usque ad vini consumptionem.

Ad dentes vacillantes, ℞ acetum, in quo maceretur symphytum & Mastiche.

Pro naribus, ℞ *pul. aristoloch.* ℨ j ß.
Hypocystid.
Fol. plantag. an. ℨ ß.

Cum melle q.s.f. linimentum.

Tumores duplices sunt, molles & duri seu scirrhosi. Duri continent substantiam similem lardo concreto. Molles non continent pus, sed substantiam similem polentæ. Causa, materia frigida vel melancholica. In curatione quidam emolliendo in saniem convertere student, postea aperiunt cum cauterio, sed vesicula tota debet eximi sectione. Et possunt etiam removeri folliculi cum Ægyptiaco & præcipitato; postea detergentibus & sarcoticis utendum est. Multi incidunt in tumores ex inunctionibus. Vera curatio est potatio ligni, & decocti sarsæ pariliæ. Tumores duri emolliuntur cum pinguedine gallinæ. Hi tumores interdum corrumpunt ossa, id cognoscitur si duri tumores non possunt emolliri. Aperto tumore os corruptũ oleo chalcanthi madefit & detergitur. Utimur postea unguento de matri sylva, & unguento conciliatoris de Gimmi Elemi, sæpè magna pars calvariæ eximitur, ibi opera danda, ne refrigeretur membrana, quia sequerentur convulsiones. impleto vulnere cicatrix inducatur cũ unguento de plumbo. Ceratum, quod carnem generat. Renovari autem per triduum debet.

℞ *Gummi Elemi.*
Carab. a. ℥ ß.
Resinæ pini colatæ ℥ j.
Ceræ alb. ℥ ß. *Mastich.*
Thuris. ℥ j ß.

Tri-

Tritis optimè terendis.add.olei communis q. ſ. f.ceratum.

Ad dolores & tumores, pinguedo canina confert. Paratur autem hoc modo.

℞ *Canem pinguem ac abiectis viſceribus, & perforato dorſo venter impleatur:*

Sem.lini. *Fænugr.*

Rad. altheæ an.q.ſ.

Ponatur in furno, & pinguedo colligatur.

Ad tumores duros;

℞ *Maluæ* m.j.

Capar.ſub cineribus coctar.

Paſſular.an.℥ j.

Fermenti ℥ j.

Axungiæ porci.

Anatis a.℥ j ß.

Ol lilior.albor.℥ ij.

Cum farina tritici q.ſ.f.emplaſtrum.

Cauſticum pro duris tumoribus;

℞ *Ciner.ſarmentor.vitium* ℔ iiij.

Calcis vivæ ℔ j ß.

Aquæ ℔ iij.

Cineres ponantur in caniſtro, & aqua ſuperfundatur, cũ deſcenderit iterũ infunde, & hoc fiat per triduũ, deinde coquantur in vaſe æreo, quouſq; redigantur ad ſpiſſitudinem. Et ſal hoc ſerva in vaſe vitreo benè obturato. Appenatur ſuper tumorem durum, ſtet per tres horas, donec fiat eſchara. Tunc imponantur mollientia.

FINIS.